




Digitized by Google



Digitized by Google

BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
D
8
NAPOLI

Ex Biblioth. de Rosa

VI-6

Digitized by Google

Digitized by Google

592669

DE CAPELLA REGIS SICILIAE

LIBRI TRES

ADJECTA AD CALCEM CAPELLANORUM MAJORUM HUJUS REGNI SERIE
NEC NON MONUMENTORUM EJUSDEM REGIAE CAPELLAE SYLLOGE

AUCTORE

STEPHANO DI CHIARA

Sanctae Panormitanae Ecclesiae Canonico et Ecclesiastici juris in Regia Panormitana Studiorum Universitate Antecessore.





PANORMI

1815

TYPIS REGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

ALPHONSO AIROLDI

EX MARCHIONIBUS S. COLUMBAE, ET COMITIBUS LEUCI
HERACLEENSI ARCHIEPISCOPO, R. M. JUDICI, REGIO CAPELLANO MAJORI
IN HOC SICILIAE REGNO
EQUESTRI ORDINI S. JANUARII ADSCRIPTO, ET S. R. M. A CONSILIO.

Non omnem sane officii mei partem attingerem, si alteri potius, quam tibi Excell. et Rev. Domine, has meas lucubrationes, quae nunc in lucem prodeunt, de Capella Regis Siciliae, nuncupatas velim. Hujuscemodi opus uni tibi jure optimo tribuendum, inscribendum, et tuo nomine censui exornandum. Ut enim de clarissima, unde genus ducis, prosapia sileam (quoniam emendicatis ab ipso natali tuo laudibus minime opus est) ingenio, et animo bene a natura informato es praestantissimus, deque literis, et sicula praesertim eruditione benemerentissimus. Tuis praeterea studiis, laboribus, vigiliis acceptum referimus, eximium Capellani Majoris munus restitutum, quod non sine maximo nedum Regiae Capellae, verum etiam totius Siciliensis Regni detrimento bauserat oblivio. Insuper tali ac tanto munere ob tuarum virtutum abundantiam ab Augustissimo Rege Ferdinando III. verae virtutis aestimatore, summa cum omnium ordinum gratulatione insignitus, ad eum, quem nuuc obtinet dignitatis atque amplitudinis apicem, Capellam ipsam Regiam provexisti, ut magnis in dies aucta incrementis numquam fortasse alias florentior extiterit. Quantum quippe ti-



bi prudentiae ad videnda ea, quae illius decus, et splendorem promoverent; quantum animi ad ea proferenda; et quantum auctoritatis ad ea consequenda semper fuit; quod est optimarum mentium insigne. Alia etiam rationum accessere momenta, quare libellos hos meos tibi assignandos, tuisque sub auspiciis publicandos decreverim. Cum enim omnis literaturae studia tuearis, ac foveas, mea cumprimis ita adjuvisti, ut nil, quod mihi usui esset, praetermitteres, nullamque pene molestiam non ferendam putares, quo meditatum diu opus ipse perficerem. Enimvero tibi tuoque auxilio (ut coetera omittam) debeo, quod Regiae Capellae diplomata, et monumenta, quae valde mihi necessaria fore intellexi, undique conquisita, excerpta, et exscripta receperim: quodque haud exiguam pecuniae vim perquam liberaliter contulisti, ut opus tot monumentorum accessione adauctum typis excuderetur, et publici juris fieret. Benigno itaque animo, quae tua est consuetudo, laborem hunc meum qualemcumque accipe, meaque studia tueri non desinas, teque literis, Aulae, ac Regno in inclyta senectute diutius incolumem serves. Vale. Panormi Anno MDCCCXV. Idibus Septembris.

Obsequentissimus
Stephanus di Chiara Eccl. Pan. Canonicus.

Quae mihi, Lectores Ornatissimi, tractationis hujus, quam de Capella Regis Siciliae habiturus sum, occasio fuerit, tum ejus quae ratio sit, atque partitio, quoniam res longa oratione non eget, paucis complectar. Inter maxima, quae Clementissimus Rex noster Ferdinandus III. nobis contulit beneficia, illud cumprimis numerandum est, quod regiam hujus Regni Capellam jamdiu jacentem erexerit, et pristino juri restituerit. Hinc toti Siciliensi Aulae ac Militiae suapte auctoritate sacras res administrat. Est enim de ordinaria Episcoporum jurisdictione exempta, et uni subest Regio Capellano majori, quem sibi proprium vendicat Antistem. Cui proinde duplex pro duplici Capellarum ambulantium, et permanentium conditione sacra competit jurisdictio; una videlicet, quae certas personas, quocumque eant, afficit, nullo locorum ambitu descripta, altera, quae certa sibi loca tribuit, nullo personarum genere atque ordine definita. Nam Capellano majori uti proprio Praesuli, ac Pastori, Aulici et Milites, etsi in itinere vel expeditione actu versentur, itemque Regiae domus, Palatia, Turres, Arces, Propugnacula, et clausae, Stationes adjudicantur. Interim Canonica, ut ajunt, beneficiorum, et officiorum ad hanc regiam Capellam spectantium, institutio a Capellani majoris munere prorsus est aliena. Nam regiae dignitati, et fundationis, et Apostolicae legationis jure cohaeret, ut ejusmodi beneficia, et officia tametsi curam animarum, et spiritualem jurisdictionem adnexam habeant, plena potestate conferat. Ut adeo

si contingat (quemadmodùm olim etiam contigisse exempla non una demonstrant), Regem neglecto jure suo collativo, Electos Capellano majori sistere instituendos; is equidem non proprio sed delegato jure utatur, et tamquam Regis se gerat Vicarius. Porro ad Capellam primaevo suo juri redditam accessit Augustissimorum Regum praesentia; unde, ut omnibus rebus, sic etiam ipsi Capellae nova facies est comparata, et pristinus splendor restitutus. Maxime verò sacrum Aulae ministerium aliquando sub Northmannis, Suevis, et Aragoniis Siciliae Regibus insigne, nedum veterem dignitatem recepit, sed et longe majorem, atque splendidiorem ex Optimorum Principum qua Religione, qua munificentia. Cum haec ita se habeant, nihil magis ad rem fore arbitratus sum, quam ut numeris omnibus et partibus absolutam de Capella Regis Siciliae tractationem elucubrarem, viris doctis non prorsus ineptam, indoctis vero magnopere necessariam. Praesertim, quod eo consilio, et illustrando Regiae Capellae juri, de quo adhuc nonnulli caespitant, inservirem. Re cum Doctis communicata, neminem reperi, qui mente conceptum opus non singulari, et praecipua laude commendaret, et me ad illud, qua possem industria, solertia, et navitate perficiendum acueret. Ergo Capellam regiam tractandam sumpsi, deque ea opus quidem historicum, juridicum, et liturgicum adornavi, quod totum in tres libros partiri constitui. Primus liber post aliqua de vocibus deque rei natura, et divisionibus praenotata, Capellam spectabit universam I. uti sacrorum hominum coetum atque Collegium, II. ut Aulam, et Militiam

sequi paratam, atque adeo datis occasionibus ambulatoriam: III. uti certis inclusam locis, ac proinde defixam, et permanentem. Secundus quasi episcopalem Capellani majoris jurisdictionem in suo statu antiquo novo, et novissimo explicabit, ejusdemque legitimos, unde derivatur, fontes attinget. Pari ratione, ac methodo de jure collativo Regis in regiam Capellam disseret. In tertio denique libro liturgicae res expedientur, et primum de Palatina liturgia proprie dicta sermo erit, tum de insignioribus Aulae caeremoniis, quae sacrum involvunt officium. Nemo tamen illud mihi vitio tribuat, quod minutissima quaedam de loco, sede, pulvinari, tapeto, et aliis hujusmodi saepe adnotaverim: non enim temere id a me factum debet existimari. Quippe constat, in caeremoniis sive civilibus, sive ecclesiasticis saepissime ob levissima quaedam illius generis, turbas, quaestionesque excitari gravissimas, quae nulla sane meliori ratione compesci, ac dirimi possunt, quam prolatis anteacti temporis exemplis. Praeterea in hisce describendis caeremoniis, latini sermonis elegantiam servari haud potuisse, nonnullas quoque usurpandas fuisse voces, quae latinam puritatem minime sapiunt, aequus, et sapiens quisque facile intelliget, veniamque dabit. Adjungo in calce Operis hujus Regni Capellanorum majorum syllabum, cujusque libri Capitum, et paragraphorum recensionem, et monumentorum Regiae Capellae Syllogem. Haec sane pauca praefari aequum duxi

Digitized by Google

I.

Regii Capellani, quorum in privilegiis Rogerii I. Comitis, et filiorum apud Pirrum fit mentio.

Ego Rogerius Comes Siciliae, et Calabriae laudo chartam istam, et concedo scriptam de rebus his praesignatis in honorem S. Mariae Pan. Ecclesiae: confirmo quoque eam meo sigillo per manum Raynaldi mei Capellani apposito VII. die Novembris Ind. X.

In Not. Eccl. Pan. ad ann. 1087.

Ego Geroldus Capellanus Domini Rogerii Comitis similiter.

Ex Not. Eccl. Cat. ad ann. 1092.

Datum in Civitate Mazaria per manus Roberti de Urbe Capellani, et Cancellarii nostri anno dom. Incarn. 1093 Mense Octobri primae Ind.

Ex Not. Eccl. Mazar. ad ann. 1093.

Facta est autem haec concessio, et confirmatio in praesentia . . et Falconis Medici, et Capellani, qui hanc chartam manu propria scripsit.

Ex Not. Eccl. Pact. ad ann. 1094.

Petrus Magister Capellanus ipsius, et Petrus alius presbyter, et Stephanus alius presbyter.

In Not. Eccl. Cat. ad ann. 1120.

Ego Guillelmus Domini Comitis Capellanus subscripsi. Ego Guannus Domini Comitis Capellanus subscripsi.

In Not. S. Luciae de Montaneis ad ann. 112...

Ego R. monachus Capellanus Domini Regis subscripsi.

Ex Not. Eccl. Mess. ad ann. 1131.

Porro ad indicium, et corroborationem hujus nostrae confirmationis, praesentis privilegii paginam per manum Gualterii nostri Capellani scribere, et sigillo nostro Mense Julii praecepimus communiri.

Ex Not. S. Philippi de Agyrio ad ann. 1139.

II.

Comes Rogerius Ecclesiam Castri Troinae Roberto assignat.

Sigillum factum a me Rogerio Calabriae et Siciliae Comite, datum ad te Robertum Venerabilem fidelem nostrum mense Decembri, anno ab initio mundi 6589 (1). Quia ego praedictus Comes Rogerius proposueram in anima meo debellatis per Dei auxilium inimicis divini nominis, Ecclesias sanctas Dei ab ipsis infidelibus tyrannice in Sicilia dominantibus devastatas, ad pristinum reducere statum, ut divinum nomen magnificetur, et Christi fideles in illis di-

(1) Hujus privilegii e graeco latine redditi annus 6589 anno Christi respondet 1081 Nam Pirrus rei nostrae diplomaticae peritissimus in Not. Eccl. pan. ad ann. 1145 ostendit, Siculos olim ad eam Graecorum sententiam adhaesisse, quae statuebat, Christum natum esse post annum ab Orbe condito 5508 et primum Christi annum incidere in annum mundi 5509. Quare si rejicias ab annis mundi, annos 5508 numerus residuus communis, et vulgaris aerae, qua nunc utimur, annum designabit.

Digitized by Google

vina officia explerent, et *Deum efficacius exorare pro toto genere Christiano commodius possent; ob ipsam eamdem causam Ecclesiam* in Troynensi Castro *construere feci, illamque necessariis supellectilibus*, et *ornamentis ornavi, bonisque ad sustentotionem ditavi*, et *Praesbyteros in ea statui, ut divina, sacratissimaque sacramenta Christifidelibus*, et mihi *ministrarent, divinamque doctrinam*, et *sacrosanctae Catholicae fidei dogmata cunctis communicarent*, et *ut ab eorum sermonibus Christianum genus incrementum reciperet. Hanc igitur Ecclesiam nostram tibi trado ad gubernandum una cum Praesbiteris in ea statutis*, ut *Deum exores pro salute animae meae*, et *omnium Militum, qui mecum ad acquisitionem istius Insulae Siciliae venerunt*, et *eorum etiam, qui pro Christ. fide tuenda contra perfidos Saracenos militando perierunt*, ut *misericors Deus remittot omnibus nobis*, et *illis commissa scelera*, et *ad gloriam perducat sempiternam. Tibi igitur sit cura*, et *Ecclesiam*, et *Clerum praedictum regere*, et *sicut convenit gubernare, Christi fideles in divina lege instruere*, et Mihi cum in dictam Ecclesiam me conferam *pro adimplendis sacris praeceptis benigne assistere*, et *opportuna ministrare. Insuper potestotem habeas super omnibus bonis ipsius nostrae Ecclesiae, praediis, juribus, censibus Villanis*, et *aliis ex meo dono habitis*, vel *ex largitate aliorum fidelium habituris*, et *ea tam in manutentione ipsius Ecclesiae, quam substentatione tua*, et *Cleri praedicti convertere possis nullo tibi contradicente, sive nostro Conjuncto, sive extraneo*, et *quicumque praesumpserit, hoc sigillum meum infringere in indignationem nostram*, et *meorum Successorum incurrat*, et *cum Juda Ischariota in aeternum pereat. Ad hujus sigilli mei vero perpetuum robur firmitatis, idem sigillare feci consueta mea bulla ecrea anno*, et *mense praescriptis*.

Ex Codice cui titulus Tabularium Ecclesiae Mess.
adservato in Bibl. publica h. U. Pan.

III.

Donatio facta Ecclesiae Troinensi a Malagerio
Rogerii Comitis filio.

In nomine Sanctae, et *Individuae Trinitatis, Patris*, et *Filii*, et *Spiritus Sancti. Anno ab Incarnatione Domini nostri Redemptoris Jesu Christi MLXXXXIV. Mense Majo, Indictione Secunda. Regnante in Sicilia Domino Rogerio Comite Patre meo. Ego Malagerius filius dicti Domini Comitis, memor illius moniti: Multum valet deprecatio justi assidua apud Omnipotentem Deum. Permittente igitur dicto Domino Comite Patre meo*, donavi, et *dedi Venerabili Ecclesiae Dei. Genitricis Mariae*, et *Capitulo ejusdem Ecclesiae, quae a dicto Domino Patre meo* in Castro Troynae ad commodum signanter suum, et *suae* Familiae *fuit extructa, pro Deo*, et *remedio animae meae*, et *animarum ipsius Domini Comitis Patris mei, Dominae Matris meae*, et *Gloriosissimi Roberti Guiscardi Patrui mei*, et *pro redemptione animarum Gaufridi*, et *Iordani Fratrum meorum jam defunctorum, culturas terrae duas de Patrimonio meo, quarum una est subtus Rhocam Fragudi*, et *altera in monte Blasii, ut Capitulum dictae Ecclesiae indefesse quotidie deprecarentur Omnipotentem*, et *Immortalem Deum pro salute animae meae*, et *omnium praedictorum parentum meorum. Hanc igitur Scripturam de meo mandato scripsit Antonius de Lamensa Notarius dicti Domini Comitis Patris mei, quam tibi F. Praep. dictae Ecclesiae trado ad cautelam in praesentia P. Burrello, Regii*

Cappellani Comitis. P. Cappellani dictae Ecclesiae, Rop. Butyri, Brogi Saraceni, Licopetri Clerici, Arnaudi Comessi, Nicolai Zinna, Petri de Ragusia, et Gisului Baji. ✠ *Ego Malagerius Domini Comitis Rogerii Filius dono, et concedo.*

Ex Codice, cui titulus Tabularium Ecclesiae Mess. existente in publica Bibliotheca h. Urbis Pan.

IV.

Ortam de decimis inter Barones, et Episcopos litem, Comes Rogerius adhibito prudenti temperamento componit.

Lis atque contentio decimarum inter Episcopos Siculos habita fuit, et Terrarios, quae Mazariae coram Comite Rogerio et omnibus Episcopis, et Terrariis sedata sic, et pacificata. Namque Comes Rogerius Episcopis decimas suas, quas tunc temporis in propria manu sua habebat, concessit habendas, *de quibus Episcopi convenienter Comitis debeant deservire Ecclesiis per Civitates, et Castella constitutis; concessit etiam Comes Rogerius Episcopis decimas Terrariorum habendas et ordinandas: Episcopi autem tertiam* (1) *partem decimarum Terrariorum concessere Capellis, quae in Castellis Terrariorum sunt, et Praesbyteri illam etiam partem ab Episcopo habeant, et eos recognoscant, et ad Synodum veniant, si peccaverint secundum justitiam et episcopales consuetudines puniantur, et quod justum, Episcopis suis persolvant. Si autem Terrarius aliunde Praesbyterum notum vel ignotum Capellanum facere voluerit, ad Episcopum prius adducatur. Qui Praesbyter sit dignus, qui servire debeat in Capella, quae in Castello Terrariorum est, et Praesbiteri ab Episcopis, si opus erit, habiti idonei etiam ad Curiam Papae pergant e suis Ecclesiis, et redeant ad Episcopos: Episcopi vero in Capella illius alium ponant, qui ibi Terrariis divinum faciat officium; et si idonei non fuerint Praesbyteri vel alia occasione, vel reverentiam non praestent Episcopis.* Si vero Terrarius in Casalibus Capellam facere voluerit, Capellanum per Episcopum non habebit, ipse illius Casalis habebit decimam. *Et siquando haeres meus alicui dederit Civitatem, in qua Episcopus sit, sicut Agrigentum, vel Castellum sicut Saccam, eorum decimae erunt Episcopi Civitatis ipsius, aut Castelli, sint decimae in manu ipsorum Episcoporum, sicut primitus fuerant. Capella vero Domini serviatur convenienter. Testibus Rogerio de Barnavilla, Petro de Morevigno, Donebono Marchione, Riccardo Bonello, Joslino Bonello, Riccardo Avanello, Herveo Bocello, Roberto de Surdovalle, Pagano de Gargis, Berardo Guarino, Escirata Buscellino, Collo Ferrato.*

Ex Tabulario Eccl. Agrig.

(1) Pro particula *etiam*; ut est apud Pirrum; legi debet tertiam: sic enim concordat hoc documentum cum altero, quod num. VIII. afferemus.

V.

Gualterius pan. Archiep. cum aliis duobus Episcopis Deo, et B. M. Virgini dedicat Ecclesiam Georgii Admirati, et assentiente Comite Rogerio, et Capitulo ab omni episcopali jure absolutam Apost. Sedi transcribit.

Spiritus S. virtus nobis adsit.
Ad futuram rei memoriam.

Omnibus innotescat tam praesentibus quam futuris Christi fidelibus, et Dei et Romanae Ecclesiae filiis; qualiter ego Gualterius pan. Ecclesiae humilis Archiepiscopus insimul cum duobus aliis Episcopis Guillelmo scilicet Syracusano, et Guarino Agrigentino quamdam Ecclesiam ab egregio Domino Georgio Admirato Regni Siciliae, in qua Clerus Graecus *divina explet officia, Domino nostro Rogerio Comite Siciliae, et Calabriae, filio Rogerii Magni Comitis in Panormo residente, dominante, et permittente dedicavi in honorem Dei, et Beatae ejus Genitricis Mariae liberam, et quietam ab omni consuetudine et spontanea voluntate mea, et generali assensu totius Capituli praefatae Matris Ecclesiae, Ecclesiam antedictam Beatae Mariae Virginis* a nostra subjectione, et episcopali jure omnino eximimus, *et absolvimus, pontificalisque potestati remisimus, et assignavimus. Hoc autem actum est anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi mill. centes. tertio decimo Indictione sexta.*

Hujus vero tantae libertatis praefatae Ecclesiae concessae interfuerunt, audierunt, et se testes subscripserunt.

Gualterius praefatus Archiep. Pan.
Goffridus Messanensis Archiepiscopus.
Guarinus Agrigentinus Episcopus.
Guillelmus Syracusanus Episcopus.
Guillelmus de *Gratterio.*
Herbertus Buccellus.
Matthaeus Durellus.
Reginaldus de *Turono.*
Robertus Burellus.
Robertus Maleconrenat.
Et quamplurimi alii egregii homines.

Ex Archivio Archiep. Curiae h. Urbis.

VI.

Petrus Pan. Archiep. palat. Capellae totum Castellum superius cum regali Palatio in Paroeciam assignat.

Rogerio Dei Gratia Siciliae, et Italiae Regi Serenissimo atque Invictissimo Domino suo Reverendissimo suisque heredibus ec.

Petrus eadem gratia Panormitanae Sedis Archiepiscopus cum generali ejusdem Ecclesiae Capituli assensu in perpetuum. Illi non immerito per recompensationem debitores efficimur a quo honorificentiam ac beneficium assidua largitione Ecclesia Panormitana recipere cognoscitur. Ea propter Rex benignissime vestris postulationibus devotius annuentes Capellam vestram in honorem Beati Petri Apostolorum Principis intra Castellum superius Panormitanum fun-

datam exaltare, et Parochiali dignitate inrefragabiliter munire decernimus; praesertim cum jam dicta Capella tam Canonicali honore quam, et reliquis beneficiis per vestrae Majestatis munificentiam decorata regaliter resplendeat. *Nos igitur voluntati vestrae sincere providentes Canonicorum nostrorum, et Capituli communi assensu concedimus, et praesentis privilegii authoritate firmamus supranominatae Capellae vestrae* Ecclesiam Sancti Andreae, *quae sita est juxta murum Panormitanum cum Coemeterio sufficienti habendam illi et possidendam etiam ejusdem Capellae Canonicis per hujus traditionis paginam* jure perpetuo: adjicimus quoque ei in Parochiam Castellum Panormitanum cum universo Regali Palatio, *et omnibus in eo degentibus Capellanis Clericis omnibus Capellae, et servientibus Castelli cum domesticis suis. Siqua igitur in posterum magna humilisve persona hujus nostrae concessionis paginam violare tentaverit a Sanctae Matris Ecclesiae gremio se sentiat alienam. Ad hujus autem nostrae concessionis indicium sigillo nostro insigniri et subscriptis Testibus roborari praecepimus. Facto Pan. anno Dominicae Incarnationis* 1132 *Ind. X. Regni vestri secundo.*

Ego Petrus Dei gratia Panormitanus Archiepiscopus.
Ego Henricus Panormi Archidiaconus ss.
Ego Joannes Cantor ss.
Ego Hubertus Canonicus ss.
Ego V. V. Pan. Canonicus ss.
Ego Robertus Canonicus ss.
Ego Fulcous ss.
Ego Alebertus Presbiter ss.
Ego .....lem subscribo ss.
Ego Rogerius Canonicus ss.
Ego Arnulphus Canonicus ss.
Ego Simon Canonicus ss.
Ego Joannes Ravè Canonicus ss.
Ego Stephanus Canonicus ss.
Ego Henricus Canonicus ss.
Ego Thomas Canonicus ss.
Ego Tiberius Canonicus ss.
Ego Petrus Canonicus ss.
Ego Guarinus Magister Capellanus Cancellarius.

Ex originali existente in Thesauro Palat. Capellae.

VII.

Palat. S. Petri Capellam Rex Rogerius instituit cum Canonicorum Collegio, quibus pingues assignat praebendas.

In Nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis. Rogerius divina favente Clementia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae. Novere gentes, et populi per mundi climata constituti per quot, et quantos sudores bellicos, quantoque vitae discrimine Praedecessores, et Progenitores nostri, piae recordationis, et beatae memoriae Robertus Guiscardus Patruus noster, Rogerius Comes Pater noster, et caeteri Patrui nostri, atque consanguinei, ab inimicis Fidei Christianae Saracenis miserabiliter occupatos universos fines Siciliae, Calabriae, Apuliae, et Longobardiae suo dominatui subjugarunt. Quibus Om-

nipotentis Dei inaestimabilis benignitas misericorditer cooperata; Nobis misericordius, langeque copiosius gratiam suam ampliavit. Non solum eam, quae Patri nostro contigit acquisitionem, verum etiam omnium eorum labores, et parta nostrae ditioni subjecit, et potestati. Sacrosanctae igitur Matris nostrae Romanae Ecclesiae authoritate, et Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Principum, Comitum, Procerum, Cleri Regni nostri, et totius populi communi consilio, Regnum, quod multis jam evolutis temporibus dissolutum erat, benignitate Redemptoris diebus nostris rediit in statum pristinum, et formam Regni integram, et perfectam honorificentius decoratam, et magnifice sublimatam. Aspirante itaque nobis septifarmi Salvatoris gratia ad honorem Dei, cujus misericordia nostra prosperantur in melius, et Beatae Virginis Mariae, omniumque Sanctorum, titulo B. Petri Apostolorum Principis intra nostrum Regale Palatium, quod est in Urbe Panarmi, Ecclesiam summa cum devotione fabricari fecimus. Ita quidem, ut nulli Personae liceat in ea sibi aliquid vendicare, nisi per nos, aut eos, qui nobis in Regno succedent. *Nos autem pro salute animarum Praedecessorum nostrarum Roberti Guiscardi, et Rogerii Comitis Patris nostri, et Matris nostrae Adelasiae, et Alvirae Reginae Uxoris nostrae, et Filiorum nostrorum, et omnium Parentum nostrorum, et eorum omnium, qui in acquisitione Siciliae studium impendere, pro nostrorum etiam remedio peccatorum, eorumque omnium, qui praedictam Ecclesiam ju.erint, et dignitatem ejus custodierint; nomine dotis in praesenti damus ei pro Coemeterio Ecclesiam Sancti Georgii novam, hoc tenore ut nulli liceat Persanae aliquid de bonis ejusdem Ecclesiae subtrahere, aut auferre. Octo autem ibidem praebendas constituimus: duas earum in redditibus septingentorum tarenarum ad granum unum, cum vineis, et domibus suis, et terris, sicut divisum est in alia Privilegia* (1), *singulis annis singulos harum duarum accipere frumenti modios sexaginta, et totidem hordei; et singulas itidem harum duarum praebendarum septingentos tarenos accipere. Item quatuor alias praebendas in redditibus quingentorum tarenorum cum vineis, et domibus suis, et terris, sicut divisum est in alio Privilegio, et singulis annis frumenti modios quadraginta, et totidem hordei per singulas. Duas etiam alias, quae cum sint hujus Ecclesiae, ordinatae, tamen sunt in Capella Reginae bonae memoriae Alvirae, in redditibus ducentorum tarenorum ad granum unum, cum domibus, et vineis, sicut divisum est in alio Privilegio, et singulis annis frumenti modios viginti duos cuique. In Ecclesia vero confessionaria pro personis ibidem servientibus ducentos, et quinquaginta tarenos, et frumenti madios viginti sex. Et constituimus, ut redditus omnium tarenorum de Molendinis Urbis Panormi proveniat, medietas in Nativitate Damini, et alia medietas in Pasqua; Victualia vero Thermis in mense Augusti. Siqua vero Personarum, cui praedicti redditus sunt statuti, decesserit, praebendae Victualia tam pro Vicario, quam pro cultu vineae, et domus utensilibus interim conserventur. Siquid erit residuum Christi pauperibus, erogetur. Tareni vero praebendae in manu Regis sint, ut aut usibus Ecclesiae applicentur, si ita res exigat, aut pauperibus Christi distribuantur. Hoc antem dispositum, et constitutum est pro salute Praedecessorum nostrorum, et peccatorum nostrorum, haeredumque nostrorum remedio. Filiis nostris committimus, et commendamus, ut sicut ipsius Dei, et nostram Benedictionem, et gratiam promerere desiderant, sic quisque pro sua persona diligentissime studeat custodire. Siqua vero Persona de Regno nostro huic nostro privilegio contraire tentaverit; pro*

(1) *Hoc privilegium deest.*

qualitate commissi, tanquam sacrilegus, et Regiae Maestatis reus, poenae condignae subjaceat. Quod si persona de Regno non fuerit, quae nostra sancita violare praesumpserit, Anathematis gladio fodiatur, et Omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti iram sentiat sempiternam, nisi resipuerit, et congrua satisfactione correxerit. Amen. Amen. Amen.

Datum Panhormi per manum Roberti Cancellarii die dedicationis Ecclesiae (1) *quarto Kalendas Maii Indictionis tertiae, Incarnationis Dominicae ann.* 1140 *Regni vero Excellentissimi Regis Rogerii anno decimo. Et totum superius apertissime declaratum sigillari, et insigniri fecimus Chrysobullo regali nostro.* Ex Thesauro Capellae Palatinae.

VIII.

Agrig. Diocesis Barones, et Terrarii jubentur a Rege Rogerio decimas Episcopo solvere, retenta sibi tertia illarum parte, juxta concordiam anni 1097.

Rogerius Dei gratia Siciliae, Apuliae, et Calabriae Rex Baronibus, et Terrariis in Agrig. Diocesi constitutis salutem, et dilectionem. Universitatem vestram volumus non latere; quia Patris nostri piae mem. Rogerii Comitis institutionem prosequentes, controversiam inter Episcopum, et Vos de decimationibus vestris hactenus habitam curamus decernere. Mandamus igitur, et praecipimus vobis, quatenus unusquisque vestrum decimationem suam Episcopo suo in integrum persolvat, nulla tertiae partis retinendi habita occasione, nisi forte qui Castellum habuerit; cui concessum a retro temporibus extitit, ut ad serviendum Capellae suae tertiam decimationis suae partem retineat. ec.

Ex monumentis Ecclesiae Agrig.

IX.

Rex Rogerius pristinas donationes confirmat Ecclesiae Troynensi.

In Nomine Dei Eterni, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Rogerius Divina favente Clementia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae. Noverint universi, quod cum nos apud Messanam moram traheremus ad nostrae praesentiam Majestatis accersitus Guirardus Venerabilis Troynensis, et Messanensis Ecclesiarum electus petiit a nobis sibi, suisque Ecclesiis Donationum, et jurium privilegia per egregium Comitem Rogerium, olim Reverendum Patrem nostrum sanctae memoriae illis concessa, et assignata confirmare. Nos vero cultum Dei, suarumque Ecclesiarum dilatare, et augere volentes, et Ecclesiastica bona intucta permanere; praesertim agnoscentes Troynensem Ecclesiam primam fuisse a dicto Comite Patre nostro extructam, et ad sui usum excitatam, *multisque praerogativis ornatam, et ad Episcopatum denique evectam, favorabiliter illam pertractare volentes, eidem Venerabili Electo, dictisque Ecclesiis omnia jura, bona, possessiones, et privilegia ab eodem Comite illis attributa, et concessa, pro ut in suis privilegiis continetur, pro salute animarum ejusdem Comitis Patris nostri, Ducis Roberti Guiscardi, a quo omnis gloria nestra promanavit, omniumque parentum nostrorum,*

(1) *Privilegium consecrationis extat aliud cum subscriptione omnium Graecorum, et Latinorum Sacerdotum ei consecrationi adstantium, in libro Reg. Monarchiae fol.* 63.

Digitized by Google

meorumque veniam peccatorum, confirmamus et de novo concedimus. Ad hujus saue nostrae confirmationis, et novae concessionis memoriam, et inviolabile firmamentum, praesens privilegium scribi, et bulla nostra plumbea insigniri jussimus. Datum Messanae per manus Magistri Thomae anno Incarnationis Dominicae MCXLIII. mense Majo Indictione VI. Anno vero Regni Rogerii gloriosissimi, et famosissimi Regis tertio decimo feliciter. Amen.

Ex citato Tabulario existente in pubblica Bibliotheca h. U.

X.

Catan. Electus petente Rege Rogerio concedit Reg. Capellae tertiam partem decimarum Castrijoannois, et Aydonis.

Dudum ego J. Catanensis electus solito de more Curiae ante conspectum Domini nostri Rogerii Regis gloriosissimi pro agendis negotiis Ecclesiae Catanensis praesentibus quibusdam honestissimis et religiosissimis ejusdem Ecclesiae Monachis, adstitissem, idem Dominus noster Rex juxta antiquam Magnatum Regni sui consuetudinem, quam ipsi de Tonnariis terrae suae dandi Capellanis suis antiquitus habuere, petiit, quod Ecclesia Catanensis, quantum ad eam spectat, id juris, idque consuetudinis, quod Barones sui, ut praefatum est, possideut, ei suisque haeredibus concederet; quod quia justum, et rationabile consilio praesentium fratrum communicato, esse cognovi, justae dignaeque petitioni tanti Regis acquiescere dignum duxi. Reversus igitur ad matrem meam Ecclesiam universis fratribus congregatis praefatam Domini nostri Excellentissimi Regis petitionem attentius insinuavi, cui fratrum universitas consulta ratione communem praebuit assensum: haec itaque supradicta tam ego, quam universi fratres nostri aequanimiter volumus et Domino Regi suisque haeredibus in perpetuum habere concedimus, et hoc scripto nostro confirmamus, sicut in praesenti subscripto dispositum, et stabilitum continetur. Dispositum autem pariter, et stabilitum est in praesentia Domini Regis inter Ecclesiam Catanensem et Capellanos Domini Regis de Civitate Castrijoannis pertinentiis, et beneficiis, quae ipsis Capellanis jure pertinent, videlicet de omnibus decimis, et Terris Baronum Castella non habentium, ut de omnibus supradictis, praefati Capellani habeant tertiem partem *exceptis omnibus oblationibus mortuorum, et offerendis, quae Ecclesia Cathaniae debet habere, de quibus sua perficiantur servitia: praeter illas, quas Capellani Domini Regis habituri sunt de Balio, et Lombardia, quae sunt de Capella Castelli, sub quorum cura, et providentia ipsa Capella est:* de Adona siquid sic ordinatum est, quod Capellani Domini Regis habeant tertiam partem omnium decimarum Adonae pertioentium; *et Ecclesia Catanensis reliquas duas partes et offerendas omnes tam vivorum, quam mortuorum tali conditione, quod a Capellanis Domini Regis nihil requirant, sed quietos, liberos, et absolutos dimittant absque omni servitio. Ut autem haec supradicta nulli Successorum nostrorum deinceps liceat immutare, Catanensis Ecclesiae, fratrumque auctoritate corroboramus, et ejusdem sigillo signamus. Actum Panormi in mense Junio Domin. Incarnat.* 1145. *VIII. Indict. Regni vero magnifici, et gloriosissimi Domini Regis Rogerii Dei gratia Regis Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae anno XV. feliciter, Amen.*

Apud Pirrum in Not. Ecclesiae Catan. ad ann. 1145.

Digitized by Google

XI.

Rex Rogerius Fr. Joannem de Nusco Capellanum majorem, et Confessarium sibi constituit, cum privativo jure in Reg. Capella celebrandi.

Immo potius volentes Abbatem ipsius Monasterii inter caeteros Praelatos Regni nostri debere aequali speciali privilegio dignitatis gaudere; eumdem, et omnes sibi succedentes canonice in officio Abbatiae Consiliorios, Familiares nostros eligimus: statuentes, ut idem Abbas semper in omnibus Festivitatibus sollemnibus tamquam praecipuus Capellanus noster, *quem nobis Patrem ordinavimus, et specialissimum Confessorem*, ad celebrandum divina in Capella supradicti nostri Palatii Panormi, Praelatis Regni nostri caeteris praeponatur; *ut qui nobis in nostro Palotio majori vicinitate laetetur, ampliori gaudere debeat praerogativa honoris, nec alius Praelatus praeter sui conniventiam, et consensum, vel eo invito, in praedictis Festivitatibus in Copella praedicta celebrare praesumat.*

Ex privilegio, quod integrum refert Pirrus in Not. S. Jo. de Eremitis.

XII.

Privilegium immunitatis a Rege Guillelmo concessum Clero, et Capitulo Troyn. Ecclesiae.

Guillelmus divina favente clementia Rex Siciliae, Ducotus Apuliae, et Principatus Capuae. Universis personis per Curiam nostram statutis, sive statuendis super recollectione jurium Collectarum ipsi nostrae Curiae debitarum in hoc nostro Regno Siciliae, volumus esse notum. Quod Ecclesia Castri Civitatis nostrae Troynae sub vocabulo S. Mariae inter alias Regni Ecclesias specialiter honorari meretur, ex eo quia ab Invictissimo Avo nostro Excellentissimo Comite Rogerio beatae memoriae extructa tamquam primogenita praedilecta, et dum sibi comes vita fuit, ad suum spiritualem usum destinata fuisse videtur. *Idcirco volentes, eamdem aliqua speciali gratia insigniri, Clerum, et Capitulum ipsius in honorem Omnipotentis Dei, et gloriosae suae Genitricis Mariae, ac in memoriam dicti Regii usus, a quacumque Collecta per Curiam nostram imposita, sive de caetero inponenda eximimus, et exemptos esse volumus, et jubemus. Mandantes vobis districteque praecipiendo, quatenus formam praesentis nostri privilegii attendentes, ab eodem Capitulo seu Clero, et unoquoque ipsorum dictae nostrae Ecclesiae inserviente pro Collectis proedictis per nostram Curiam impositis, et forte imponendis, nihil petatis, vel ab aliquo exigi permittatis. Ad hujus autem gratiae nostrae memoriam et inviolabile firmomemtum, praesens privilegium per manus Sanctorii nostri Notarii scribi, et sigillo nostro impendenti jussimus roborari. Datum in Urbe nostra Panhormi, mense Augusto, Secunda Indictione, Anno ab Incarnatione Domini 1169 Regni vero nostri anno IV. feliciter. Amen.*

Ex Codice cui titulus, Tabularium Ecclesiae Mess. in pubblica Bibliotheca h. U.

XIII.

Excerpta ex Epistola Petri Blesensis ad Capellanum majorem Regis Siciliae.

Diu est, quod rumor insonuit, et pubblice jam crebrescit, quod Dominus tuus Rex Siciliae salutis suae, et paternae traditionis oblitus cum Comite Loritelli in ruinam, et desolationem Agrigentinae Ecclesiae conjuravit. Intendit episcopare Fratrem Comitis, et ipsum reclamante Capitulo violenter intrudit. Tu vero cùm scias eum statuum esse, et truncum inutilem, miror, quod non ascendis ex adverso, et te pro domo Israel non opponis . . . . Si non annuntiaveris impio impietatem suam, ipse in impietate sua morietur, et ejus animam de tuis manibus requiretur. Ovis tua est, et in periculum tuum ipsius custodiam suscepisti. Vide ne alios imiteris, qui lac et lanam quaerunt in Ovibus non salutem. Periculosum est tibi, si in Tonsoris officium convertas ministerium pastorale ec.

Habetur haec Epistola inter Opera Petri Blesensis, et in Bibliotheca historica Carusii Tom. II.

XIV.

Gualterius Archiep. pan. veniam obtinet a Rege Guillelmo diruendi Capellam D. M. Magdalenae, ubi defunctorum Regum corpora condebantur.

In nomine Domini, et Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ejusdem Incarnationis 1187 mense Martii, Indict. V. Regni vero Domini nostri Gillelmi Dei gratia gloriosiosissimi Regis Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae anno XXI. feliciter amen. Ad posteritatis memoriam, et recordationis perpetuae firmamentum. Ego Gualterius indignus Ecclesiae Panormitanae Minister cum universo Capitulo praesenti scripto declaro, quod a Sacra Regia Majestate postulavimus deprecantes, ut Capellam Regiam Sanctae Mariae Magdalenae muro Matricis Ecclesiae adjacentem, in qua praetiosa corpora illustrissimorum Ducum, et Reginarum recolendae memoriae quiescebant (1), *concederet removenda, et in aliam Capellam paulo remotius ipsa corpora collocanda, pro eo, quod jam dicta Regia Capella (sicut praediximus) Ecclesiae Matrici contigua, et opus fabricae (2) simul, et divinum impediebat officium, quod cum ad preces humilitatis nostrae regia vestra sublimitas annuisset in voto praemissimus nostras apud Deum animas obligantes, quod Capella, ubi jam dicta corpora requiescent, per Clericos nostros serviri cum omni reverentia faciemus, quod, et gratum erit Deo, et animabus ipsis proficiet ad salutem. Clericos autem, qui hactenus in praedicta serviebant Capella cum beneficiis,* quae a Regia Majestate tenebant, Celsitudo Regia pro beneplacito suo constituet alibi servituros. *Ad hanc itaque permissionem confirmandam praesens scriptum per manus Magistri Radulfi Canonici nostri fieri fecimus, tam praedicti, quam omnium Canonicorum attestationibus communitum, et*

(1) Quaenam tum Corpora in eo Sacello sepulta jacebant, indicant Invegius in Pan. Nob. et Amatus de Principe Templo.

(2) Templum maximum a Gualterio Pan. extructum hac nostra aetate sic reaedificatum est, ut ejus pars interior in novam formam mutata sit, exterior veterem adhuc servet, sed hinc, et illinc adulteratam.

Digitized by Google

bulla plumbea typario Ecclesiae nostrae impressa signatum, anno, mense, et indictione praescriptis.

Ego Gualterius S. Panormit. Eccl. Archiepisc. subscripsi.
Ego Mauritius Panorm. Cantor ss.
Ego Henricus Panorm. Can. ss.
Ego Stephanus Panorm. Can. ss.
Ego Rogerius Panorm. Can. ss.
Ego Hugo Panorm. Can. ss.
Ego Petrus de Cifaludo Panorm. Can. ss.
Ego Joannes Panorm. Can. ss.
Ego Robertus de Alberto Panorm. Can. ss.
Ego Petrus Panorm. Can. ss.
Ego Joannes de Messana Panorm. Can. ss.
Ego Guarinus Panorm. Can. ss.
Ego Radulphus Panorm. Can. ss.
Ego Joannes Can., et Thesaur. Panorm. ss.
Ego Guillus Flore Panorm. Can. ss.
Ego Bartholomaeus Panorm. Can. ss.

Ex originali existente in Thesauro Palat. Capellae.

XV.

Henricus Imp. et Rex Siciliae confirmat Reg. Capellae Superiorum Regum concessiones, et privilegia.

Henricus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus et Rex Siciliae. Notum sit omnibus praesentem paginam intuentibus, quod nos per hoc scriptum sigillo nostro roboratum confirmantes privilegia et assisas Capellae Imperialis Palatii nostri Panormi *mandamus; et Imperiali auctoritate praecipimus vobis universis Duaneriis Imperialis Palatii nostri Panormi tam praesentibus, quam futuris quatenus Canonicis Capellae ejusdem Palatii nostri tarenos praebendarum suarum omni occasione postposita tribuatis de redditibus Molendinorum Panormi et Victualia Thermarum sicut in privilegiis ejusdem Capellae, et Duanarum quaternionibus continetur et sicut tempore Regis Guillielmi II. habere consueverunt ipsis Canonicis in integrum persolvatis. Praebendam etiam, quam singulis annis eis dari statuimus, scilicet in Festo Natalis Domini, et Festo Resurrectionis Dominicae in eisdem Festis praedictis Canonicis sine aliqua contradictione donetis. Luminaria quoque pro eadem Capella, et anniversaria trium Regum videlicet Regis Rogerii, Regis Guglielmi I., et Regis Guillielmi II. eidem Capellae congruis temporibus tribuatis. Scituri, quod quicumque vestrum huic Imperiali Edicto contraire praepsumpserit cum rerum suarum jactura iram nostrae Majestatis incurret. Datum Panhormi decimo quinto die Januarii XIII. Indict. Anno Dominicae Incarnationis* 1195.

Ex Archivio Palat. Ecclesiae.

Digitized by Google

XVI.

Collatio facta a Friderico Rege Rom. et Siciliae Canonicatus, et Capellaniae vacantis in Ecclesia Castri Troynae.

Fridericus Dei gratia Rex Romanorum semper Augustus, et Rex Siciliae, Capitulo Ecclesiae nostrae D. Mariae in Castro Troynae, devotis fidelibus nostris salutem. Pro servitiis valde gratis et utilibus, Curiae nostrae praestitis per Clericum Nicolaum de Avenia; et quae praestiturum in antea speramus; de nostra speciali gratia concessimus ei Canonicatum, et Capellaniam *in dicta nostra Ecclesia vacantem obitu Praesbyteri Georgii Nicoxia. Quare fidelitati vestrae praecipiendo mandamus, quatenus praedicto Clerico Nicolao, vel ejus Nuncio pro eo, locum et stallum proprium infallibiliter assignetis, et de juribus et proventibus ipsius Canonicatus, et Capellaniae fideliter respondeatis, pro quanto gratiam nostram caram habetis. Datum Germaniae vigesimo primo Novembris I. Indictionis* 1198.

Ex Codice cui Titulus: Tabularium Ecclesiae Mess. adservato in publica Bibliotheca h. U.

XVII.

Canonici, et Clerici Palatini a Rege Friderico exempti a civicis vectigalibus constituuntur.

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, et Rex Siciliae . . . . Juratis, et Universis, quibus praesentes literae ostensae fuerint, fidelibus suis gratiam, et bonam voluntatem . . . . . . universos Clericos fideles nostros fovere protectionis gratia debemus; Clericos tamen Capellae Palatii nostri Panormi fideles . . . . . taliter tenemur diligere, et favoris nostri benignitate tueri, quanto devotius nostrae celsitudini prae caeteris famulantur. *Cum igitur, sicut audivimus, post recessum nostrum multis gravaminibus, et exactionibus fuerint fatigati; fidelitati vestrae mandamus, et sub obtentu gratiae nostrae firmiter praecipimus, quatenus occasione alicujus Collectae,* (1) *vel Datae, quae inter vos, et in Civitate vestra feceritis, tam a Canonicis, quam a Clericis ipsius Capellae sive pro animalibus, sive pro possessionibus eorum, nihil penitus exigatis, nec eos exinde molestetis, sed ab omni data, et Collecta sint liberi, et absoluti. Scituri quod siquis huic mandato nostro praesumpserit obviare nostri culminis indignationem se noverit incursurum. Datum Norimbergae 3 Decembris V. Indict.*

Ex monumentis adservatis in Thesauro Reg. Capellae.

(1) Contributiones a publica auctoritate indictae; Collectarum nomine veniunt; in medii aevi monumentis. Idem de Datis est observandum.

Digitized by Google

XVIII.

Cantoriam sacri Palatii confert Fridericus primus hujus nominis Rex Siciliae Gualfredo Nepoti Archiepiscopi Messan.

Fridericus Dei gratia Rom. Rex semper Augustus, et Rex Siciliae. Subcantori, et Capitulo sacrae Regiae Capellae Panormi fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Fidelitatem vestram bene scire credimus, qualiter nos Cantoriam ipsius Capellae nostrae Panormi Gualfredo Nepoti Vener. Mess. Archiepiscopi dilecti Familiaris nostri, et Clerico nostro benigne concessimus, *et Serenitatis nostrae literas super hoc vos jam credimus recepisse. Verum sicuti auribus nostris innotuit, de dicta Cantoria integre sibi minime respondetis. Devotioni vestrae iterato damus firmiter in mandatis, quatenus dicto Gualfredo Clerico, et fideli nostro tamquam vestro Cantori benignius intendentes, in omnibus justitiis, et rationibus ejusdem Cantoriae spectantibus debito honore et reverentia intendatis, et respondeatis, mandatum nosrum taliter implentes, ut devotionem vestram exinde merito commendemus. Dat. apud Franchefort 25 Aprilis Indict. VIII.*

A tergo vero

Subcantori, et Capitulo Reg. Capellae Panormi pro G. Cantore.
Extant hae literae in Tabulario Reg. Capellae.

XIX.

Innocentius III. confirmat Benenato Regiae Capellae Tertiario beneficium, quod in ea juste possidebat.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto Filio Benenato Regiae Capellae Tertiario salutem, et Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est, et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Qua propter dilecte in Domino Fili tuis precibus annuentes beneficium, quod habes in Capella Regia Siciliae, sicut illud juste possides et quiete, auctoritate tibi Apostolica confirmamus, *et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani Quarto Nonas Februarii Pontificatus nostri Anno XII.*

Ex originali existente in Archivio Regiae Capellae.

XX.

Constantia Friderici II. Roman. et Siciliae Regis Uxor, declarat Ecclesias, et Capellanos Regios Castrorum subjectos esse jurisdictioni Capellani majoris.

Constantia divina favente clementia Romanorum Regina semper Augusta, et Regina Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae. Licet ex commissi nobis cura Regiminis, Ecclesias universas, et Ecclesiasticas Personas Re-

gni nostri Siciliae, in suis juribus protegere teneamur, propensius tamen nostra propria servare debemus. Hinc est quod cum Presbyter Petrus de Moraldo, Capellanus Ecclesiae nostrae D. Mariae, intus Castrum Civitatis Messanae extructae, nobis repraesentavit, quod Ven. Messanensis Archiepiscopus, ejusque Vicarius Generalis, non advertens ipsum Presbyterum ratione dictae Ecclesiae, sub cura, et gubernatione Ven. Magistri Capellani existere, sicut caeteri Capellani aliorum Castrorum Regni Siciliae, *ipsum Presbyterum in sua Curia convenire praesumit, in non modicam nostri Regalis juris laesionem, et detrimentum; Quare nolentes, ut dignitatibus, et praeeminentiis nostris regalibus ullum inferatur praejudicium, vel laesio, dicto Ven. Patri Archiepiscopo, ejusque Vicario Generali, caeterisque ejus Officialibus, hortamur, et praecipimus, quatenus praedicto Presbytero Petro ulteriorem molestiam ullatenus inferre se abstineant*, et praeeminentias nostras intactas servent *si gratiam nostram caram habent. Datum in Civitate Messanae anno Domini Incarnationis* 1213 *I. Indict.*

Ex Volumine, cui titulus diplomata spectantia ad pan. Ecclesiam, et palat. Capellam, adservato in publica Biblioth. h. U.

XXI.

Rex Fridericus hujus nominis primus Rex Siciliae, Palat. Capellae Canonicum instituit Jacobum de Romanis.

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus, et Rex Siciliae, Subcantori, et Capitulo Capellae Palatii nostri Panormi fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Notum fecimus devotioni vestrae, quod quia cito nobis innotuit de promotione Bartholomaei quondam Cantoris ad Episcopum Syracusarum, de gratia nostra, Statuimus *Jacobum filium Matthaei de Romanis Canonicum in ipsa Capella nostra*, concessimus ei *praebendam quam idem Bartholomaeus renunciavit cum illo beneficio, quod hactenus vobiscum percipiebat in Molendino Monachiae. Quare mandamus vobis et praecipimus, quatenus ipsum Jacobum in Canonicum vestrum recipientes, stallum ei assignetis cum praebenda, tam de communibus, quam de redditibus Molendini de Monachia, sicut dictus Bartholomaeus hactenus percipiebat, integram eidem Jacobo Canonico vestro detis portionem. Anno* 1215 15 *Julii tertiae Indictionis.*

Ex originali existente in Archivio Regiae Capellae.

XXII.

Cardinalis Octavianus gratias habet Capitulo palatino, quod praevia Regis concessione Jacobum de Romanis in Fratrem, et Socium receperint.

Dilectis in Christo Fratribus et Amicis Reverendissimis Capitulo Regiae Capellae Palatii Panormi. Octavianus Dei gratia SS. Sergii, et Bacchi Diaconus Cardinalis salutem in vestra salutatione. Novimus per literas, quas direxistis nobili Viro Matthaeo de Movimento Consuli Romanorum et Comiti Corsiae, et Calinensis, quod sic regia gratia concesserat nobili Jacobo Viro nato ejusdem nobilis Matthaei, stallum, et locum vobiscum in praefata Capella: Vos adimplestis libentissime, *ac liberaliter contulistis eidem, de Societa-*

te ejusdem Clerici, *sicut e Fratre Reverendissimo non modicum congaudentes*. Cum igitur cautum sit tam in Canonico, quam in Civili jure quod jure constitit esse factum, perpetuum habeat monumentum; *non sit onerosum vobis praedictum Clericum habere in socium*, *et in fratrem*, *cum Pater et Consanguinei sui ad majora possint Universitati vestrae respondere in Curia Romana*, *et in Aula Imperiali*. *Quo circa discretionem vestram*, *de qua confidimus*, *attentius deprecamur*, *quod praefatum nobilem Jacobum accipiatis in socium et in fratrem*, *preces nostras taliter admittentes*, *ut vobis obligati teneamur grata exinde vicissitudine respondere ec.*

Ex Pirro in Not. Regiae, et Imperialis Capellae.

XXIII.

Honorius III. Ecclesiam S. Mariae de Admirato, Regiam Capellam vocat, et in Sedis Apostolicae clientelam suscipit, approbatque ut ei Rector, et Clerici Graeci deserviant, dummodo in obsequio R. Eccl. perseverent.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Magistro Matthaeo Philosopho, *Subdiacono*, *et Capellano nostro salutem*, *et Apostolicam benedictionem*. *Sacrosancta Romana Ecclesia devotos*, *et humiles filios ex assuetae pietatis officio propensius diligere consuevit*, *et ne pravorum hominum molestiis agitentur eos tamquam pia mater suae protectionis munimine confovere*. *Quapropter dilecte in Domino Fili tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu*, personam, et Ecclesiam tuam, Capellam Regiam S. Mariae de Admirato in Civitate Panormi, *quam te Canonice proponis adeptum*, *cum omnibus bonis*, *quae in praesentiarum eadem Ecclesia rationabiliter possidet*, *aut in futurum justis modis praestante Domino poterit adipisci sub Beati Petri*, *et nostra protectione suscipimus*, *et sicut eam juste possides*, *et quiete auctoritate tibi Apostolica confirmamus*, *et praesentis scripti patrocinio communimus*. Statuentes, ut per Rectorem, et Clericos Graecos dumtaxat ipsi semper Ecclesiae serviatur, sicuti obtinuit usque modo. *Ita tamen quod iidem in subjectione*, *ac devotione Sacrosanctae Romanae Ecclesiae jugiter perseverent*. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis*, *confirmationis*, *et constitutionis infringere*, *vel ei ausu temerario contraire*. *Si quis autem hoc attentare praesumpserit*, *indignationem Omnipotentis Dei*, *et Beatorum Petri*, *et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum*. *Dat. Laterani X. Kal. Januarii*, *Pontificatus nostri anno quinto*.

Ex Tabulario palatinae Capellae.

XXIV.

Fridericus Imp. et Rex Siciliae confirmat Reg. Capellae Rogerii et Henrici privilegia circa jura praebendarum, et oblationes eidem Capellae faciendas pro luminariis, festivitatibus, et anniversariis Regum.

Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus et Rex Siciliae. *In Principis dextera rerum Status*, *et ad eorum nutum decursus temporis integratur*; *cum ab eorum Progenitoribus pia sunt consideratione disposita robore muniunt firmitatis*, *et laudabiliter facta laudabili prosequuntur assensu maxime ubi divinae spes retributionibus accipitur*, *et remedia interveniunt animarum*. *Ex praesentis igitur privilegii serie universis nostris*

fidelibus praesentibus, et futuris volumus esse notum quod cum in die Beati Stephani Prothomartiris essemus in Capella nostra Palatii Panormi Divinum Officium audituri Cantor, et Capitulum eiusdem Capellae fideles nostri se nostrae Majestati devotissime praesentantes obtulerunt nobis quoddam Privilegium ab Avo nostro inclytae recordationis Rege Rogerio ipsi Capellae, ac Canonicis ipsius indultum quod aurea bulla fuerat insignitum, quam quia quidam instinctu ductus diabolico, et auri cupidine secus a privilegio furtim abscidit sicut dixerunt, et probabiliter videbatur supplicaverunt Celsitudini nostrae ut ipsum innovari privilegium, et nostrae confirmationis faceremus munimine roborari, cujus tenor talis est (1).

Nos igitur attendentes quod praedicta Capella dicti Regis Avi nostri structura fuerit specialis, et in nostrum, haeredumque nostrorum redundat honorem quicquid conferimus obsequentibus in eadem supplicationes dicti Cantoris et Capituli hilariter, et clementer admisimus, et illius intuitu per quem feliciter vivimus, et regnamus, et reverentia Principis Apostolorum, ad cujus honorem est Ecclesia ipsa constructa, ac pro salute nostra, et remedio animarum praefati Regis, et aliorum Regum, ac felicium augustorum parentum nostrorum memoriae recolendae supradictum privilegium de verbo ad verbum sicut superius est expressum renovavimus, et sicut temporibus dicti Regis Avi nostri, et aliorum Regum Praedecessorum nostrorum Canonici praedictae Capellae eo uti consueverunt pacifice, et quiete, confirmationis nostrae munimine perpetuo duximus roborandum. De majori quoque gratia nostra scriptum confirmationis quondam Domini Imperatoris Patris nostri inclytae recordationis super justitiis praebendarum suarum Canonicis ipsius Capellae indultum. Nec non, et oblationem singulis annis in certis Festivitatibus exhibendam, et luminaria pro eadem Capella, et anniversaria trium Regum sicut ea de jure consueverunt habere, ipsis, et eorum posteris in perpetuum confirmamus ad hujus autem renovationis, et confirmationis nostrae memoriam, et robur in perpetuum valiturum praesens privilegium per manus Joannis de Capua Notarii, et fidelis nostri scribi, et sigillo Majestatis nostrae jussimus communiri anno, mense, et Indictione subscriptis.

Datum in Civitate nostra Panormi Anno Dominicae Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo quinto mense Januarii XIII. Indict. Imperii Domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, et Gloriosissimi Regis Siciliae anno quinto Regni vero Siciliae vigesimo septimo feliciter Amen.

Ex Thesauro Reg. Capellae.

XXV.

Capellaniam Castri Geracii confert Fridericus Imperator, et Rex Siciliae Nicolao palat. Capellae Tertiario.

Fridericus Dei gratia Rom. Imperator semper Augustus, Jerusalem, et Siciliae Rex. Notum facimus universis, quod Nicolao Tertiario Capellae sacri Palatii nostri Panormi fideli nostro, ad supplicationem ipsius Tertiarii, Capellam Castri nostri Geracii in Sicilia, quae ad Collationem nostram spectare dignoscitur, cum idem dictus Nicolaus Clericus vacari asseruit ex obitu Presb. Roberti de Geracio, qui ex concessione quondam Comitis Aldoyni tunc

(1) Relatum habetur sub nom. VIII.

Domini ejusdem Castri tenebant, de gratia nostra concessimus (*si vacat*) *cum omnibus justitiis*, *et rationibus suis*. *Ad cujus concessionis nostrae memoriam praesentes literas fieri*, *et sigillo Majestatis nostrae jussimus communiri*. *Dat. Corneti 8 Martii XIII. Indict.*

Extant hae literae in Archivio Palat. Capellae.

XXVI.

Occasione litis motae inter Pact. Episcopum, et Gregorium Mustacium de Casali S. Luciae, Fridericus Imper. pro eo, quod regiis addixit deliciis, aliud Sinagrae cum juribus suis Praesuli assignavit.

In nomine Dom. nostri Jesu Christi anno ab Incarnatione ejus 1250 mense Decembris IX. Indict. Imperante Dom. nostro Friderico Dei gratia Invictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, *et magnifico Jerusalem*, *et Siciliae Rege Imperii ejus ann. 31 Regni Jerus. 26 Regni vero Siciliae 53 feliciter amen*.

Dum nos Riccardus de Montenigro M. Imp. Curiae Mag. Justitiarius dudum apud Melfiam Curiam regeremus assidentibus nobis Roberto de Panormo, *Andrea de Capua*, *et Durando de Brundusio ejusdem Curiae Judicibus*: *Joannes Gallina Procurator Dom. Gregorii Mustacii*, *quod constitit contra Jacobum Clericum Procuratorem Dom. Philippi Vener. Pact. Episcopi*, *libellum proposuit in hunc modum*: *proponit Joannes Gallina Procurator Dom. Gregorii Mustacii*, *quod constitit contra Jacobum Clericum Procuratorem Dom. Pact. Episcopi*, *de quo similiter constitit*, *dicens*, *quod cum idem Gregorius teneret*, *et possideret ex dono*, *et concessione Dom. nostri Ser. Imperatoris Casale S. Luciae cum omnibus juribus*, *justitiis*, *et pertinentiis suis*; *propterea*, *quia licet in Pactensi Ecclesia*, *ad quam ipsum Casale pertinere dignoscitur*, *tunc esset electus*, *quia tamen plenam administrationem non habebat ipsius Casalis*; Collatio ad Dom. nostrum Imperatorem spectabat ex antiqua dignitate quam habet in Ecclesiis vacantibus Regni, *sicut Imperialis Majestas in privilegio sibi indulto non ad supplicationem ipsius Gregorii*, *sed ex mera liberalitate sua manifeste declarat*, *idem Dom. Episcopus suggerens Imper. Majestati*, *quod eadem Ecclesia non vacaret tempore concessionis ipsius*, *et contra verum assereret*, *in eadem electum*, *et confirmatum esse*, *obtinuit*, *et impetravit literas imperiales ad Comitem Capuae*, *ut super hoc veritate quaesita*, *si de suggestione facta per eumdem Episcopum constaret*, *possessionem ipsius Casalis sibi restitueret*, *et sic idem Comes ipso Gregorio absente*, *et non citato*, *neque legitime vocato*, *et ejus rationibus inauditis*, *mandavit*, *eumdem Gregorium destitui possessione Casalis praedicti*, *et assignari eam parti dicti Episcopi per Dom. Guglielmum Villanum Justitiarium in Sicilia citra flumen salsum*, *qui Dom. Guglielmus eumdem Gregorium possessione Casalis ipsius destituit*, *assignans eam parti Episcopi memorati*, *et sic idem Gregorius possessione dicti Casalis per injuriam destitutus*, *praesertim cum idem Episcopus ante praedicta tempora impetratis literis ab Imper. Majestate*, *quod idem Gregorius ad Imper. Curiam citari deberet*, *cum Dominus noster feliciter ageret in partibus Lombardiae ad transactionem cum ipso deveniret*, *ac idem Episcopus perinde recepit ab eodem Gregorio duo millia tarenorum*, *et quaestionem ipsam remiserit*, *et juraverit*, *se contra ipsam remissionem aequaliter non venturum*. *Cumque praedictus Episcopus Casale praedictum possideret*, *ut di-*

ctum est suggerendo Principi per se, et Capitulum Pactensis Ecclesiae, quod ipsum Casale ad Ecclesiam pertineret, excambium sibi dari in Valle Daemenum ab Imper. Excellentia postulavit, quod esset ipsi Ecclesiae nomine, et ratione vicinitatis, et Casale praedictum cum esset imper. solatiis utile, idem Dominus retineret in manus Curiae; ad cujus postulationem, et suggestionem Dom. Imperator mandavit per suas literas Dom. Guglielmo Villano Justitiario et Joanni . . . . . Camerae Regionis, ut Casale praedictum pro parte Curiae reciperet, et idem Camerae illud pro parte Curiae procuraret, inventurum locum alium in Valle Daemenum, qui non esset solatiis Domini nomine Castrorum munitionibus deputatus, in quo ergo Casali praedictae Ecclesiae in competenti excambio providerent, a quibus facta provisione juxta mandatum in loco praedicto pro Curia, Pact. Episcopi nomine ipsius, et pro parte Ecclesiae supradictae recepit in eodem loco pro excambio res subscriptas. Unde petit dictus Procurator Gregorii Mustacii pro parte ipsius possessionem earumdem rerum, quae in excambium datae sunt Ecclesiae supradictae, et praedicto Episcopo, a dicto vero Procuratore ipsius Episcopi pro parte ejusdem sibi restitui salvo jure . . . . res autem sunt haec: Casale Sinagrae cum omnibus juribus, justitiis, rationibus, et pertinentiis suis, et pars nemorum Ficarrae; petit etiam restitui sibi pro parte dicti Gregorii Mustacii a Procuratore dicti Dom. Episcopi, et pro parte ejusdem subscriptas res mobiles, quas idem Dom. Episcopus percepit, et percipi fecit post factam destitutionem praedicti Casalis S. Luciae, ut dictum est, ab eodem loco videlicet de frumento salmas centum viginti quinque, quod frumentum dictus Episcopus percipi fecit, et percepit de salmis frumenti duodecim, et dimidia seminatis in Terris, et tenimento Casalis praedicti S. Luciae ab eodem Gregorio pro parte sua; item de hordeo salmas quatuordecim, item de linusa salmas quindecim, quas aexistimat tarenos sexaginta, item de vino salmas centum octuaginta, quas aexistimat uncias triginta sex, item de porcis, quos receperat Gregorius a Burgensibus dicti Casalis ratione decimae in anno quintae Indictionis, et in custodia ipsorum dimiserat porcos sexaginta de duobus annis auri tarenos quatuor pro unoquoque porco tarenos sexaginta, item de palia mille retia advalens torenos quinquaginta, item percepit, et percipi fecit dictus Episcopus proventus, et redditus omnes dicti Casalis per decem menses, quos aestimat uncias auri triginta novem, et tarenos viginti quinque, quos petit restitui, ut est dictum. Praedictus Procurator Dom. Episcopi litem contestando confitetur, dictum Episcopum, et Pact. Ecclesiam tenere, et possidere Casale Sinagrae cum justitiis, et pertinentiis suis, et confitetur dictum Episcopum, et conventum commutasse Casale S. Luciae cum Domino Imperatore, et recepisse in commutatione dictum Casale Sinagrae salvis executionibus suis. Lite igitur coram nobis legitime contestata, juramento Calumniae a Principalibus delato, dato termino ad probandum, productis hinc inde testibus, et coram dictis in judicio publicatis, Curia Fogiae procedente, ubi assistebat Nobilis Joannes de Marturana ejusdem Curiae Judex cum Judicibus supradictis, disputatione habita inter partes super efficacia probatorum, antequam lis praedicta suo marte decurreret, praedictis Dom. Episcopo, et Gregorio Mustacio existentibus in Curia, idem Gregorius spontanea voluntate sua praedictae quaestioni, et liti motae coram nobis in Curia praedicto Jacobo Procuratori dicti Dom. Episcopi pro parte ipsius renunciavit exprese, quod haberet, aut consequi posset contra eumdem Dom. Episcopum occasione praedictae quaestionis propositae ab eodem Gregorio contra Procuratorem ipsius Dom. Episcopi, vel etiam proponendo. Nos vero qui supra Mag. Justitiarius, et Judices nullo alio de principali causa di-

Digitized by Google

scusso, attendentes solam renunciationem ejusdem Gregorii legitime factam coram nobis, ut praescriptum est, dictum Jocobum Procuratorem dicti Domini Episcopi nomine ipsius, et eumdem Dom. Episcopum a dicta quaestione proposita sententialiter duximus absolvendos: ad cujus rei memoriam, et perpetuam firmitatem praesens scriptum per manus Jacobi de Rocco M. Imp. Curiae actorum Notarii fieri fecimus nostris subscriptionibus roboratum. Actum Fogiae anno, mense, et Indict. praescriptis. Ego Riccardus de Montenigro M. Imp. Curiae Mag. Justitiarius. Ego Joannes de Martorana M. Imp. Curiae Judex. Ego qui supra Andreas de Capua M. Imp. Curiae Judex. Ego Mag. Robertus de Pan. Imp. Curiae Judex qui supra. Ego Durandus de Brundusio M. Imp. Curiae Judex.

Apud Pirrum in Not. Ecclesiae Pactensis.

XXVII.

Rex Mamfredus Canonicos, et Clericos Pan. Ecclesiae sive ibi assiduos, sive Regiam Curiam sequentes, a collectis omnibus declarat immunes.

Mamfredus Dei gratia Rex Siciliae, Justitiariis Siciliae citra Flumen salsum tam praesentibus, quam futuris Fidelibus suis gratiam, et bonam voluntatem. Pan. Ecclesiam inter alias Regni Ecclesias eo volentes amplius honorare, quod Caput earum in Regno esse dignoscitur, et ibidem Divi Reges Siciliae, et Imperatores Progenitores nostri, et honoris excellentis insignia in vita consueverunt recipere, et post fata quiescere in Domino dormientes, ubi etiam coelesti praesidio clarum feliciter suscepimus diadema. Capitulum, et Clericos omnes ipsius Matris Ecclesiae, tam illos, qui ibidem residentiam faciunt, quam alios de gremio ipsius Ecclesiae, qui nostram sequendo Curiam deputati sunt Capellae nostrae servitiis, a collectis, et exactionibus omnibus gratiose eximimus etc. Dat. Panormi 17 Augusti primae Indict.

Ex Autographo adservato in Arca Thesauri Ecclesiae Pan.

XXVIII.

Rex Mamfredus Palatinae Capellae Canonicos, et Clericos, sive ipsi Capellae deserviant, sive Regiam Curiam sequantur, a Vectigalibus declarat exemptos.

Mamfredus Dei gratia Rex Siciliae ultra Flumen salsum praesentibus scilicet, et futuris fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Ecclesiam Capellae S. Palatii nostri Panormitani inter alias Regni Ecclesias volentes amplius honorare, quod Praedecessorum nostrorum, et nostra reputatur Camera Spiritualis: *Capitulum, et Clericos omnes ipsius Capellae tum illos, qui residentiam faciunt Domino serviendo, quam alios de gremio ipsius Ecclesiae, qui nostram sequendo Curiam deputati sunt Capellae nostrae servitiis a collectis, et exactionibus omnibus gratiose eximimus, et volumus esse immunes. Dat. Fogiae 4 Aprilis secundae Indic.*

Apud Pirrum in Not. Reg., et Imp. Capellae S. Petri.

XXIX.

Cantoriam sacri Palatii confert Rex Carolus Andeg. Mag. Joan. de Menileo.

Carolus Dei gratia Rex Siciliae etc. Capitulo Capellae Regii Palatii Panormi Fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Cum Nos propter clara merita, et larga, placidaque familiaritatis obsequia Mag. Joannis de Menileo carissimi Capellani nostri, quibus in conspectu nostro gratus habetur, Cantoriam Capellae Palatii Panormi vacantem, et ad nostram Collationem spectantem cum omnibus juribus, et pertinentiis suis duxerimus conferendam, investientes ipsum personaliter per nostrum *annulum de eadem. Volumus et fidelitati vestrae praecipiendo mandamus, quatenus eumdem Mag. Joannem, vel Procuratorem suum ejus nomine in Cantorem vestrum recipientes, devote et honorificentia debita pertractantes, sibi tamquam Cantori vestro parcatis humiliter, ac efficaciter intendatis de juribus, jurisdictionibus, redditibus, et proventibus ipsius Cantoriae ab eo videlicet tempore, quo vacaverit integraliter respondendo. Dat. in Castris in Obsidione Podubonitii 20 Septembris XI. Indictionis 1267 Regni nostri anno tertio.*

Ex monumentis Regiae Capellae.

XXX.

Rex Carolus Andegav. Rectoriam Reg., ac Paroecial. Eccl. Castri Troynae confert Presb. Barth. de Augeto.

Scriptum est Rev. Magistro Capellano in Sicilia, Capitaneo, et Officialibus Terrae Troynae Oratori Consiliario, et fidelibus suis. Cum Presbyter Bartholomaeus Augeto familiaris, et devotus noster, cui Rectoria Regalis Paroecialis Ecclesiae nostrae D. Mariae de Castro Troynae per nostram Excellentiam est collata *cum omnibus juribus, redditibus, honoribus, et jurisdictionibus suis; nobis humiliter supplicaverit, ut in possessionem praedictae Rectoriae immitti, eique de juribus, et redditibus praedictis integraliter responderi de benignitate Regia mandare dignaremur. Qua supplicatione clementer admissa, vobis dicimus, et mandamus, quatenus eumdem Presbyterum Barthelomaeum in possessionem antedictae Rectoriae immittatis, immissumque manuteneatis, et favorabiliter defendatis, redditusque, proventus, et jura percipere, et habere integraliter faciatis. Datum Capuae 13 Januarii decima tertia Indictione Regni nostri anno quinta.*

Ex Reg. Reg. Caroli I. existente in Reg. Sicla Neapolis ann. 1269 litt. D. fol. 186.

XXXI.

Rex Carolus Andegav. Canonicis, et Clericis Reg. Capellae a vectigalibus pristinam confirmat immunitatem.

Carolus etc.

Secretis, et Magistris Procuratoribus in Sicilia ultra Flumen salsum per Curiam nostram constitutis, et constituendis fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Pro parte Cantoris, Canonicorum, et Clericorum Capellae

Sacri Palatii nostri Panormi nostrorum Fidelium devotorum Celsitudini nostrae humiliter supplicatum fuit; quod ipsi semper immunes, et exempti in eorum bonis, et Regiae Capellae nostrae praedictae ab angariis, exactionibus, et collectis omnibus in Civitate ipsa impositis, et imponendis, extiterunt; ipsis eamdem immunitatem, et exemptionem servare nostra mandare benignitas dignaretur. Nos autem, qui Capellam eamdem speciali praerogativa diligimus, et fovemus *ipsorum justas petitiones gratis, et benignius prosequentes eos, et bona Beneficialia ejusdem Capellae praedictae a quibuscumque angariis, exactionibus, collectis, et gabellis impositis usque adhuc, et in futurum imponendis gratiose eximimus, et penitus liberamus, ac exemptos, et immunes omnino esse volumus. Fidelitati vestrae harum serie expresse mandantes, ut nihil ab eis pro bonis eorum, et Beneficialibus Capellae jam dictae impetere, aut recipere pro Collectis, gabellis, exactionibus, vel angariis quibuscumque. Dat. Neapoli die* 3 *Novembris XIII. Indict. Regni nostri anno quinto*.

Ex originali existente in Arca magna Thesauri Reg. Capellae S. Petri.

XXXII.

Privilegium immunitatis, et exemptionis a publicis oneribus concessum a Rege Carolo Andegav. Canonicis, et Clericis Ecclesiae Pan., et Palatinae.

Carolus etc.

Vicariis, Capitaneis, Justitiariis, Bajulis, Judicibus, Mag. Juratis, et caeteris Officialibus Siciliae ultra Flumen salsum fidelibus suis gratiam, et bonam voluntatem. Ad laudem Regiae Majestatis cedit, et gloriam, cum favor Regis in subjectos extenditur, et ad benefaciendum suis fidelibus metatur. Cum igitur pro parte Canonicorum, et Clericorum Archiepiscopatus, et Capellae sacri Palatii nostri Pan., *ac aliorum Clericorum tam Latinorum, quam Graecorum Civitatis ejusdem nostrorum fidelium Celsitudini nosrae fuerit humiliter supplicatum, ut ab angariis, exactionibus omnibus, et Collectis in Ci-Civitate ipsa impositis ipsos eximi nostra mandare benignitas dignaretur. Nos autem*, qui *Civitatem eamdem speciali praerogativa diligimus, et fovemus, eo quod Caput, et* Sedes *Regni nostri existit, ipsorum justas petitiones gratis prosequentes affectibus, fidelitati vestrae firmiter praecipiendo mandamus, quod praedictos* Clericos, et Canonicos Archiepiscopatus, et Capellae sacri Palatii nostri Pan., *et Clericos tam Latinos, quam Graecos Civitatis praedictae ab omnibus angariis, exactionibus, et Collectis, quae per nos, aut Commissarios nostros in ipsa Civitate pro parte Curiae nostrae imponi contigit, eximatis, nec permittatis eosdem super iis ab aliquibus molestari, ut ab hujusmodi vexationibus totaliter expediti liberius divina mysteria celebrare valeant, qui tenentur. Dat. Neapoli* 19 *Octobris XIII. Indict. Regni nostri anno quinto*.

Ex originali existente in Archivio Regiae Capellae.

XXXIII.

Index Castrorum Siciliae tempore Regis Caroli Andegavensis.

Statutum Castrorum Siciliae, quae custodiuntur per Curiam cum numero Castellanorum, Consergiorum, et Servientium Deputatorum in quolibet ipsorum pro ut inferius denotatur, videlicet citra Flumen salsum.

Digitized by Google

Castrum Messanae custoditur per Castellanum unum Militem, et Socium Castellani unum Militem, Scuterios quatuor, et Servientes quinquaginta.

Castrum Scalettae per Castellanum unum, Scutiferum, et Servientes sex.

Castrum Ramettae custoditur per Consergium unum Militem.

Castrum Montis Fortis custoditur per Castellanum, Scutiferum, et Servientes duodecim.

Castrum Melatii custoditur per Castellanum unum Militem, et Servientes octo.

Castrum S. Marci per Consergium unum.

Castrum S. Philadelphi per Castellanum unum Militem, et Servientes quinque.

Castrum Nicosiae per Castellanum unum Militem, et Servientes viginti.

Castrum Castrijoannis per Castellanum unum Militem, et Servientes quinquaginta.

Castrum Syracusiae per Castellanum Militem, et Servientes sex.

Palatium Syracusiae per Consergium unum Scutiferum.

Castrum superius Tauromenii per Castellanum, qui est in superiori Castro ipsius Terrae cum Servientibus quatuor.

Castrum Leontini per Castellanum Militem, et Servientes sex.

Castrum Minei per Castellanum Scutiferum, et Servientes decem.

Castrum Licodiae per Castellanum Militem, et Servientes quatuor.

Castrum Augustae per Consergium unum Militem.

Castrum Abolae per Castellanum Scutiferum, et Servientes sex.

Castrum Mohac per Consergium unum Militem.

Castrum Garsiliatae per Castellanum unum Militem, et Servientes quatuor.

Castrum Calatabiani per Consergium unum.

Castrum S. Philippi per Castellanum Militem, et Servientes duodecim.

Ultra Flumen salsum.

Castrum Cephaludi per Castellanum Scutiferum, et Servientes triginta.

Palatium Panormi per Castellanum Scutiferum, et Servientes octo, qui solvuntur de proventibus solidorum Panormi.

Castrum Maris Panormi per Castellanum Scutiferum, et Servientes sex.

Castrum Curilionis per Consergium unum Militem.

Castrum Saccae per Consergium unum.

Castrum Calatanixettae per Castellanum Militem, et Servientes sex.

Castrum Agrigenti per Consergium unum.

Castrum Carini per Consergium unum.

Castrum Thermarum per Consergium unum.

Castrum Biccari per Servientes viginti, et rescribat Provisor utrum sit Scutiferus, vel Miles.

Castrum Favognanae per Castellanum Palmerium Ablatem.

Castrum Licatae per Servientes decem, et significet Provisor de Castellano utrum sit Scuterius, aut Miles.

Castrum S. Mauri per Castellanum Scuterium, et Servientes quatuor.

Castrum Geracii per Castellanum Scutiferum.

Castrum Caroniae per Castellanum Scutiferum, et Servientes quatuor.

Castrum Calatabellottae per Castellanum Militem, et Servientes sex.

Castrum Cameratae per Consergium unum.

Castrum Madoniae per Consergium unum.

Castellanus vero Miles recipit per diem tarenos duos, Castellanus Scuti-

fer tarenum unum, et grana quatuor, Serviens per diem grana octo, Capellanus recipit sicut convenit.

Datum Baroli per Magistrum Guglielmum de Forumvilla Decanum S. Petri Virorum Aureliani, Regni Siciliae Cancellarii 3 Maii II. Indictionis anno 1272.

Ex Reg. Regis Caroli I. existente in Reg. Sicla Neapolis sign: 1272 litt. B. fol. 163.

XXXIII.

Quae jura olim singulis annis a Regia Curia soluta fuere Cantori, Canonicis, et Clericis Palatinis.

Jura annuatim debita per Curiam Cantori, Clericis, Scholaribus, et Magistris Scholarum Capellae sacri Palatii dictae Urbis juxta tenorem inquisitionis anno a Nativitate Domini 1274 factae per Petrum Favilla de Panhormo substitutum Jacobi Ruffuli tunc Secreti totius Siciliae, ad literas Regis Caroli Primi patentes, Secretis Siciliae praesentibus, et futuris exinde destinatas, et datas dicto anno de mense Augusti: quae quidem inquisitio fuit, et est in formam publicam redacta per manus quondam Notarii Bartholi de Joanne penes Clericos dictae Capellae omni debita juris sollemnitate vallata.

videlicet

Dicto Cantori pro indumentis suis uncias tres, et tarenos decem	℥	3	10
Eidem Cantori, et aliis octo Canonicis, qui dicuntur Majores uncias octo pro quolibet eorum	℥	72	..
Aliis Canonicis quatuor, qui dicuntur minores unc. quatuor pro quolibet	℥	16	..
Pro beneficio Confessionis unc. octo, et tar. decem	℥	8	10
Pro Corredis Clericorum unc. viginti quatuor	℥	24	..
Pro Luminaribus faciendis in eadem Capella diebus feriatis uncias quatuor	℥	4	..
Pro Luminariis faciendis in dicta Capella subscriptis Festivitatibus cujuslibet anni videlicet, in Festo Nativitatis B. Mariae, Festo Omnium Sanctorum, Epiphania, in Purificatione B. Mariae, Cathedra S. Petri, Annunciatione Dominica, Ramis Palmarum, Dedicatione ejusdem Capellae, Ascensione Domini, Nativitate S. Joannis Baptistae, S. Petri ad Vincula, et Assumptione S. Mariae Virginis ad rationem de tarenis quatuor pro qualibet Festivitate ipsarum unc. 1 et tar. decem, et octo	℥	1	18
In Festo Pentecostes, in Festo Apostolorum Petri, et Pauli ad rationem de tarenis sex pro qualibet Festivitute ipsarum	℥		12
In Festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et Festo Resurrectionis ejusdem tar. viginti pro qualibet	℥	1	10
Pro Anniversariis Felicium Regum Siciliae uncia una, et tar. quinque	℥	1	5
Pro Presbyteris Graecis celebrantibus Vigilias quinque diebus Veneris majoris Quadragesimae cujuslibet anni de aqua rosacea . . .	R.	5	..
De Candelis Cerae	R.	2	..
De Ligno aloes	R.	2	..

Digitized by Google

De Vino ad barrile Amatheae barrilia quinque.

Item quatuor aliis Vigiliis, quae celebrantur in eadem Capella videlicet, Caena Domini, Vigilia Assumptionis Beatae Mariae de Vino ad barrile Amatheae barrilia quatuor.

Item pro pulsandis Campanis ipsius Capellae, funes necessariae, nervum unum bovinum, et rotulos duos de Sapone.

Item vivanda Canonicorum, et Clericorum ad generalem mensuram delata in Panorma sub expensis Curiae frumenti salmas octoginta S. 80 ..

Item tertia parte decimarum veterum jurium, et proventuum Curiae subscriptarum Terrarum Siciliae videlicet, Carini, Trapani, Montis Sancti Juliani, Marsaliae, Castri ad mare de Gulfo, Mazarlae, Saccae, Calatafimi, Calatabellottae, Salem, Agrigenti, Leocatae, Calatanixettae, Suterae, Castrinovi, Thermarum, Calavuturi, Politii, Gulisani, Hieracii, Mistrettae, Vaccarum, Sperlinghae, Nicosiae, S. Philippi de Argirion, Asari, Castrijoannis, Aydone, Cundrò, S. Marci demine, Castriveterani, Melatii, Oliverii, Noti, Leontini, Ragusiae, Sicli, Mohac, Buxemi, Palazzoli, Sancti Fratelli, Montis fortis, Gratterii, Minel, Capitii, Paternionis, Garsiliatae, Nari, Ramettae, Sciortini, Vicari, et Tauromenii.

Item praedict. Cantor, Canonici, et Clerici consueverunt habere a Curia annis singulis de Piscibus, sive de Tunnis captis in Tonnariis S. Georgii, et Solunti Panormi de prima piscatione Tunnorum, sive primis Tunnis captis in eisdem Tonnariis, pro vivanda eorum pisces . . . . P. 2 ..

Item in mense Maii cujuslibet anni pro primitia pisces octo . P. 8 ..

Item dictus Cantor consuevit habere, et percipere a Curia annuatim honore Cantoriae praedictae piscem unum . . . . P. 1 ..

Item Magister Scholarum dictae Capellae sacri Palatii per se, et quatuor Clericos, quos docet artem cantus, habere consuevit a Curia annis singulis ad generalem mensuram frumenti salmas decem, et octo delatas in Panormo . . . . S. 18 ..

De vino ad barrile amatheae barrilia	B.	22	..
De Caseo petias tredecim	P.	13	..
De Carne porcina salata cantarum unum, et rotulos viginti sex, et pro tempore quadragesimali Fabarum Mezaloras duodecim . .	M.	21	..
Cicerum Mezaloras sex	M.	6	..
Tonninae rotulos duodecim	R.	12	..
Olei rotulos duodecim	R.	12	..

Item infrascriptae Capellae subjectae Capellae praedictae, et ejus obedientiae consueverunt a Curia annuatim percipere, et habere pro eleemosynis de piscibus, sive Tuunis captis, et piscatis in eisdem Tonnariis annuatim subscriptas Tunnorum quantitates videlicet.

Ecclesia S. Mariae superioris ejusdem Capellae piscem unum	P.	1	..
Ecclesia S. Nicolai de Confessione piscem unum	P.	1	..
Ecclesia S. Stephani de Confessione piscem unum	P.	1	..
Ecclesia S. Andreae de porta Bibillitti pisces duos . . .	P.	2	..
Ecclesia S. Mariae de Schalis piscem unum	P.	1	..
Ecclesia S. M. Magdalenae de Galca piscem unum . . .	P.	1	..
Ecclesia S. Bartholomaei de Chasena piscem unum . . .	P.	1	..
Ecclesia S. Pancratii piscem unum	P.	1	..
Ecclesia S. Jacobi de Mazzara piscem unam	P.	1	..

Digitized by Google

Ecclesia S. Fidei de Mazzara piscem unum . . . . . P. 1 ..
Ecclesia SS. Trinitatis de Coperto piscem unum . . . . P. 1 ..
Ecclesia SS. Trinitatis de Azziza piscem unum . . . . P. 1 ..
Ecclesia SS. Philippi, et Jacobi de Fabara piscem unum . P. 1 ..
Ecclesia S. Michaelis de Parco piscem unum . . . . P. 1 ..
Ecclesia S. Nicolai de Castro ad mare de Gulfo pisces duos P. 2 ..

Ex libro Reg. Pandectarum Reg. Secretiae, et Dohanae Urbis Panormi fol. 66 extracta est praesens.

Collatione salva
Aloysius Verget Mag. Notarius.

XXXIV.

Rex Fridericus Tertius quidem dictus, sed re vera hujus nominis Secundus confirmat Regiae Capellae antiqua jura, et praebendas.

Fridericus III. Dei gratia Rex Siciliae Secretis, et Magistris Procuratoribus totius Siciliae, vel Civitatis Panormi, tam praesentibus, quam futuris Fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem.

Dudum infra mensem Novembris proximae praeteritae Indictionis, Secretis, et Magistris Procuratoribus dictae Civitatis Panormi tam praesentibus, quam futuris Fidelibus nostris per patentes literas nostras sub certa forma mandavimus, ut, quia pro parte Cantoris, Canonicorum, et Clericorum Capellae sacri Regii Palatii nostri dictae Civitatis Panormi, Majestati nostrae fuerat humiliter supplicatum, quod cum Praedecessores eorum, qui fuerunt pro tempore in eadem sacra Capella a temporibus felicium Regum Siciliae clarae memoriae Praedecessorum nostrorum usque ad tempus proxime praeteritum, consuevissent annis singulis a Curia recipere, et habere pro subscriptis causis de pecunia, frumento, vino, et aliis rebus Curiae, et in eorum defectu de excadentiis ad generale pondus, et salmas, pecuniae, frumenti, vini, et aliarum rerum quantitatem subscriptam videlicet etc. (1) *eamdem quantitatem frumenti, vini, et aliarum rerum, eis pro toto praedicto anno III. Indictionis; et deinde in antea quolibet anno pro eis tribui mandaremus: ubi per inquisitionem per praedictos Secretos, et Magistros Procuratores propterea diligenter, et fideliter faciendam, eis plene constaret, Praedecessores dictorum Cantoris, Canonicorum, et Clericorum, qui fuerint pro tempore in eadem Capella a temporibus Ill. Praedecessorum nostrorum in antea usque ad tempus praedictum computatis, praedictam quantitatem pecuniae, frumenti, vini, et aliarum rerum pro praedicta causa consuevisse annis singulis de pecunia frumento, vino, et aliis rebus Curiae, et in eorum defectu de excadentiis a Curia recipere, et habere; dictis Cantori, Canonicis, et Clericis praedictae Capellae, vel eorum pro eis Nunciis, pro praedictis causis pro toto praedicto anno III. Indictionis, si tunc nondum satisfecerant eisdem, et deinde in antea quolibet anno de pecunia, frumento, vino, et aliis rebus Curiae, quae essent per manus eorum ratione praedictae Secretiae, et procurationis officii, et in eorum defectu de excadentiis per eos de eadem pecunia solvere, et exhibere deberent. Nuper autem pro parte Cantoris, Canonicorum, et Clericorum dictae Capellae Ma-*

(1) Sequuntur, quae a Curia Cantor, Canonici, et Clerici recipere solebant, prout descripta habentur sub num. XXXIII.

jestati nostrae fuit humiliter supplicatum, quod cum de praedicta quantitate frumenti, vini, et aliarum rerum in praedictis literis contentis pro praesenti anno quintae Indictionis, Cantori, Canonicis, et Clericis, vel aliis pro eis nihil extiterit assignatum; hujusmodi supplicatione clementius exaudita, fidelitati vestrae maudamus, quatenus, quia per inquisitionem praedictam infra nuper elapsum mensem Martii dictae quintae Indictionis apud Panormum factam etc. constat, praedictos praedecessores eorum, qui fuerunt pro tempore in eadem Capella a temporibus Praedecessorum nostrorum in antea usque ad tempus praedictum computatis, praedictam quantitatem pecuniae, frumenti, vini, et aliarum rerum pro praedictis causis consuevisse annis singulis de pecunia, frumento, vino, et aliis rebus Curiae, et in eorum defectu de excadentiis a Curia recipere, et habere; dictis Cantori, Canonicis, et Clericis praedictae Capellae, vel eorum pro eis nuncio, praesentes vobis literas ostendenti, pro causis praedictis, videlicet praesens Secretus, et Magister Procurator totius Siciliae, pro toto praesenti anno, si nondum exinde satisfecistis eisdem, et vos futuri Secreti, Magistri Procuratores totius Siciliae, vel dictae Civitatis Panormi, deinde in antea quolibet anno de pecunia, vino, frumento, et aliis rebus jurium, reddituum, et proventuum gabellarum, jurium, et bonorum Curiae dictae Civitatis Panormi ad praedicta officia Secretiae, et procurationis spectantium, quae sunt, et erunt per manus vestras ratione officiorum vestrorum, et in eorum defectu de excadentiis per vos de eadem pecunia pro parte Curiae tribuatis, recepturi ab eis, vel eorum nuncio exinde apodixas eorum, vel nuncii ipsorum sigillo tantum munitas, non obstantibus Capitulo contento in literis commissionis facto per nos tibi praesenti Secreto Magistro Procuratori totius Siciliae de dictis Secretiae, et procurationis officiis, de tota pecunia Curiae nostrae officiorum ipsorum ad nostram Cameram transmittenda, *et de ea nihil exhibendo personis aliquibus pro quibuscumque causis, et negotiis auctoritate quorumlibet mandatorum nostrae Curiae tam patentium, quarum clausorum missorum Secretis, et Magistris Procuratoribus Siciliae etc., et quibuscumque mandatis nostrae Curiae forte contrariis, per quae praesentium executio in aliquo impediri valeat etc., quamvis talia mandata Deo favente, nostrumque benigne prosequente propositum, dare nullatenus intendamus. Praesentes autem literas nostras, postquam eas in publicam formam feceritis redigi ad cautelam vestram servandam Cantori, Canonicis, et Clericis, vel eorum nuncio resignetis per eas vestris Successoribus ostendendas. Volumus tamen, quod praedictas uncias octo, et tarenos decem pro praedictis duobus beneficiis Clericis Beneficialibus beneficiorum ipsorum de praedicta pecunia solvere debeatis. Datum Messanae sub parvo sigillo nostro secreto penultimo Aprilis quintae Indictionis.*

Ex transumpto per acta Notar. Thomasii de Modesto sub die 28 Septembris I. Indict. 1347 existente in Tabulario Reg. Capellae.

XXXV.

De quadam domo, et vinea in Curia Par. Archiepiscopi utpote Magistri Cappellani litigant Canonicus, et Clericus Regiae Capellae, qui deinde inter se paciscuntur.

In nomine Domini amen. Anno Dominicae Incarnationis millesimo tercentesimo nono mense Maii, et die nono ejusdem mensis septimae Indictionis, regnante Dei gratia Serenissimo Domino nostro Domino Rege Friderico tertio

regni sui anno quarto decimo feliciter amen. Nos Bartholomaeus de Morella Iudex Panormi, Laurentius de Menna publicus Tabellio Civitatis ejusdem, et subscripti testes ad hoc vocati specialiter, et rogati praesenti scripto publico notum facimus, et testamur, quod cum quaedam lis, seu controversia verteretur in Curia Reverendi in Christo Patris, et Domini Domini Bartholomaei Venerabilis Panormitani Archiepiscopi, et Regiae Capellae Magistri Capellani, *coram Vicario suo inter Presbyterum Guarinum de Renda Canonicum Capellae sacri Regii Palatii Civitatis Panormi ex una parte, et Eximenum Sanchis Clericum praedictae Capellae, et Beneficialem Ecclesiae S. Leonardi de Alfano sitae infra territoria Sacoae, et Calatabellottae Agrigentinae Dioecesis ex parte altera, ut dixerunt, sub eo videlicet, quod praedictus Presbyter Guarinus ratione praebendae, et Canonicatus sui, quem in praedicta Capella sacri Regii Panormitani obtinet, petebat ab eodem Eximeno quamdam domum sitam in Civitate Panormi in quarterio Calcae, et quamdam vineam sitam in tenimento Panormi in Contrata Cerbeles subscriptis finibus limitatas, quoniam asserebat idem Canonicus, ad praebendam, et Canonicatum ipsum suum pleno jure spectare, et ex adverso opponebatur, easdem domum, et vineam spectare ad praedictam Ecclesiam S. Leonardi dicti Clerici; et eodem Clerico citato de mandato praedicti Domini Archiepiscopi de comparendo coram eo, et eidem Canonico super praemissis respondendo, et per contumaciam non comparente ut dixerunt, idem Presbyter Guarinus Canonicus ratione dictae praebendae suae, et Canonicatus, inductus extitit in corporalem possessionem ipsarum domus, et vineae causa rei servandae, donec idem Clericus suam purgaret contumaciam, et satisdaret de stando juri, et justitiam faciendo; tandem Amicorum communium interventu praefato Eximeno Beneficiali praedictae Ecclesiae S. Leonardi asserente, se fore reductum ad conscientiam, et affirmante praedictam vineam ad eundem Praesbyterum Guarinum ratione praedictae praebendae, et Canonicatus sui de jure pertinere, et eamdem domum ad dictam Ecclesiam S. Leonardi pertinere, idem Presbyter Guarinus pro parte dicti sui Canonicatus, et praebendae, et dictus Eximenus pro parte dictae suae Ecclesiae S. Leonardi de praedicta lite, seu controversia ad subscriptam transactionem, finem, et concordiam invicem devenerunt, videlicet etc.*

Ex originali, quod servatur in Archivio Capellae Palatinae.

XXXVI.

Petrus II. Friderici II. privilegium circa praebendas, et jura Reg. Capellae ratum habet.

Petrus secundus Dei gratia Rex Siciliae Serenissimi Domini Domini Friderici Reverendissimi Patris nostri Regis ejusdem Regni in ipsius administratione generalis Locumtenens, Secretis, et Magistris Procuratoribus totius Siciliae, vel Civitatis Panormi tam praesentibus, quam futuris fidelibus suis, gratiam et bonam voluntatem. Dudum de mense Aprilis quintae Indictionis praesentis per me tunc, Secretis, et Magistris Procuratoribus totius Siciliae, vel dictae Civitatis Panormi tam praesentibus, quam futuris fidelibus nostris per patentes literas sub parvo sigillo Secreto Regio dicti Domini nostri Regis Patris nostri, quo tunc generaliter utebatur, scriptum extat in hac forma (1) *Verum*

(1) Relatum habetur sub num. XXXV.

quia pro parte dictorum Cantoris, Canonicorum, et Clericorum fuit Majestati nostrae nuper humiliter supplicatum, ut cum dictae patentes literae ob vetustatem ipsarum corrodi jam incipiant, et vastari, eas sibi per nos in dicta forma refici, et sigillo Majestatis nostrae muniri, nostra mandare serenitas dignaretur: hujusmodi supplicatione benigniter admissa, resignatis per eum pro parte ipsorum dictis patentibus literis in manibus Curiae nostrae pro cautela ejusdem Curiae, mandavimus, et fecimus lacerari; fidelitati vestrae mandamus, quatenus forma dictarum literarum patentium diligenter attenta; eas pro praesenti anno septimae Indictionis, et ab inde in antea quolibet anno juxta earum continentiam, et tenorem executioni debitae mandetur. Datum Messanae 17 Novembris septimae Indictionis.

Ex Tabulario Palatinae Capellae.

XXXVII.

De relictis, et legatis ad pias causas ex domesticis Regii Palatii obeuntibus quarta Palatinae Capellae Canonicis adjudicatur.

Nos Senator de Maida Miles Juris Civilis Professor, et Regiae Conscientiae Judex duodecimo Martii praesentis sextae Indictionis apud Fel. Urbem Panormi de speciali Conscentia, et mandato Dom. Regis *providimus, et terminando decidimus, quod de relictis, et legatis ad pias causas per quondam Nobilem Floderisiam Filiam Regis quondam Friderici, quae defuncta extitit inter maenia sacri Regii Palatii, et sepulta secundum dispositionem ipsius in Ecclesia B. Francisci praed. fel. Urbis Panormi, deberetur, et daretur quarta Canonicis, et Clericis Capellae sacri praed. Palatii; ex eo quod constitit nobis per privilegia eidem Capellae concessa legitime, et per quasdam personas legitimas* eamdem Capellam Parocciam suam habere in dicto Palatio, et Castro ipsius. *Hanc autem provisionem, et decisionem nostram fecimus in praedicta fel. Urbe Panormi de speciali consensu, et mandato Domini nostri Regis, ut praedicitur, ipso Dom. nostro Rege residente in Urbe praedicta.*

Ex transumpto per acta Not. Rogerii de Vitali sub die 29 Martii 6 Ind. 1323 existente in Archivio Palat. Capellae.

XXXVIII.

Transactio habita inter Alphonsum Fridericum Beneficiarium S. Luciae, et Sindacum, et Juratos ejusdem Terrae, de un. 7. 28 super juribus bajulationis illi persolvendis.

In nomine Domini amen. Anno Incarnationis ejusdem Millesimo Trecentesimo Vigesimo tertio, sexto die mensis Decembris Secundae Indictionis Regnantibus Serenissimis Dominis nostris Dei gratia Regibus Siciliae Ill. Domino Rege Friderico Anno Imperii sui octavo, et Inclyto Domino Rege Petro Secundo Regni ejus anno XIII. feliciter amen. Coram nobis Matthaeo de Guercis Judice Messanae, Joanne de Natoli Regio publico ejusdem Civitatis Notario et Testibus subnotatis, ad haec specialiter vocatis, et rogatis. Alphonsus Fridericus Clericus *Beneficialis Ecclesiae* S. Luciae de Plano *Melatii* spectantis ad Collationem Regiam *consentiens in Nos praedictos Judicem, et Notarium tanquam in suos proprios . . . . Sindacum, personas, et homines, et Judicem, et Notarium ex una parte, et Nobilis Vir Dominus Nico-*

laus de Protonotario de Messana Miles, et David de Carlo habitator Terrae S. Luciae de Plano Melatii tenimenti Messanae Sindici Universitatis dictae Terrae S. Luciae de eodem Plano constituti, et ordinati per eamdem Universitatem ad omnia, et singula infrascripta celebranda utpote Sindicatorio nomine, et pro parte dictae Universitatis parte ex altera praesentes ad invicem confessi sunt omnia, et singula infrascripta, et Nos ipsi Judex, et Notorius, et Testes subscripti praesenti scripto publico notum facimus, et testamur omnia, et singula infrascripta ex confessione partium earumdem videlicet. Quod cum inter eumdem Alphonsum Beneficialem Ecclesiae S. Luciae de Plano Milatii ex certa quaestione vertente super eo videlicet, quod dictus Beneficialis petebat ab Universitate praedicta ratione sui Beneficii jura bajulationis, herbagiorum, Decimarum, Vigesimarum, Censualium, et aliorum jurium, quae dicebat pertinere eidem Ecclesiae, et dicti Sindici allegarent, et dicerent praedicta jura non debere praedicto Beneficiali ex eo videlicet, quod dicta Terra S. Luciae de novo habitata extitit novis habitatoribus tam ex Casali dicto de . . . . et nunc exhabitato, quam ex aliis Casalibus eidem Plano Milatii circumadjacentibus Vicinis pro majori parte de Mandato Regio propter continuas destructiones, quas habitatores ipsi annuatim patiebantur ex incursu hominum malignantium temporibus bellorum in ipso Plano Milatii pro eo quod in dicta Terra ob defensionem, et cautelam tunc securi existebant, et ea de causa Dominus noster Rex permisit habitatoribus ipsis omnino translationis incolatus eorum ad dictam Terram eos conservari in Demanio, et gaudere libertatibus, et immunitatibus quibus gaudent Cives Civitatis Messanae; Tandem pro bono pacis, et concordia interventu Amicorum communium cum consensu, et beneplacito Domini Regis cui dicta subest Ecclesia, ad hanc transactionem devenerunt, videlicet, quod dictus Sindacus nomine Universitatis praedictae pro personis praedictis convenerunt, et promiserunt dare, tradere, et assignare eidem Beneficiali ibidem praesenti, et stipulanti pro se; et Successoribus suis in dicta Ecclesia anno quolibet in perpetuum uncias auri viginti quinque in pecunia numerata de contanti, et non in aliis rebus, et ex ea causa dictus Beneficialis advertens, et considerans, quod praedictum Casale exhabitatum, et depopulatum, et quod praedictae Personae nolebant habitare in Casale praedicto, et territorio ejusdem, et sic praedicta Ecclesia de praedictis suis ridditibus majorem pateretur damnum, et diminutionem praedictus Beneficialis de expressa conscientia, et consensu dicti Domini Regis, ad quem directo spectat jus Patronatus Ecclesiae memoratae prospiciens ac in omnibus ipsam satisfactionem utiliorem dictae Ecclesiae, et commoditatem ipsi Ecclesiae procurare. Propterea dictus Beneficialis acceptat obligationem praedictam de consensu, et voluntate dicti Domini nostri Regis, et renunciavit liti, et controversiae supradictae rationibus, juribus, et aliis debitis Ecclesiae memoratae Universitati, seu cuilibet praedictae Personae tenebatur, seu teneri poterit Ecclesiae praedictae ex ipsa causa ipsius transactionis, et Accordii praedicti dictae Universitati specialiter tenere debere, ac convenerunt, et promiserunt per stipulationem sollemnem eamdem Universitatem eidem Beneficiali praedicto Alphonso stipulanti nomine, et pro parte dictae Ecclesiae, et Successoribus suis in eadem Ecclesia dare, tradere, solvere, et assignare Beneficiali ipsius Ecclesiae anno qualibet in perpetuum praedictas ℥ viginti quinque per tertium, videlicet in fine quorumlibet quatuor mensium uncias auri octo, et tt. decem dicti p. g. in pecunia per tertium, auri, vel argenti, et non in aliis rebus, pro quibus solvendis in modo, et forma praedictis, praedicti Sindici nomine dictae Universitatis sponte se obligaverunt eidem Beneficiali impi-

gnare omnia bona ipsius Universitatis mobilia, stabilia, praesentia, et futura cum auctoritate intrandi, capiendi, et vendendi tantum de bonis ipsius Universitatis quod satisfiet eidem Beneficiali ad plenum de pecuniis supradictis, cui ex ipsa causa praesentis Transactionis, et Accordii praedictus Beneficialis sponte ejus nomine proprio cessit, et habere concessit eisdem Sindicis nomine Universitatis omnia jura sua, omnesque actiones reales, et personales, utiles, directas, mixtas, tacitas, et expressas, quae et quas dictus Beneficialis nomine dictae Ecclesiae in praedicta Ecclesia habet, et habebat, vel habere potest adversus dictam Universitatem, et bona ipsius Universitatis ratione, et causa ipsorum redditaum, et proventuum praedictorum petitorum ab ea ab Universitate praedicta pro bonis praedictis ut supra dictum est, constituens eos Procuratores, et Actores in rem eorum propriam, ut et de caetero eorum propriis nominibus, uti actionibus utilibus, et directis agere, et excipere, replicare, et experiri, omnia, et singula facere, et exercere utilia supradicta in judiciis, et extra judicia servatis praedictis, quae veri Domini possunt facere de re eorum propria, et quae ipse idem Beneficialis facere possit praesenti transactione, ac jurium cessione in aliquo non obstante sub hypotheca rerum suarum, et ejusdem Ecclesiae, et eadem Universitas praedicta liberavit, et liberat, quietavit, et quietat dictum Beneficialem nomine dictae Ecclesiae dictam Universitatem, et bona ipsius Universitatis ab omnibus, et singulis supradictis, et ab omni scilicet ab eo, quod ab eisdem petere, et exigere possit ratione, et causa praedicti Beneficii per Aquilianam stipulationem subsequutam faciendo eidem Universitati finem, et pactum finale, et quietationem, et refutationem omnimodam, et finalem de non petendo, seu exigendo aliquid aliud ultra ab eadem Universitate super bonis ipsius Universitatis, ratione, et causa praeinserta in toto, seu in parte in judiciis, vel extra per intimationem, seu per libellum per se, vel per submissam personam, vel habentem jus, et causam ab eo, vel Successoribus omnibus in praedicto Beneficio aliquo jure, causa, vel titulo, salvo tamen expresse, et penitus reservato eidem Alphonso Molendino existente in flumaria Universitatis S. Luciae. Item omnibus Dominibus vicinis, sicut est propria Beneficialis ipsius Ecclesiae existentibus aliis bonis, quae forte fuerint legata per quascumque personas dictae Ecclesiae, seu Beneficii ipsius Ecclesiae, scilicet quae bona dictus Alphonsus pro eo servivit, et detinuit ex pacto scilicet habito inter eos praesenti praestatione annuali, ut est dictum, semper salva. Quae Transactio, et omnia, et singula supradicta ipsae Partes ad invicem stipulantes per se, et Successores eorum nominibus praedictis sponte convenerunt, et promiserunt per stipulationem solemnem semper firmiter attendere, et observare, et in nihilo contravenire aliquo jure, vel causa, aut titulo per Beneficium restitutionis in integrum sub poena unciarum auri ducentarum Parti praemissa servanti legitime stipulata a Parte contraveniente solvendarum sollemniter promissa. Item promiserunt reficere pari contraveniens parti supradictae servanti omnia damna, expensas, et interesse propterea facta, et facienda in Curia, vel extra Curiam rata manente praedicta transactione, et accordio, et aliis supradictis in eorum robore duraturis. Obligando una pars alteri ad invicem rathis praedictis pignoribus propriis omnia bona praedicti Alphonsi, et dictae Ecclesiae eidem Universitati mobilia, stabilia, praesentia, et futura ubicumque existentia, et melius apparentia, renunciando expresse exceptioni doli, conditioni sive causa, et in facto subsid. privilegio fori, et legi si convenerint exceptionib. omn. beneficio restitutionis in integrum, feriis, et omnibus quibuscumque juribus, et consuetudinibus, quibus contra praedicta venire possint, et promisit pars con-

Digitized by Google

travenient tam Canonicis, quam Civilibus, et omnibus aliis legibus, auxiliis adversantibus ad praemissa. Quam transactionem, et omnia, et singula supradicta dictus Dominus noster Fridericus confirmavit, rathificavit, et acceptavit, ut continentur. Unde ad futuram memoriam, et utriusque partis Cautelam facta sunt duo publica consimilia instrumenta unum videlicet Beneficiali, et alterum habuit consimile per manus mei Notarii supradicti Joannis stipulantis ut supra in supradictis literis, ut legitur, cui dicta Tabula Ecclesiae debet ab omne primo die mensis Septembris p. p. supradictus Judex quae verba omissa fuerunt per me praedictum Notarium non vitio, sed errore, et sic pro authentico habeatur actum anno, mense, die, et Indictione praemissis.

Ego Matthaeus de Guercis Judex Messanae.

Ego Guillelmus de Marco testor.

Ego Simon Thomasarius testor.

Ego Rogerius de Grossis testor.

Ego Bartholomaeus de Philippo testor.

Ego Joannes de Natale Regius publicus Messanae Notarius scripsi, et testor.

Ex scripturis praesentatis Tribunali Regiae Monarchiae existentibus in Archivio hujus Regiae Capellae Panormi in sacro Regio Palatio.

XXXIX.

Protestatio Cantoris, et Canonicorum Palatinae Capellae adversus Visitationem Damiani de Palicio Capellani majoris.

In nomine Domini amen. Anno a Nativitate ejusdem Millesimo tercentesimo trigesimo secundo mense Maii duodecimo ejusdem XV. Indict. Regnantibus Serenissimis Dominis nostris Dei gratia Regibus Siciliae Illustri Rege Friderico Regni ejus nomine trigesimo septimo, et Inclyto Rege Petro Secundo Regni ejus anno duodecimo feliciter amen. Nos Rogerius de Calatabuturo Judex fel. Urbis Panormi, Bartholomaeus de Puteo Regius publicus Urbis praedictae Notarius, et Testes subscripti ad hoc vocati specialiter, et rogati praesentis scripti publici serie notum facimus, et testamur, quod Reverendissimus Ogerius di Virzolio Cantor Regiae Capellae sacri Palatii dictae Urbis, nos ex parte Regia requisivit, ut una secum ad dictam Capellam deberemus personaliter conferre mandari, et in forma publica redacturi quaedam protestationes in scriptis nobis offerendas, et faciendas per dictum Cantorem tam pro se, quam nomine et pro omnium Canonicorum, *et Clericorum* Capellae ipsius Damiano de Palitio Magistro Capellano Domini nostri Regis volenti visitare Cantorem, Canonicos, et Clericos antedictos *suis requisitionibus annuentes una secum ad dictam Capellam nos contulerimus personaliter, et nobis ibidem praesentibus dicto Cantori dum dictus Dominus Damianus eos visitare vellet nobis obtulit protestationem suam in scriptis, subscripti tenoris, et requisivit nos qui supra Judicem, et Notarium nostrum in hac parte officium implorando, et ipsam protestationem in formam publicam judiciaria auctoritate interposita per manus mei praedicti Notarii ad cautelam dictorum Cantoris, Canonicorum, et Clericorum, et fidem in posterum faciendam; praedicti autem Cantoris nominibus, quibus supra requisitionibus justis ut pote annuentes praedictam potestationem ad cautelam, et fidem in posterum faiendam judiciaria auctoritate interposita per manus mei praedicti Notarii publici in for-*

mam praesentem publicam fideliter duximus redigendam, *cujus originalis protestationis tenor per omnia talis est* = Dominus Ogerius de *Virzolio Cantor Capellae sacri Regii Palatii Civitatis Panormi tam pro se*, *ratione sui officii Cantoriae praedictae*, *quam pro supradicta Capella*, *nec non pro omnibus Canonicis*, *et Clericis ejusdem Capellae testatur*, *et dicit*, *quod cum Venerabilis*, *et Reverendissimus Dominus Damianus de Palitio juris Civilis Professor*, *ac* Magister Cappellanus Regiae Capellae *Serenissimi Domini nostri Regis Consiliarius*, *et Familiaris ejusdem Domini nostri Regis accesserit ad praefatam Cappellam sacri Palatii supradicti animo*, *et proposito*, *ut asseruit*, visitandi supradictam Capellam, inquirendi, et corrigendi excessus praedictorum Cantoris, Canonicorum, et Clericorum ratione officii sui praedicti Magistri Capellae *Domini nostri Regis*, *quod officium visitandi*, *inquirendi*, *et corrigendi praedictus Cantor tam pro se*, *quam pro omnibus Canonicis*, *et Clericis supradictis* negavit, et negat ad dictum Dominum Damianum tamquam ad Magistrum Capellanum pertinere de jure; verum quia de voluntate, et mandato praedicti Domini nostri Regis Friderici, cui subest eadem Capella, procedit, *dicta Visitatio*, *Inquisitio*, *et Correctio praedictorum Cantoris*, *Canonicorum*, *et Clericorum fiat per eumdem Dominum Damianum in Capella ipsa*, *et sic non ratione sui officii supradicti*, propter quod nullam jurisdictionem habere potest dictus Dominus Damianus in Cantorem, Canonicos, et Clericos supradictos, *sed ex delegata auctoritate* procedere videtur ad Inquisitionem, Visitationem, et Correctionem supradictas; *Ideirco praedictus Cantor ob reverentiam Sacrae Regiae Majestatis tunc residentis in Civitate Panormi*, *consensit* Visitationi, Inquisitioni, et Correctioni supradictis, hac protestatione praemissa, quod si officium *praedictum Visitationis*, *vel Inquisitionis de jure non competat praedicto Damiano ratione officii supradicti Magistratus Capellaniae Domini nostri Regis ex praedicta Visitatione nullum praejudicium tam dictae Capellae sacri Palatii Regii supradictis Cantori*, *Canonicis*, *et Clericis ejusdem Capellae*, *et eorum Successoribus generaretur*, *nec etiam dicto Domino Damiano tamquam Magistro Capellano*, *vel ejus Successoribus in dicto officio Magistratus Capellaniae*, *proinde in* supradicta Capella Jus aliquod acquiratur. *Cumque ad futuram memoriam in praedictorum Cantoris*, *Canonicorum*, *et Clericorum cautelam praesens publicum instrumentum protestationis ejus exinde facta est per manus mei praedicti Notarii publici meo solito signo signatum mei supradicti Judicis*, *et subscriptorum Testium subscriptionibus*, *et testimonio roboratis*, *factum in Urbe praedicta*, *anno*, *mense*, *et Indictione praemissis*.

Ego Rogerius de Calatabuturo Juris Civilis Professor, *qui supra Judex me subscripsi*.

Ego Orlandus de Brunello Clericus de Messana testor.

Bartholomaeus de Puteo, *qui supra Notarius publicus Urbis praedictae Notarius praedicta scripsi*, *et meo solito sigillo signavi*.

Dominus Alphonsus Federici Frater: *Jacobus de Platea Frater Jacobi de Nicosia*, *Regius Capellanus Dominus Alexander de Cristaino*, *Bernardus Oliverii Presbyter*, *Joannes de Busignano Presbyter*, *Petrus Jacobi Vinturino*, *Orlandus de Brunella*, *Dominus Jacobus de Platea*, *Dominus Rogerius Catta*, *Philippus de Fazi Presbiter*, *Philippus Maria*.

Ex Archivio Regiae Capellae.

Digitized by Google

XL.

Nonnulla Regia diplomata data exhibentur per Ven. Damianum de Palicio R. S. Logothetam, Cancellarium, et Reg. Capellae Mag. Capellanum.

Fidem facio Ego infrascriptus Primus Regiae *Cancellariae H. S. R. Notarius qualiter perquisita Registra annorum* 1362, 1366, *et* 1393 *ubi registrari solent omnia privilegia per Serenissimos Reges concessa inveni inter alia fol.* 411 *Privilegium Regis Friderici de Terra et Castro Calatabillottae, Castro Calatubi, et Burgetti prope Alcamum cum Castro ad mare de Gulfo pro Guillelmo de 'Peralta, in cujus privilegii fine fol.* 412 *legitur subscriptio Ven.* Damiani de Palicio de *Messana Iuris Civilis Professoris* Regni Siciliae Logothetae, ac Cancellarii, et Regiae Capellae Magistri Capellani, *et in ejusdem privilegii exequutoria legitur denuo fol.* 412 *retro subscriptio sequentis tenoris videlicet = Dat. Cathaniae per Ven. Damianum de Palicio de Messana Juris Civilis Professorem* Regni Siciliae Logothetam, et Cancellarium, ac nostrae Capellae Magistrum Capellanum; *et in alio Regis Petri privilegio in eodem libro fol.* 413 *existente de Terra, et Castro Bonifacii favore ejusdem Guillelmi de Peralta apparet in fine ejusdem privilegii fol.* 413 *retro, et* 414 *sequens subscriptio nempe. Dat. Cathaniae* per Venerabilem Damianum de Palicio de *Messana Juris Civilis Professorem*, Regni Siciliae Logothetam, et Cancellarium, et Capellae nostrae Magistrum Capellanum *anno* 1337 *mense Januarii sextodecimo = Datum Panormi die* 10 *Aprilis* 1761.

Joseph Miano primus Reg. Cancellariae h. S. R. Notarius.

XLI.

Enunciatur Fr. Guillelmus de Aydone Ord. Praedicatorum Regis Petri II. Mag. Capellanus, et Confessarius.

Petrus II. Dei gratia Rex Siciliae Secretis, et Mag. Portulanis fel. Urbis Pan. tam praesentibus, quam futuris fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Aloysius Spina de Messana Clericus Capellae sacri Palatii nostri fel. Urbis ejusdem devoti nostri, Majestati nostrae nuper humiliter supplicavit, quod cum ipse adeptus sit noviter, et teneat in eadem Capella ex Collatione per Majestatem nostram ei ut supra facta, consideratione praesertim gratorum, et acceptorum servitiorum per Consanguineos suos nostro Culmini devote, et fideliter praestitorum, quemdam Canonicatum dictum de majoribus vacantem tunc in eadem Capella per obitum quondam Presb. Joannis de Angelo de Pan. qui Canonicatum ipsum dum vixit obtinebat, ac dictus praecessor suus ratione Canonicatus praed. uncias auri octo ponderis generalis ex pecunia proventuum gabellarum, et jurium Curiae dictae Urbis ad dictum Secretiae, et procurationis officium spectantium, consuevit dum vixit, annis singulis a nostra Curia recipere, et habere; et praecitatae pecuniae ipsi exinde contingentis a quinto decimo mensis Decembris hujus octavae Indictionis in antea quatenus in Corporalem possessionem vel quasi Canonicatus praefati inductus existit, per totum mensem Augusti dicti anni praesentis, per te praesentem Secretum, et alios in antea quolibet anno dictas uncias auri octo per vos futuros Secretos Urbis praefatae ipsi Aloysio de pecunia gabellarum, et jurium eorumdem tribui mandaremus. Cujus supplicatione benigne admissa

quia quod dictus Alaysius in corporalem possessionem vel quasi dicti Canonicatus praedicto quinto decimo Decembris per Venerab. Fratrem Guillelmum de Aydone de Ordine Praedicatorum Magistrum Capellanum, Confessorem, et devotum nostrum *ad literas Celsitudinis nostrae ipsi sibi missas inductus existit etc. Dat. Messanae anno Dominicae Incarnationis* 1340 4 *Januarii octavae Indictionis*.

Ex transumpto per acta Not. Leonardi de Musco sub die 1 Novembris 1344 12 Indict. extante in Archivio Reg. Capellae.

XLII.

Quod ex privilegio Sedis Apost. ad Mag. Capellanum spectaret jurisdictio in Reg. Capellas, Rex Ludovicus Messan. Archiepiscopo praecipit, ne Ecclesiam Castri Messanae, ac Monasterium de Basicò sibi vendicare adnitatur.

Ludovicus Rex — Sedente Clemente Sexto.

Ludovicus Dei gratia Rex Siciliae Rev. in Christo Raimundo Messanensi Archiepiscopo devoto suo salutem in Domino.

Cum ad Audientiam nostram pervenerit, quod vos Monasterium Monialium, quae fuerunt de Basicò constructum nuper in nobili Civitate Messanae per Serenissimam Dominam Elisabeth Illustrem Reginam Siciliae Reverendam, et Reverendissimam Dominam Genitricem nostram, nec non Ecclesiam S. Mariae de Castro ad mare, quam Gloriosissimi Illustres Reges Siciliae praedecessores nostri pia devotione fundarunt, quae ad Capellam nostram spectare rationabiliter dignoscuntur, nitimini vestrae jurisdictioni submittere, de hoc non modicum admirati, cum ex privilegio nobis, et Praedecessoribus nostris Principibus divae memoriae per Apostolicam Sedem concessis eorum jurisdictio ad Magistrum Capellanum Capellae nostrae, et non ad Dioecesanum spectet, de jure, vos requirimus, ut de praedicto Monasterio, et Ecclesia, nec non de Monialibus, et earum Servitoribus ibi per nostram Celsitudinem constitutis vos nequaquam intromittere debeatis, quia jura nostra per vos, vel per alium usurpari seu minui nullatenus pateremur. Datum Cathaniae ann. Dominicae Incarnationis millesimo trecentesimo quadragesimo quinto 26 *Aprilis decimae tertiae Indictionis*.

Ex Volumine I. Regiae Monarchiae existente in Officio Protonot. fol. 981.

XLIII.

Regina Helisabeth Mess. Archiepiscopo mandat, ne in Monasterium Monialium de Basicò R. Capellae subjectum se intromittat.

Helisabeth Regina — Sedente Clemente Sexto.

Helisabeth Dei gratia Regina Siciliae Reverendo in Christo Patri Rajmundo Archiepiscopo Messanensi Devoto suo salutem in Domino: Cum ad audientiam nostram pervenerit, quod vos Monasterium Monialium, quae fuerunt de Basicò constructum nuper in Nobili Civitate Messanae per Majestatem nostram, quod ad Capellam Regiam spectare dignoscitur nitimini vestrae Jurisdictioni submittere, de hoc non modicum admirati vos expresse requirimus,

ut de dicto Monasterio et ejus Monialibus ibi per nostram Excellentiam constitutis vos nequaquam intromittere debeatis. Datum Cataniae 26 Aprilis decimae tertiae Indictionis.

Ex libro Regiae Monarchiae Regni Siciliae existente in Officio Protonotarii fol. 314.

XLIV.

Tertiaria Montis S. Juliani confertur Leonardo Vitali, et Mag. Capellano ejus in possessionem inductio committitur.

Scriptum est Reverendo in Christo Patri Fratri Philippo de Cusis Ordinis Minorum sacrae paginae Professori Magistro Capellano Consiliario Familiari, vel ejus Locumtenenti... devoto suo etc. Cum ad supplicationem factam nuper Culmini nostro per Magnificum Joannem de Vitali de Panormo Magistrum Notarium Officii Prothonotarii Regni nostri Consiliarium, Familiarem, et fidelem nostrum. Consideratione praesertim gratorum servitiorum per eum assidue nostrae Celsitudini praestitorum, Leonardo de Vitali de Panormo Clerico Filio suo Familiari Consiliario dilecto nostro terciariam decimarum veterum gabellarum, et jurium Terrae Montis S. Juliani ad Officium Secretiae, et procurationis Siciliae spectantium vacante ad praesens in Capella sacri nostri Panormitani Palatii per Renunciationem Venerabilis Francisci de Vitali Cantoris Capellae praedictae Familiaris, Consiliarii, dilecti nostri, qui terciariam ipsam ex collatione Curiae nostrae *tenebat pro parte sua in Curia nostra factam ad collationem nostram pleno jure spectantem cum omnibus juribus, rationibus, proventibus, et obventionibus suis gratiose duxerimus* conferendam, *velimusque dictum Leonardum, vel Nuncium sive pro eo in possessionem dictae terciariae jurium, et aliorum omnium praedictorum per vos pro parte Curiae nostrae induci, devotioni vestrae mandamus quatenus praedictum Leonardum, vel Nuncium suum pro eo, praesentes vobis literas assignantem, in possessionem dictae terciariae, omniumque jurium, rationum, et obventionum suorum auctoritate praesentium inducatis, sibique faciatis de ipsiis juribus, et proventibus responderi etc. Datum Messanae 23 Maii primae Indict.* 1348.

Ex Registro Reg. Cancellariae H. S. R. ann. 1360, et 1366, et aliorum annorum fol. 330 retro.

XLV.

Confertur Damiano Riera, Clerico Regio, Rectoria S. Joannis Palatii Messanensis, et Mag. Capellano demandatur, ut eum immittat in possessionem.

Scriptum est Venerabili Fr. Philippo de Cusis Ordinis Minorum Sacrae Paginae Professori, Magistro Capellano, Familiari, et devoto suo ejus gratiam et salutem. Cum mortuo pridie Francisco de Catania vita sibi comite Rectore, seu Beneficiali. Rectoriae Capellae S. Joannis nostri Palatii Messanensis ad Collationem nostram pleno jure spectantis *ad humilem supplicationem noviter Excellentiae nostrae factam per Damianum Riera Clericum nostrae Capellae Familiarem, et devotum nostrum consideratione praecipue gratorum, et acceptorum servitiorum per Genitorem, et Consanguineos ejusdem dum viverent gloriosissimis Principibus Avo, et Genitori nostro, Regibus dicti Regni devote,*

ac fideliter praestitorum, et quae dictus Damianus in dicta nostra Capella praestat ad praesens, et continue, et in antea praestare poterit, dante Domino gratiora; eidem Damiano praedictam Rectoriam dictae Capellae S. Joannis praedicti nostri Messanensis Palatii, cum omnibus juribus, rationibus, obventionibus suis, dummodo quod idem Damianus infra annum unum a die datae praesentium in antea continuo numerandum Ordinem Sacerdotalem assumat, alias praesenti careat gratia, ac si facta sibi aliquatenus non fuisset, gratiose duximus conferendum. *Cumque velimus propterea ipsum Damianum per vos opportuno tempore in possessionem praedictae Rectoriae, jurium, redditimm, et obventionum suarum omnium praedictorum corporaliter induci; devotionem vestram requirimus, quatenus dicto opportuno tempore admittatis eumdem Damianum in corporalem possessionem praedictae Rectoriae, ac jurium, rationum, et obventionum suorum auctoritate praesentium inducentes sibi de praedictis juribus, rotionibus, et obventionibus faciatis integre responderi etc. Datum etc.*

Ex Registro Reg. Cancellariae h. S. R. ann. 1369, et 1366 fol. 310 retro.

XLVI.

Rex Ludovicus obitu Fr. Petri Pact., et Lip. Episcopi Capellanum majorem constituit Fr. Lucam Ord. Erem. S. Augustini.

Ludovicus etc. Regum, et Principum discreta provisio exigit, ut in dignitatibus, honoribus, et Beneficiis Regni sui benemeritos, et virtuosos proeficiat illos viros, per quos uno, eodemque actu laudabili, luce clara patefiat eisdem dignitatibus, et beneficiis provisum maturius ut expedit extitisse, ac virtuosos locum retributionis sibi ex collatis obsequiis vendicasse. Hac itaque considerati one commoti, praesentis Patentis scripti serie notum fieri volumus universis tom praesentibus, quam futuris, quod mores graves, vitamque approbatam, scientiam, et virtutes, ac devotionem Venerabilis Fratris Lucae Ordinis Fratrum Heremitarum S. Augustini in sacra pagina Professoris, Consiliarii, familiaris, et devoti nostri, quibus singulariter insignitur, nec non grata satis, et accepta servitia per eum a longis jam retro temporibus Serenissimis Principibus Dominis Progenitoribus nostris Regibus divae memoriae, atque nobis fideliter, et devote collota aequo animo attendentes, atque hujusmodi virtuosos, et benemeritos honoribus, et dignitatibus praeficere nostra intentio perscrutetur, eidem Fratri Lucae Officium Magistri Capellonatus tom magnae nostrae Capellae, nostrorumque Regalium, quam aliarum Capellarum, Palotiorum, Castrorum, Cononicatuum, Terrarum, Beneficiorum, Tertiariarum, et Ecclesiarum Regni nostri ad collationem nostram, dictorumque nostrorum Regalium spectantium, et quae spectare poterunt successive vacans ad praesens per obitum Rev. in Christo Patris Fratris Petri Pactensis, et Liparensis Episcopi vita suo Comite nostri Magistri Capellani, Consiliarii, familiaris, et devoti nostri ad collationem nostram pertinens plena jure cum honoribus, dignitatibus, gratiis, collationibus, jurisdictionibus, solidis, et aliis quibuscumque juribus, quibus dictum Magistri Cappellanotus Officium praedecessores ipsius Magistri Lucae exercuerunt, ac Officium ipsum consuevit, et debuit exerceri ex nunc in anthea in tota vita suo duximus conferendum; Universis, et singulis Officialibus Regni nostri, quod ad requisitionem ipsius Magistri Lucae in omnibus, et singulis ad exercitium dicti Magistri Capella-

tus officii spectantibus assistant ope, favore, consilio, et auxilio opportuno, ac Canonicis, Capellanis, Beneficialibus, Tertiariis, et Clericis tam dictae Magnae Capellae nostrae, nostrorumque Regalium, quam praedictarum aliarum Capellarum ad nostram, et eorumdem nostrorum Regalium collationem spectantium, aliisque personis praedicto Magistri Capellanatus Officio subjacentibus, quod ei tamquam nostro, dictorumque Regalium Magistro Capellano in omnibus, et singulis ad ipsum Officium spectantibus pareant, et intendant tenore praesentium injungentes. In cujus rei testimonium, certitudinem, et cautelam praesens scriptum patens sibi exinde fieri, et Majestatis nostrae sigillo pendenti jussimus communiri. Datum Cathaniae per Nob. Bonifaciam Friderici de Aragonia R. S. Cancellarium Consanguineum Famil. et Fidel. nostrum anno 1364 21 *Iunii septimae Indict.*

Ex Reg. Off. Protonotarii ann. 1364, 1365, et 1366 sign. litt. B. fol. 272.

XLVII.

Confertur Canonicatus Palat. Capellae Antonio de Guerclis, et Mag. Capellano mandatur, ut eum in possessionem inducat.

Scriptum est Reverendo in Christo Patri Fratri Lucae Ordinis Heremitarum Beati Augustini in sacra pagina Professori Magistro Capellano Consiliario fideli, et devoto suo etc. Cum ad supplicationem Antonii de Guerciis Clerici Capellae nostrae familiaris, et devoti nostri nuper Culmini nostro factam, consideratione praesertim gratorum obsequiorum Jacobi de Guerciis de Messana militis patris sui, familiaris, et fidelis nostri nostrae Excellentiae praestitorum, quae ipse confert ad praesens, et praestare poterit in futurum, sibi Canonicatum de majoribus sacrae Capellae nostrae sancti Petri nostri Panormitani Palatii vacantem ad praesens per obitum, quondam Orlandi de Brunello Cantoris, Canonici ejusdem Capellae, et ad Collationem nostrem pleno jure pertinentem contulerimus gratiose, devotionem vestram requirimus, *et hortamur, ut praedictum Antonium in possessionem Corporalem, vel quasi dicti Canonicatus tenore praesentium inducentes sibi faciatis de ejusdem Canonicatus juribus, et proventibus suis, loco, et tempore integre responderi. Datum Messanae die* 4 *Januar. an.* 1355.

Ex libro Proton. ann. 1364, 1365, et 1366 fol. 212.

XLVIII.

Rex Ludovicus Canonicatum, et Cantoriam sacri Palatii pan. cum adnexo beneficio S. M. de Admirato confert Franciscus de Catania, quem suum vocat Capellanum et Familiarem.

Ludovicus Dei gratia Rex Siciliae etc. Notum fieri volumus universis tam praesentibus, quam futuris, quod nos attendentes merita probitatis sufficientiae et honestatis Ven. Francisci de Catania Panormitani, et Mazariensis Canonici Capellani familiaris, et devoti nostri etc. Eidem Francisco in vita sua Canonicatum dictum de Maffari, et Cantoriam sacrae Capellae S. Petri Palatii nostri felicis Urbis Panormi, nec non beneficium Ecclesiae S. Mariae de Admirata Urbis ejusdem, vacantia per obitum Ven. Orlandi de Brunello de Messana olim Canonici, Cantoris, et Beneficialis Capellae, et Ecclesiae prae-

Digitized by Google

dictorum ad collationem nostram immediate spectantia, *cum omnibus honoribus, dignitatibus, juribus, oblationibus, proventibus, et redditibus eorum, pro ut ea tenebat dictus Orlandus de expressa conscientia, certaque scientia, et assensu nostris, ex nunc in antea* liberaliter, et gratiose duximus conferenda. *In cujus rei testimonium etc. Datum Cathaniae per Nobilem Bonifacium de Aragona R. S. Cancellarium ann. dom. Incarn. millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, Septembris quarto decimo nonae Indict.*

Ex Archivio palat. Capellae.

XLIX.

Mandat Rex Fridericus Clero, et Populo Terrae Calax. ut Fr. Simoni de Leontino Ord. Min. tamquam Mag. Capellano religiose obediant.

Factae sunt patentes in haec verba Fridericus etc. Universis hominibus tam Ecclesiasticis, quam Secularibus Terrae Calaxibettae tam praesentibus, quam futuris fidelibus, et devotis suis etc. Quia totus Clerus, et Populus ejusdem Terrae sub gubernatione, et spirituali cura Magistri Capellani nostri omnibus retrohactis temporibus fuerunt, et sunt soliti permanere; *vobis mandamus expresse ut Fratri Simoni de Leontino ordinis minorum, quem in Magistrum* Capellanum sacrae nostrae Capellae statuimus, et ordinavimus ad nostram collacionem tota Universitas dictae Terrae spiritualiter pertinet atque spectat *tamquam Magistro Cappellano ut supra in omnibus, et singulis ad hujusmodi Magistri Capellanatus officium spectontibus devote pareatis, et efficaciter intendatis sub illis videlicet modo, et forma quibus caeteris Magistris Capellanis Praedecessoribus suis in eodem Officio parere, et obedire fuistis hactenus consueti cujuscumque alterius opposicionibus in contrarium forte factis minime obstituris. Dat. apud Cephaludum die decimo octavo Aprilis Undecimae Indicionis.*

Ex reg. Regni Siciliae Proton. ann. 1355 usque ad 1366 fol. 342.

L.

Rex Fridericus confirmat Presb. Thomae de Caropipi beneficium S. Petri Terrae Calax. quod ex Regis Ludovici collatione post mortem Orlandi de Brunello obtinuerat.

Fridericus Infans Dei Gratia Regni Siciliae Dominus, ac Athenarum, et Neopatriae Dux: Universis, et singulis tam praesentibus, quam futuris praesentes literas inspecturis esse volumus manifestum, quod Presb. Thomasius de Caropipi habitator Terrae Paternionis, Archipresbiter ejusdem Terrae Capellanus nostrae Capellae humiliter supplicavit, ut cum olim ad supplicationem per eum humiliter factam Excell. Principi D. Ludovico ejusdem Regni Regi Illustri bonae memoriae charissimo Fratri nostro, suis fidelibus attentis servitiis, beneficium S. Petri positi in Terra Calaxibettae ad Collationem nostram pertinens, atque spectans, *vacans tunc per obitum quondam Ven. Dom. Orlandi de Brunello de Messana sacri nostri Palatii Canonici, et Cantoris Beneficialis ejusdem Ecclesiae Sancti Petri, cum omnibus suis juribus, et proventibus tam temporalibus, quam spiritualibus consuetis, et debitis a die obitus dicti quondam Dom. Orlandi, in anthea contulerit, et donaverit gratio-*

Digitized by Google

se, factis proinde, et directis etiam ad Rev. in Christo Patrem Fratrem Lucam Ordinis Sancti Augustini Heremitarum in Sacra Pagina dignissimum Professorem, Magistrum Capellanum, Consiliarium, fidelem, et devotum nostrum de inducendo ipsum in possessionem dicti Beneficii ut moris est sub ejusdem Ser. Principis Dom. Fratris nostri consuetis titulo, et sigillo literis opportunis, et subsequenter ipsius beneficii corporalem possessionem vigore literarum praedictarum adeptus fuerit, atque sic ex causa Collationis praedictae, Collationem ejusdem beneficii, et ipsum beneficium eidem Supplicanti confirmare nostra Serenitas dignaretur: qua Supplicatione clementer admissa etc. eidem Presbitero Thomasio Capellano nostro vigore praesentium confirmamus, et de novo etiam gratiose conferimus, et donamus. *In cujus rei testimonium, certitudinem, et cautelam praesentes literas sibi exinde fieri mandavimus, et Majestatis nostrae Sigillo jussimus communiri. Datum etc.*

Ex lib. Protonot. an. 1364, et 1365, et 1366 fol. 141 et 142.

LI.

Instante Clero Terrae Calaxibettae, ut beneficio S. Petri Thomas Caropipi tamquam Archipresbiter Terrae Paternionis, juxta canonicas sanctiones privaretur; Rex Fridericus Fr. Simeoni utpote Mag. Capellano, causam detulit examinandam.

Scriptum est Venerabili Fratri Simeoni de Leontino Ordinis Minorum gerenti vices Reverendi in Christo Patris Fratris Lucae Ordinis Heramitarum S. Augustini in sacra pagina Professoris Magistri Capellani nostri in eodem Magistri Capellanatus Officio Capellano, Consiliario, familiari, et devoto suo etc.

Clerus totus Terrae Calaxibettae devotorum nostrorum praesens nuper coram Majestate nostra Culmini nostro humiliter supplicavit, ut cum Presbiter Thomasius de Caropipi de Paternione Beneficialis Ecclesiae S. Petri ejusdem Terrae Capellanus, familiaris, et devotus noster ex collatione Serenissimi Principis Domini Ludovici ejusdem Regni Regis Illustris Fratris nostri charissimi recordationis felicis, hujusmodi Beneficium dictae Ecclesiae ad dignitatem Regiam pleno jure pertinens *sit adeptus, percipiendo ipsius Beneficii fructus, redditus, et proventus, et in dicta Ecclesia Animarum cura ibi opportuna dignoscitur, morari, et servire pro ut tenetur, et debet recusaverit, et recusat, habeatque aliud Beneficium curatum in Terra Paternionis, in qua continue facit residentiam personalem, sicque ex dicto Beneficio S. Petri merito sit privandus, cum Beneficialis aliquis duo Beneficia curata tenere non possit secundum Canonum legitimas sanctiones, providere super hoc nostra Serenitas dignaretur; Qua supplicatione admissa,* quia collatio dicti Beneficii ad nostram dignitatem Regiam, atque cognitio causarum, et jurium dictae Ecclesiae ad praedictum Officium Magistri Capellanatus pertinet pleno jure, *Vobis tamquam gerenti vicem ut supra dicti Magistri Capellani cognitionem, et decisionem causae hujusmodi duximus committendam, devotioni vestrae mandamus, ut partibus, quae tanguntur in vestri praesentia accersitis, et auditis juribus utriusque, causam ipsam, pro ut vobis de jure videbitur terminetis, quod inde decreveritis, Serenitati nostrae vestris literis rescripturi. Datum apud Castrumjoannem 27 Julii XI. Ind.* 1358.

Ex lib. Regis Friderici ann. 1364, 1365, et 1366 fol. 324 existente in Officio Protonotarii.

Digitized by Google

LII.

Beneficium S. Antonii Terrae Calax. confert Rex Fridericus Fr. Richardo Comparini.

Factae sunt patentes in haec verba: Fridericus universis Officialibus, et personis aliis nostrae Terrae Calaxibettae tam praesentibus, quam futuris, praesentes literas inspecturis fidelibus suis etc. Cum ad supplicationem Fratris Riccardi Comparini de Messana familiaris, et fidelis nostri nuper Culmini nostro factam, suorum consideratione servitiorum per eum Serenissimae Dominae Elisabeth ejusdem Regni Illustri Matri nostrae Reverendae gloriosae memoriae atque nobis puro animo praestitorum etc. habitationem pro se, et suo filio Andrea Ecclesiae vocatae Sanctus Antonius positae extra moenia ejusdem Terrae Calaxibettae spectantis ad Capellam nostram, in qua Ecclesia dictus Frater Riccardus una cum eodem filio suo Jesu Christi servitio ad ejusdem Beati Antonii laudem, et gloriam proponit de caetero commorari gratiose, et benigne duximus conferendam. *Fidelitati vestrae mandamus quatenus dictum Fratrem Riccardum cum eodem filio suo in dicta Ecclesia habitare de caetero, ac petere, exigere, recolligere, et habere eleemosynas, legata, et quaelibet pia subsidia eidem Ecclesiae facta, et facienda praeter contradictionem aliquam permittatur. Datum etc.*

Ex lib. Proton. Frider. ann. 1364, 1365, et 1366 fol. 366, et 136.

LIII.

Fridericus III. Mag. Capellanum, et praecipuum Confessarium suum, in Fr. Lucae locum, quousque absens fuerit, Fr. Franciscum de Castrojoanne sublegit.

Factae sunt Patentes in haec verba.

Fridericus etc. Discreta provisio comendatur, ut singulariter cum honoribus, et dignitatibus praefieiat virtuosos; praesentium itaque tenore pateat universis tam praesentibus, quam futuris, quod mores graves, vitam laudabilem, scientiam, et virtutes Venerabilis Fratris Francisci de Castrojoanne Ordinis Minorum devoti nostri, nec non grata obsequia per eum nobis praestita, ac in anthea annuente Domino conferenda aequo animo meditantes, ipsum in Capellanum nostrum, et Confessorem praecipuum suscepimus, *ac propter absentiam Reverendi in Christo Patris Fratris Lucae de Messana Ordinis Heremitarum Beati Augustini in sacra pagina Professoris Magistri Capellani, Consiliarii, familiaris, et devoti nostri, eumdem Fratrem Franciscum in* Magistrum *Capellanum* nostrae Regiae Capellae ex nunc in anthea quousque, scilicet praefatus Magister Lucas ad praesentiam nostram accesserit duximus statuendum; *Universis, et singulis Officialibus Regni nostri etc., quod ad requisitionem dicti Fratris Francisci sibi tamquam nostro Magistro Capellano ut praefertur in omnibus. et singulis ad exercitium, et expeditionem dicti Magistri Capellanatus Officii spectantibus assistant ope, favore, et auxilio opportunis, ac Canonicis, Capellanis, Beneficialibus, Terciariis, et Clericis tam Magnae Capellae nostrae, nostrorumque Regalium, quam aliarum Capellarum, ad nostram, nostrorumque Regalium collationem spectantium, aliisque personis praedicto Magistri Capellanatus Officio subjacentibus, quod dicto Fratri Fran-*

Digitized by Google

sibeo tamquam Magistro Capellano ut supra in omnibus, et singulis ad ipsum Magistri Capellanatus Officium spectantibus devote pareatis, et intendatis tenore praesentium injungentes; In cujus rei testimonium etc.

In libro Prothonotarii Regni ann. 1364, 1365, et 1366 num. 2 fol. 51 retro.

LIV.

Ob regium aerarium pene exhaustum, statuit Rex Fridericus, ut Fr. Philippo de Cusis, annuus census Mag. Capellanis a Regia Curia pendi consuetus, ex fructibus vacantium Tertiariarum persolvatur.

Fridericus Dei gratia, Rex Siciliae etc. Praesentis Scripti serie notum fieri volumus Universis, quod ad supplicationem factam nuperius nostro Culmini per Venerabilem Fratrem Philippum de Cusis Ordinis Minorum Sacrae Paginae Professorem Magistrum Capellanum, Consiliarium, familiarem, et devotum nostrum (1) *petentem sibi per nostram Curiam satisfieri pro annua provisione sua ratione dicti Magistri Capellanatus Officii Praedecessoribus suis in eodem Officio tribui per nostram Curiam consueta, Curia ipsa defectu paecuniae plurimum coarctata ob modicitatem, et quasi annichilationem Proventuum Regni nostri praecipue Guerrarum turbinibus lacessiti dicto Magistro Capellano de hujusmodi provisione sua satisfacere nequivimus, providimus, et nostrae Majestati placet omnino, quod idem Magister Capellanus pro supplimento dictae Provisionis suae, redditus, obventiones, et jura, terciarias decimarum certarum Gabellarum, et jurium, Civitatum, Terrarum, et Locorum tam nostri demanii, quam Comitum, et Baronum, et aliorum quorumcumque Beneficiorum vacantium, et quae vacare contigerit* ad Collationem nostram praedictam spectantium *ex nunc in antea usque ad dictam integram satisfactionem suae annuae provisionis praedictae habeat, et percipiat per se, et alios loco sui ejus utilitatibus applicanda. Singulis Officialibus nostrae Curiae ad quorum hoc spectat, et spectabit Officium; Praesentium tenore mandantes expresse quatenus dicto Magistro Capellano super exactione, et perceptione dictorum Proventuum praedictarum Terciariarum, et Beneficiorum illorum scilicet ex eis quae interea vacare contingerit satisfaciant, et fieri faciant; sub sigillo Majestatis nostrae Literis opportunis datum etc.*

Ex Registro Regiae Cancellariae h. S. R. anni 1360, et 1366 fol. 331.

LV.

Conferuntur beneficia S. Philippi de plano Melatii, ac SS. Joannis, et Nicolai Civit. Mazariae, Joannucio de Ripa, cum verbis ad Mag. Capellanum directis, ut eum in possessionem immitteret.

Scriptum est Rev. in Christo Patri Philippo de Castro Joanne Ordinis Minorum sacrae paginae Professori Mag. Capellano Consiliario, Familiari, et devoto suo etc. Cum ad supplicationem Mag. Raymundi de Ripa de Cathania Phisici Medici familiaris, et devoti nostri, noviter Culmini nostro factam

(1) Fr. Philippus de Cusis Mag. Capellanus idem debet videri, atque Fr. Franc. de Castrojoanne superius enunciatus. Dicitur enim in hoc diplomate Ordinis Minorum, et in sequenti de Castrojoanne, et praeterea si diversi essent, duo simul Capellani majores Fr. Lucae suffecti emergerent.

considerantes grata satis, et accepta servitia . . . . Joannucio de Ripa Filio suo Beneficia S. Philippi *de plano Melaci, ac SS. Joannis, et Nicolai Civitatis Mazzariae vacantia ad praesens propter obitum quondam Antonii de Palicio Clerici, qui beneficia ipsa vita sibi comite ex collatione nostrae Curiae tenebat*, ad collationem nostram spectantia pleno jure *cum omnibus redditibus, proventibus, rationibus, obventionibus, honoribus, et praerogativis ad beneficia ipsa spectantibus, gratiose* duximus conferenda. *Devotioni vestrae mandamus, quatenus praedictum Joannem, vel Procuratorem, aut Nuntium suum pro eo praesentes vobis literas assignantem, in corporalem possessionem dictorum beneficiorum, jurium, redditaum, proventuum, et omnium aliorum praedictorum inducatis, seu induci authoritate praesentium faciatis, sibique de ipsorum juribus, et proventibus integre responderi etc. Datum apud Cathaniam die quarto Julii XV. Indict.*

Ex registro R. S. Protonotarii ann. 1361, 1362, et 1363 fol. 288 et seq.

LVI.

Tertiaria Paternionis, ac Minei confertur cum verbis ad Locumtenentem Fr. Lucae Mag. Capellani directis, ut electum in possessionem inducat.

Scriptum est Fratri Laurentio de Menardo Priori Ecclesiae Beati Augustini Ordinis Heremitarum posiii in Civitate Cathaniae ac gerenti vicem Reverendi in Christo Patris Fratris Lucae in sacra pagina Professoris Magistri Capellani nostri in eodem Magistri Capellanatus officio devoto suo in haec verba, Cum ad supplicationem Petrucii de Regio Clerici familiaris, et devoti nostri Filii Petri de Regio militis familiaris, et fidelis nostri nuper culmini nostro factam consideracione praesertim gratorum obsequiorum per dictum militem Patrem suum nostro Culmini praestitorum, quae ipse Serenitati nostrae praestat ad praesens, et conferre poterit in futurum sibi terciarias decimarum veterum gabellarum, et jurium terrarum Paternionis, et Minei ad collacionem nostram spectantes pleno jure vacantes ad praesens per occupacionem Civitatis Messanae occupatae per Hostes nostros, in qua Aldoynus Lanna Clericus terciariam olim dictarum terciariarum, qui ipsas a Curia nostra tenebat, includitur morando in ea sub dominio dictorum hostium consentiendo voluptatibus eorumdem, a primo Septembris anno praesenti hujus decimae Indicionis duximus conferendas; devotioni tuae mandamus ut statim receptis praesentibus dictum Petrucium Clericum in possessionem earumdem terciariarum praesentium authoritate inducens sibi facias de ipsarum terciariarum proventibus ab eodem primo Septembris ejusdem decimae Indicionis de cetero integre responderi: facturus de inducione hujusmodi quatuor quaternos consimiles etc. Datum apud Policium die Vigesimo Septimo Augusti decimae Indicionis.

Ex registro Regni Siciliae Protonotarii ann. 1355 usque ad 1366 fol. 426.

Digitized by Google

LVII.

Abrogato Thomae de Caropipi beneficio S. P. Calax. istius beneficii medietatem unam concedit Rex Fridericus Presb. Martino, alteram Cler. Andreae de Pan.

Scriptum est Reverendo in Christo Patri Magistro Capellano, Consiliario, familiari etc. vel ejus in eodem officio vicem gerenti, familiari, et devoto suo etc. Cum ad humilem supplicationem factam noviter Excellentiae nostrae per Presbyterum Martinum de Notario Nicolao de Castrojoanne devotum nostrum, consideratione suae purae devotionis, et fidei, pro qua illibata servanda Presbiter ipse exul est a dicta Terra Castrijoannis ejus Patria, suis bonis omnibus in dicta Terra dimissis, ac proinde expositis, nec non gratorum servitiorum per eum nostra Culmini praestitorum, et in antea praestandorum, eidem Presbitero in subsidium victus sui medietatem integram beneficii Sancti Petri de Terra Calaxibectae ad Collationem nostram pleno jure spectantis, quod olim Serenitas nostra Presbitero Thomasio de Caropipi de Paternione sub certa forma contulit gratiose, et eo idem Presbiter Thomasius certis ex causis *rationabiliter est privatus, cum juribus, redditibus, et proventibus suis, reliqua medietate ejusdem beneficii Clerico Andreae de Panormo familiari, et fideli nostro* dignis considerationibus remanente duxerimus conferendam: *Devotioni vestrae mandamus quatenus dictum Presbyterum Martinum in Corporalem possessionem dictae medietatis ejusdem beneficii cum praedictis proventibus, et juribus inducentes sibi, vel ejus Procuratori, seu Nuncio, aut Substituto de juribus, et proventibus ipsis faciatis de coetero integre responderi. Datum ....*

Similes literae factae sunt verbis competentibus mutatis pro Clerico Andrea de Panormo de reliqua medietate dicti beneficii.

Ex Lib. Protonot. ann. 1361, 1362, 1363 fol. 34, et 35.

LVIII.

Conceduntur Fr. Philippo de Castrojoanne Mag. Capellano bona Rebellium, et proventus ex captura tynnorum, quae fiebat in ora Bonagiae.

Factum est Privilegium subscripti tenoris post graciam in hac forma. Et si labores activos . . . . . . pro Nobis in seculo grato deberemus oculo cernere, ut eos, qui corporaliter nostris vacant obsequiis, merita sine stipendio praeteriri nullatenus patiamur. Juvat non minus plene consideracionis examine suadente illos internis oculis visitare, et graciosis favere suffragiis, quos Religionis Sacrae approbat Regula, honestae vitae commendat sinceritas, et Sapienciae dos decorat. Cumque pro nostris auspiciis, et salute devotis vigiliis insistentes, et obsecracionibus apud omnium Salvatorem etiam in opportunis articulis pro incrementis felicibus Regni nostri labores honestos, et sarcinas non effugiunt corporales eciam acceptis Deo, et nobis operibus clemenciam nostram sibi constituentes beneficam in subsidio charitatis. Hinc est quod cum Venerabilis in Christo Pater Frater Philippus de Castro Joanne Ordinis Fratrum Minorum Sacrae Paginae Professor Major Capellanus, Consiliarius, et devotus noster, qui suae regulae instituta canonice observans lateri nostro personaliter dicti sui Magistri Capellanatus officio virtuosus assistens se exemplari vitae

speculo ac decore Majestatis nostrae multipliciter reddit graciam ex eleemosynis, et charitativis erogacionibus dicti sui ordinis, quibus pro ejus tantum persona percipiat, seu, ex aliis obsecracionibus, quibus eum inhibitio suae Regulae efficit omnino earentem, et non habeat unde supportotare possit sumptus necessarios pro vita libris, vestibus, et aliis opportunis sibi, et familiae suae quam sequendo Curiam nostram *oportet eum secum continuo ducere, et tenere, eidem Fratri Philippo ex nunc in antea jura omnia rebellium, proventuum Tonnariae nostrae Trapani dictae Bonachla ad manus nostrae Curiae rationabiliter devoluta libera, et expedito a praestacione alicujus servicii, cum suis racionibus, introytibus debitis, et consuetis de nostra mera liberalitate, et speciali gracia duximus concedenda: Tenore praesencium singulis Secretis, Vicesecretis et officialibus omnibus Terrae ipsius tam praesentibus quam futuris mandantes expresse quatenus dictum Fratrem Philippum vel personam legitimam per eumdem omni locacione, et jurium ipsorum perceptione propterea statuendi, praefata jura omnia dictae Tonnariae debita et consueta percipere, et habere, tenere, locare, pro ut hactenus extitit consuetum sine molestia, et contradictione aliqua omnino permietant juribus Ecclesiis, sive Ecclesiasticis personis super dicta Tonnaria consuetis, et debitis per omnia semper salvis. Ad haec jus autem nostrae concessionis robur, Curiae nostrae certitudinem, et informacionem, dictique Fratris Philippi cautelam praesens privilegium vobis exinde fieri fecimus et sigillo nostro pendenti jussimus communiri. Praesens privilegium post opportunam inspectionem restituatis eidem Fratri Philippo, vel ejus Nuncio per eum deinde vestris successoribus ostendendum cum praesentem nostram concessionem in ipsius Fratris Philippi vita dumtaxat volumus persistere duraturam. Datum Catanae per Venerabilem in Christo Patrem Cathoniensem Episcopum Cancellarium nostrum anno Dominicae Incarnationis* 1362 *Mense Novembris, quinto ejusdem.*

Ex Registro R. S. Prot. ann. 1361 1362 et 1363 fol. 152.

LIX.

Confertur Canonicatus Pal. Capellae Andreae de Milatio, cum verbis Cantori directis pro eo in possessionem inducendo.

Scriptum est Ven. Francisco de Cathania Cantori sacri nostri Panormitani Palatii Capellano, familiari, et devoto nostro etc. Cum ad humilem supplicationem noviter Culmini nostro factam per Presbyterum Clericum Andream de Melatio de Panormo Capellanum, familiarem, et devotum nostrum, cujus servitia fideliaque obsequia od beneficandum ei merito nos inducunt, eidem Presbytero Andreae tomquam benemerito, et retributione condigno de cujus fide sufficientia, et legalitate confidentes ab experto beneficium Canonicatus de majoribus Ecclesiae Sancti Petri dicti sacri nostri Panormitani Palatii spectans ad collationem nostram pleno jure *vacans od praesens propter obitum quondam Presbyteri Riccordi de Cardimono Beneficialis ejusdem beneficii comite sibi vita ex nunc in onthea gratiose duximus conferendum, devotioni tuae proesentium tenore commictimus, et mandamus quatenus receptis praesentibus dictum Presbyterum Andream, vel ejus pro eo Procuratorem, vel Nuncium praesentes tibi Literas assignantem in Corporalem possessionem ipsius beneficii Cononicatus praedicti praesentium authoritate inducas, sibique ac Procuratoribus, et factoribus suis de proventibus, redditibus, et obventionibus ad dictum beneficium de jure spectantibus faciatis de coetero integre respanderi etc.*

Digitized by Google

Ex Reg. R. Sic. Proton. ann. 1361 1362, et 1363 fol. 82 retro.

LX.

Rex Fridericus Cantoriam sacri Palatii obitu Franc. de Catania, cum adnexo beneficio S. M. de Admir. confert Can. Franc. Vitali, datis etiam ad Mag. Capellanum literis, ut eum in possessionem inducat.

Fridericus Dei gratia Rex Siciliae, ac Athenarum, et Neopatriae Dux etc. Praesentis itaque scripti serie notum fieri volumus universis tam praesentibus, quam futuris, quod vacante ad praesens Cantoria Capellae Sancti Petri sacri nostri Palatii Panormitani cum Beneficio S. Mariae de Admirato de eadem Urbe dictae Capellae connexo ob mortem Venerabilis Francisci de Cathania, Vita sibi comite Cantoris Cappellae praedictae ad Collationem nostram spectantibus pleno jure; *Et volentes de Cantore idoneo, et sufficiente in dicta Cantoria more Divorum Regum Praedecessorum nostrorum quantum ad nostram dignitatem Regiam dignoscitur pertinere, consultatione previa providere, ac de fide, sufficientia, vitae moribus, honestate laudabili Venerabilis Francisci de Vitale Panormitani Canonici, familiaris, et devoti nostri in Sacris Ordinibus constituti plurium fide dignorum testimonio facta nostrae Excellentiae notitia satisplena . . . . . eidem Francisco tamquam benemerito, et condigno praedictam Cantoriam dictae Capellae praedicti nostri Panormitani Palatii cum eodem Beneficio S. Mariae de Admirato cum omnibus juribus, rationibus, obventionibus, et pertinentiis eorumdem, nec non honoribus, dignitatibus, praerogativis omnibus ad eamdem Cantoriam spectantibus quoquomodo, consulta deliberatione praehabita, de liberalitate mera, speciali gratia ex certa nostra scientia ex nunc in anthea gratiose* duximus conferendam. *Canonicis, Vicariis, Presbyteris, caeterisque Clericis, et personis aliis dictae Capellae, et ejusdem Ecclesiae S. Mariae de Admirato servitiis dedicatis, quod eidem Francisco tamquam Cantori, et Beneficiali earumdem per nostram Excellentiam, sicut praescribitur ordinato devote pareant, et intendant, tenore praesentium; Ac Venerabili Magistro Capellano Capellae nostrae Consiliario. vel ejus in eodem Magistratus Capellanatus Officio in Curia Vicemgerenti familiari, et devoto nostro, quod dictum Franciscum in corporalem possessionem praedictae Cantoriae, ac dictarum Capellae, et Beneficii Ecclesiae Sanctae Mariae inducat, eique de ipsorum juribus, obventionibus, et aliis supradictis faciat integre responderi per alias Majestatis nostrae literas tradimus expressius in mandatis. In cujus rei testimonium etc.*

Datum Cathaniae per Nobilem Henricum Rubeum de Messana Comitem Aydoni et Regni nostri Cancellarium. Anno Dominicae Incarnationis 1363 *quinto Septembris, secundae Indictionis.*

Ex Tabulario Reg. Capellae.

LXI.

Rex Fridericus Fr. Nicolaum de Pan. Ord. Min. constituit Majorem Eleemosynarium, et Mag. Capellani in ejus absentia Vicarium.

Factae sunt patentes literae per haec verba.

Fridericus etc. Tenore praesentium notum fieri volumus Universis, quod attendentes fidem, et sufficientiam, ac merita honestatis, quibus religiosus Vir Fr. Nicolaus de Panormo Ord. Minorum Capellanus, familiaris, et devotus noster, redditur nostrae Celsitudini satis gratus, eum majorem Eleemosynarium, nec non Locumtenentem Mag. Capellani nostri *in ejus a Curia nostra absentia, recepto prius ab eo Legalitatis, et dict. Officiorum bene, fideliter, et legaliter exercendorum corporali, et debito ad sancta Dei Evangelia juramento, ex nunc in anthea in tota scilicet vita* duximus fiducialiter statuendum, et etiam ordinandum: *singulis Officialibus nostrae Curiae familiaribus, et fidelibus nostris mandamus expresse; quatenus praed. Fr. Nicolaum praefata officia in eadem nostra Curia in forma praedicta gerere, et exercere pacifice et sine contradictione aliqua patiantur. In cujus rei testimonium, et Curiae nostrae certitudinem praesens fieri, et sigillo Majestatis nostrae jussimus communiri. Dat. Mess. X. Febr. IV. Ind.*

Ex Reg. R. Cancell. ann. 1365, et 1366 fol. 63.

LXII.

Rex Fridericus Capellani majoris officium restituit Fr. Lucae Ord. Erem. simulque praecipit Clero, et Populo Calax. S. Luciae, ac S. Philippi de Plano Milatii, ut ei obedientiam deferant,

Fridericus, Dei gratia, Rex Siciliae, ac Athenarum, et Neopatriae Dux. Praesentis Scripti serie notum fieri volumus universis, tam praesentibus, quam futuris: quod Venerabilis Frater Lucas Ordinis Fratrum Sancti Augustini in sacra pagina Professor, Magister Capellanus, Consil., famil., et devotus noster praesens in conspectu celsitudinis nostrae ostendit, et praesentavit quoddam scriptum patens Serenissimi Principis Domini Ludovici dicti Regni Regis Illustris, bonae memoriae, Reverendi, et carissimi Fratris nostri, factum sibi sub ejus sigillo pendenti, quo tunc in privilegiis generaliter utebatur, de collatione dicti Magistri Capellanatus officii continentiae subsequentis. Ludovicus etc. (1) *Et Majestati nostrae humiliter supplicavit, ut sibi Magistri Capellanatus officium acceptare, ratificare, et confirmare nostra Serenitas dignaretur: qua supplicatione clementer admissa, considerantes puram fidem, et devotionem sinceram, quam idem Magister Lucas erga dictum Dominum Regem Ludovicum, et Excellentiam nostram puro animo gessit, et gerit ad praesens, nec non scientiae, et virtutum merita, quibus pollet, quae ipsum nostrae Celsitudini gratum reddunt, eidem Magistro Lucae tamquam officii ipsius merito et condigno praedictum Magistri Capellanatus officium juxta tenorem praedicti patentis scripti dicti Domini Regis Fratris nostri, non obstante quod tempore occupationis nostrae nobilis Civitatis Messanae per hostes nostros antiquos,*

(1) Relatum habetur sub num. XLVIII.

Digitized by Google

pro eo quod quidem Magister Lucas in Civitate ipsa, cujus oriundus est, morabatur etiam et moratur, Vener. Viro Magistro Philippo de Cusa ordinis minorum sacrae paginae Professori Consil., famil., et devoto nostro per nostram Excellentiam fuit collatum, cum in reductione dictae Civitatis ad fidem nostram omnes Messanenses ad famam, honores, et gratias, et privilegia, quibus ante dictam occupationem utebantur, fuerint per nostram Excellentiam generaliter restituti, prout in privilegio per Nos propterea eis facto plenius continetur, in qua quidem dictus Magister Lucas nihil egit nostrae contrarium Majestati, acceptamus, rathificamus, et pleno favore regio confirmamus, praedicta collatione per nos facta dicto Magistro Philippo de eodem officio, scripto et literis exinde subsequutis, quibus de expressa nostra conscientia derogamus, minime obstituris. Datum Cathaniae XXVI. Augusti IV. Ind. = Scriptum est per patentes Clero Presbyterorum, et Clericorum Terrae Calaxibettae, devoto suo per haec verba.

Noverit devotio vestra quod Venerabilem Magistrum Lucam Ordinis Heremitarum Beati Augustini in sacra pagina Professorem, Magistrum Capellanum, Consiliarium, Familiarem, et devotum nostrum, cum suadente justitia, quam suarum serie scientiae, et virtutum meritis exposcentibus, ad dictum Magistri Capellanatus officium quod ex collatione Serenissimi Principis Domini Ludovici dicti Regni Regis Illustris bonae memoriae, Reverendi, et Carissimi Fratris nostri, in tota vita sua tenebat, amoto inde Venerabili Magistro Philippo de Cusa Ordinis Minorum, sacrae paginae Professore, Consiliario, Familiari ac devoto nostro, cui officium ipsum infra tempus occupationis nostrae nobilis Civitatis Messanae per hostes nostros, in qua dictus Magister Lucas morabatur, atque moratur, per nostram Excellentiam fuit collatum, cum in reductione Civitatis ejusdem ad fidem nostram omnes Messanenses ad honores, privilegia, beneficia, et officia, quibus utebantur ante occupationem eamdem, fuerunt per Majestatem nostram generaliter restituti, in qua idem Magister Lucas nihil egit nostrae contrarium Majestati in tota vita sua praedicta duximus reducendum. Quare dicimus vobis, et mandamus, quatenus praedicto Magistro Lucae tamquam Magistro nostro Capellano in omnibus, et singulis ad dictum Magistri Capellanatus Officium spectantibus ad honorem, et fidelitatem nostri Culminis devote pareatis, et efficaciter intendatis. Datum Messanae die 6 Augusti quartae Ind. MCCCLXVI.

Simili modo, et forma scriptum est Clero Presbyterorum, et Clericorum Terrarum S. Luciae, et S. Philippi de Plano Milatii devoto suo etc. Consimiles etiam literas Rex praescripsit Officialibus Secularibus ejusdem Oppidi Calaxibettae, ut eidem Magistro Lucae, Nunciis, et Commissariis ejus ope, et opera assisterent in exercitio jurisdictionis dicti Magistri Capellanatus.

Ex Reg. Off. Protonot. ann. 1364, 1365, 1366 sign. litt. B. fol. 272.

LXIII.

Praecipit Rex Fridericus Capitaneis Terrae S. Luciae, ut Joanni de Tortoreto Ecclesiae S. Luciae beneficium restituant.

Factae sunt patentes literae in hac forma,

Fridericus etc. Capitaneis Terrae S. Luciae. Olim Serenissimus Princeps Dominus Rex Petrus Secundus ejusdem Regni Rex Illustris Genitor noster Reverendus Divae memoriae dum in hujus Regni Regalis praeeminencia funge-

Digitized by Google

batur Venerabili Joanni de Tortoreto de Messana Messanensi Canonico, et Decano familiari, et devoto nostro Beneficium Ecclesiae S. Luciae ejusdem Terrae ad collationem Regiam pleno jure pertinens contulit *gratiose, facto prius sibi ejusdem Domini Genitoris privilegio opportuno, ut nostrae Excellentiae plene constat, et quia propter occupationem dictae Terrae ab nostris antiquis hostibus dictus Joannes contra nostrae fidelitatis, et devotionis constanciam minime deviavit, et etiam nostram sectatus est Excellentiam in adversis, et eodem Beneficio usque ad praesentia tempora extitit destitutus; Ad supplicationem dicti Joannis noviter Excellentiae nostrae factam fidelitati vestrae mandamus expresse quatenus tu praesens Capitaneus, seu Vicecapitaneus ipsum, seu certum pro eo Nuncium praesentes tibi nostras ostendentem in corporalem possessionem dicti Beneficii, et jurium etc. praesencium aucthoritate reducatis, et reductum manuteneatis favorabiliter, et defendatis tam tu praesens Capitaneus, quam qui futuris nostris temporibus successerint tibi, suisque Factoribus, et Procuratoribus in omnibus, et singulis, quae ei tamquam Beneficiali ipsius Beneficii spectare noscuntur assistatis ope, auxilio, et favore.*

Ex Registro Protonotarii Regni Siciliae ann. 1355 usque ad 1366 fol. 57 retro.

LXIV.

Omnimodam potestatem in causis Civil. et Crimin. Canonicorum, et Clericorum palat. Capellae tribuit Rex Fridericus III. Cantori Franc. de Vitali.

Fridericus Rex etc.

Ven. Francisco de Vitali Cantori Capellae sacri Palatii sui Panormitani familiari, et devoto suo etc. De fide, sufficientia, et Legalitate, ac morum honestate tuis nostra Celsitudine plenarie confidente, tibi jurisdictionem cognitionis causarum Criminalium, et Civilium in Capella ipsa et ejus Clericis, ad dignitatem nostram pleno jure spectantem, *recepto prius a te devotionis, et praedictae jurisdictionis bene fideliter, legaliter exercendae corporali et debito ad S. Dei Evangelia juramento, ex nunc in anthea duximus committendam. Quare devotioni tuae committimus, et mandamus praedictam jurisdictionem etc. Datum Messanae 8 Aprilis 7 Indictionis.*

Ex Tabulario palat. Capellae.

LXV.

Praecipitur Laicis, et Clericis Terrae Calaxibettae, ut Presb. Matthaeum de Monasteriis Fr. Lucae Mag. Capellani vices gerentem observent, et jura huic debita exhibeant.

Scriptum est Prandino de Xea Capitaneo, et Officialibus Terrae Calaxibettae fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem etc. Nuper per Ven. Virum Fr. Lucam Ordinis Heremitarum Magistrum Capellanum, Consiliarium, familiarem, et devotum nostrum in conspectu nostrae praesentiae fuit expositum Majestati; quod cum ipse quemdam Presbyterum Matthaeum de Monasteriis ejus Locumtenentem in administratione Jurisdictionis, perceptioneque reddituum, et proventum, ac obventionum, quae tamquam nostri culminis Magistrum Capellanum juxta collationem per Serenitatem nostram, ad quam

Digitized by Google

eorum legitima spectat provisio, sibi factam in Terra praedicta noscitur obtinere, vel ordinaverit, ac obstante inobedientia, seu contradictione nonnullorum tam Clericorum, quam Laicorum Terrae praedictae, idem locum tenens administrationem exercere nequeat superius dictam, sibi super hoc mandare dignaremur de brachii Saecularis auxilio subveniri, cujus petitionibus annuentes fidelitati vestrae mandamus expresse, quatenus eidem Presbytero Matthaeo, seu alii quem Frater Lucas praedictus deputaverit sibi expediens fuerit, et vos duxerit requirendum in executione administrationis, seu perceptionis hujusmodi assistere. studeatis auxiliis, et favoribus opportunis, taliter quod expediat eumdem Fr. Lucam, seu ejus Locumtenentem praemissorum occasione nostram denuo impetere Majestatem. Datum.

In Lib. Regis Friderici Regiae Cancellariae ann. 1363, et 1368 fol. 335 num. B.

LXVI.

Presb. Andreae de Liuri confertur beneficium Pal. Capellae, cum verbis ad Cantorem directis, ut eum in possessionem immittat.

Scriptum est Francisco de Vitali Cantori sacri regii Pan. Palatii familiari, et devoto suo. Cum ad supplicationem noviter Culmini nostro factam per Presb. Andream de Liuri de Messana Capellanum nostrae Capellae, familiarem et devotum nostrum, consideratis ejus vita laudabili, et meritis honestatis, et gratiis acceptisque servitiis per eum Excellentiae nostrae collatis, eidem Presb. Andreae Beneficium Scholarium de Schola Capellae dicti nostri pan. Palatii in manibus Curiae nostrae vacans *ob mortem quondam Presb. Aldoyni, qui beneficium ipsum tenebat hactenus comite sibi vita, ad collationem nostram pleno jure cum solitis, consuetis, et debitis obventionibus, redditibus, juribus, praerogativis, ac caeteris aliis ad beneficium ipsum spectantibus ex nunc in antea in tota scilicet vita dicti Presb. Andreae,* duximus gratiose, et liberaliter conferendum, *ac volumus propterea ipsum in corporalem possessionem dicti beneficii jurium, et proventuum eorumdem per se pro parte nostrae Curiae induci.*

Fidelitati tuae mandamus, quatenus receptis praesentibus praedictum Presbyterum Andream in corporalem possessionem dicti beneficii, et jurium praedictorum auctoritate praesentium inducentes, sibi de praefatis solitis proventibus, et obventionibus consuetis pro parte nostrae Curiae mandes, et facias integre responderi etc. Datum.

Ex Registro Reg. Cancell. h. S. R. Anni 1369 fol. 142 retro.

LXVII.

Iubentur a Rege Friderico Clerici Terrae Calax. Fr. Lucae Mag. Capellano, fructus et jura ad ejus Officium pertinentia solvere.

Factae sunt patentes literae per haec verba.

Fridericus etc. Universis, et singulis Clericis, Ecclesiasticisque personis devotis suis, et personis aliis Terrae Calaxibettae praesentes literas inspecturis, fi-

n

delibus suis etc. Cum per religiosum virum Fr. Lucam Ordinis Heremitarum in sacra pagina professorem Magistrum Capellanum, Consiliarium, familiarem, et devotum nostrum querelantem nostrae fuit noviter expositum Majestati, quod nonnulli ex vobis in iis, quae ad dictum ejus Capellanatus Officium legitime pertinere noscuntur, procuratoribus effectualiter parere contemnant, super quo instanter a nostra petiit Celsitudine super hoc opportuno sibi juris remedio subveniri, vobis et vestrum cuilibet mandamus expresse quatenus eidem Fratri Lucae, et procuratoribus ejus in omnibus ad dictum Magistri Capellanatus officium quoquo modo spectantibus effectualiter obedire, ipsisque de fructibus, redditibus, proventibus, et obventionibus omnibus ad dictum officium pertinentibus respondere integraliter studeatis, *quibuscumque contrariis literis, seu scriptis cuicumque alii forte factis sub quavis forma verborum, quibus in hac parte de expressa Celsitudinis nostrae scientia derogamus, non obstantibus quoquo modo, cum nostrae Serenitatis propositum irrevocabiliter firmum duret, ut dicta Fratri Lucae tamquam Magistro nostri Culminis Capellano in omnibus ad ejus jurisdictionem spectantibus in tota ejus vita remotis obstaculis pareatur. Dat. Mess. die 27 Febr. 8 Ind. 1369.*

Ex registro Cancellariae R. S. aon. 8 Ind. 1369 fol. 61.

LXVIII.

Obitu Fr. Lucae Rex Fridericus Magistri Capellani munus demandat Fr. Ubertino de Corleone Ord. Minorum

Scriptum est per Commissionis Literas Venerabili, et Religioso Viro Fratri Ubertino de Curilione Ordinis Minorum sacrae paginae Professori Consiliario, Familiari, et devoto suo etc. de fide, sufficientia, morum probitate, conspicua, et laudabili honestate vestris, quibus Vos Dominus decoravit, nostram Excellentiam plenarie confidentes, Vobis Magistri Capellanatus Officium nostrae Capellae vacans ad praesens in Curia nostra propter obitum quondam Magistri Lucae de Manna de Messana Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui vita sibi Comite Officium ipsum ex Collatione Curiae nostrae tenebat, *amoto inde quolibet alio in eodem Officio hactenus per nostram Curiam forsitan ordinato cum honoribus solitis, praerogativis, dignitatibus, jurisdictionibus, juribus, pertinentiis suis ad Officium ipsum spectantibus, et cum quibus dictum Officium exercere, quilibet consuevit, recepto prius a nobis praedictum Officium bene, fideliter, et legaliter exercendi corporali, et et debito ad sancta Dei Evangelia juramento secundum vestri Ordinis Instituta ex nunc in anthea in tota scilicet vita vestra* duximus fidnaliter committendum. *Quare devotioni vestrae committimus, et mandamus quatenus dictum Magistri Capellanatus Officium in dicta Capella nostra ad honorem, et fidelitatem nostri Culminis ex nunc in anthea in tota scilicet vita vestra diligenter, et fideliter exerceatis, et administretis. Ita quod vestrae solicitudinis industria, et probitatis studia suffragante Officium ipsum nullum suscipiat detrimentum, imo cultus divini, et omnis honoris ad praefatum Officium spectantium debitum juramentum singulis Capellanis, et Clericis dictae Capellae nostrae ubique locorum Subditis Capellae praedictae tenore praesentium injungentes expresse, quod vobis tamquam Magistro Capellano dictae nostrae Capellae per nostram Celsitudinem sicut praescribitur ordinato in omnibus, et singulis ad dictum Magistri Capellanatus Officium spectantibus devote pareant, et intendant. Dat.*

Digitized by Google

Ex Registro R. Cancell. H. S. R. anni 2 Indict. 1364, et 7 Indictionis 1368 fol. 151 retro.

LXIX.

Capellano majori Siciliae tribuit Pontifex Gregorius XI. ut quaelibet Sacramenta in Aula Regis libere administret.

Dilecto filio Ubertino de Corileone Ordinis Fratrum Minorum Professori, Sacrae Theologiae Magistro, Capellano nostro. Devotionis tuae sinceritas promeruit, ut votis tuis, illis praesertim, quae ad tuae, aliorumque Christi fidelium animarum salutem cedere valeant, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut dilecto filio Magnifico Viro Friderico de Aragonia Insulam Siciliae regenti, cujus tu, ut asseris Magister Capellanus es, omnibus de genere suo, et familiaribus continuis commensalibus, et Clericis dictae Capellae dicti Friderici in ea continue servientibus, quaelibet Ecclesiae Sacramenta libere ministrare valeas, Rectoris parochialis Ecclesiae, infra cujus parochiam dicta Capella existit, vel cujuscumque alterius licentia ad hoc minime requisita, devotioni tuae tenore praesentium, auctoritate apostolica de speciali gratia indulgemus.

Apud Wadingum in Annalibus Fratrum Minorum.

LXX.

Quod Ubertinus de Corleone Pact., et Lipar. Episcopus regiam Curiam sequi amplius non posset, Rex Fridericus Fr. Rogerium de Ceva Ord. Min. Mag. Capellanum instituit.

Fridericus etc.

Decet Regiam praeheminentiam in dignitatibus, honoribus, et Beneficiis Regni sui illos praeficere, quos virtutes, et merita dignos faciunt, et commendant petentes etc. itaque praesentis scripti serie notum fieri volumus universis tam praesentibus, quam futuris, quod mores graves, vitamque laudabilem, devotionem, et scientiam Ven. Fr. Rogerii de Ceva de Heraclea Ordinis Minorum sacrae paginae Professoris Capellani, Consiliarii, familiaris, et devoti nostri effectibus, et experientia compensantes eum in Magistrum Capellanum majoris nostrae Capellae Panormitani Palatii, et aliarum Capellarum, caeterorumque Palatiorum, et Castrorum nostrorum, ac Canonicatuum, caeterorum Beneficiorum, et Dignitatum, Civitatum, Terrarum, et locorum dicti Regni nostri, ad Collationem nostram spectantium, amoto inde Ven. Fr. Ubertino de Curilione ejusdem Ordinis in Sacra Theologia Magistro Pactensi, et Liparensi Episcopo Consiliario, familiari, et devoto nostro, et quoniam dictae suae Praelationis alligatur oneri, et diversimode occupatus dictum Magistri Capellanatus Officium in Curia nostra non potest habiliter, et per se ipsum personaliter exercere, nostramque sequi continuo, sicut expedit, Majestatem; *ex nunc in anthea in tota ejus Fr. Rogerii vita, cum omnibus, et singulis honoribus, dignitatibus, jurisdictionibus, praerogativis, et solitis, consuetis, et debitis, aliisque juribus, quibuscumque, prout ex nunc benignius in eodem Magistri Capellanatus Officio Praedecessores Officium ipsum tenuerunt, exercuerunt, ac fuerunt soliti exercere, ex certa nostra scientia* duximus statu-

endum. *Universis, et singulis Officialibus Regni nostri ad omnem ipsius Fr. Rogerii requisitionem in omnibus, et singulis ad ipsum Officium, spectantibus eidem Magistro Capellano, suisque substituendis, et Beneficialibus, aut Nuntiis, assistant ope, favore, auxilio, et consilio opportunis, ac Canonicis, Capellanis, Beneficialibus, Tertiariis, et Clericis tam dictae Majoris nostrae Capellae, quam aliarum Capellarum, et Beneficiorum ad Collationem nostram spectantium, aliisque Personis praedicto* Magistri Capellanatus Officio *subjacentibus, quod ei tamquam nostra Magistro Capellano pareant, obediant, et intendant nihilominus injungentes etc. In cujus rei testimonium, certitudinem, et cautelam praesens Scriptum patens sibi exinde fieri Majestatis nostrae sigillo jussimus communiri. Dat. etc.*

Ex Registro Regiae Cancellariae H. S. R. ann. 12 Indit. 1371 fol. 140 retro.

LXXI.

Presb. Antonius Bufali Capellani majoris nondum electi, Vicarius a Regina Maria instituitur pro exercenda jurisdictione in causis Civil., et Crimin. Clericorum S. Luciae.

Factae sunt patentes ut sequitur = Maria = Capitaneo, et Officialibus Universitatis Terrae S. Luciae fidelibus suis gratiam, salutem, et bonam voluntatem = Cum defectu Magistri Capellani Capellae nostrae ex certis rationabilibus causis hactenus non ordinati, sive statuti, inter Clericos Terrae praedictae jurisditioni ejusdem Magistri Capellani nostri legitima, et ex consuetudine antiqua subjectos tam in Civilibus causis, quam in Criminalibus *justitia nequeat ministrari, ex qua maleficia commissa per eos impunita pertranseunt, et alii fideles, et devoti nostri contra eosdem Clericos jus praetendentes habere plurimis inter se contrariantium damnis affectos, Serenitas nostra, ad quam subditorum nostrorum spectat quemquam relevare, gratiosa consulta deliberatione decrevit, ut usque ad nostrae Majestatis beneplacitum, vel dicti Magistri Capellani ordinationem in eadem Terra ejusdem Magistri Capellani nostri gerat officium,* audiendo, cognoscendo, decidendo, dicendo, et quaelibet alia ad ipsum officium pertinentia, exequendo *Presbyter Antonius Bufali de terra ipsa devotus noster, de cujus fide, sufficientia, et legalitate Majestati nostrae fama publica, et laudabili testimonio fides sincera facta est. Propterea fidelitati vestrae mandamus quatenus eumdem Presbyterum Antonium habentes, et tractantes vice, et loco dicti Magistri Capellani per nostram Celsitudinem, ut praemittitur, deputatum, ad ipsum in eis, quae ad dictum Officium pertinent, quoties opus fuerit, recurratis, et circa executionem memorati officii ope, favore, et opportunis auxiliis assistatis: praestito prius per eumdem Praesbyterum Antonium in manibus personae legitimae pro nostra ad nostram Curiam ardinatae corporali, et debito ad Sacrosanta Dei Evangelia juramento de ipso officio ad honorem, et fidelitatem nostri Culminis bene, fideliter, et legaliter exercendo.*

Ex Registro Regni Siciliae Protonot. anni 1366 usque ad 1425 fol. 167.

Reg. Maria Capellani majoris nondum electi Vicarium in Terra S. Luciae constituit Fr. Franciscum de Messana in spiritualibus.

Factae sunt patentes ut sequitur.

Maria etc. Universis, et singulis Officialibus planae Melatii, et praecipue Terrae S. Luciae praesentibus, et futuris praesentes literas inspecturis fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem. Cum propter defectum Magistri Capellani nostri, nondum ex certa causa creati, *fideles nostri dictae Terrae* S. *Luciae tum Laici, quam Ecclesiastici, qui cognitioni ejusdem officii* Magistri Capellani nostri, ex privilegio, et antiqua consuetudine sunt subjecti, nec impeti possunt coram alio in spiritualibus, et temporalibus, *detrimenta plurima patiuntur; ad eorum instantiam, Serenitas nostra decrevit quod in eadem Terra S. Luciae quoad Clericos, Magistri Capellani nostri locum, et vicem obtineat humilis Fr. Franciscus de Messana Ordinis Praedicatorum devotus noster, et Inquisitor per Regnum nostrum praedictum haereticae pravitatis, de cujus fide, legalitate, et honestate plane confidimus. Idcirco fidelibus nostris mandantes, quatenus eumdem Fratrem Franciscum, veluti in eadem Terra S. Luciae pro personis Ecclesiasticis ad jurisdictionem ipsius Magistri Capellani nostri, et iis, quae ad ipsum officium spectare noscuntur, ut illud administrare libere valeat cum honoribus, et commodis consuetis, quousque idem Magister Capellanus noster ordinatus fuerit, assistatis ope, auxilio, favore . . . . amoto inde quolibet alio in eodem officio hactenus ordinato . . de dicta Terra, qui ex commissione nostri culminis . . . . officium ipsum gessit etc.*

Ex lib. Prothonoth. an. 1366 ad annum 1425 F. 180.

LXXIII.

Obitu Fr. Rogerii de Ceva, Regina Maria Capellani majoris officium confert Fr. Bernardo de Trapano Ord. Minorum.

Factum est Privilegium in haec verba.

Maria etc. Digne commendatur Regnantis provisio, ut dignitatibus, honoribus, et beneficiis Regni sui benemeritos, et virtuosos praeficiat illos viros, per quos uno, eodemque actu laudabili luce clarius patefiat virtuosos ad dignitates loco retributionis procul dubio promoveri; per praesens itaque Privilegium universis notum facimus, quod mores graves, vitam laudabilem, honestatem, et scientiam Venerabilis et Religiosi Viri Fratris Bernardi de Trapano Ord. Minorum devoti nostri ab effectu, et experimento compensabili compensantes, sibi Officium Magistri Capellanatus tam Magnae nostrae Capellae S. Petri Panormitani Palatii, quam aliarum Capellarum, Beneficiorum, Palatiorum, Castrorum, Canonicatuum, Beneficiorum Tertiariarum, et Ecclesiarum Regni nostri, ad collationem nostram spectantium, vacans per obitum Rev. in Christo. Patris Fratris Rogerii de Ceva ejusdem Ordinis jam defuncti, qui vita sua comite hujusmodi Officium ex regia Collatione tenebat, quod ad ipsam collationem nostram pleno jure dignoscitur pertinere, liberum, et amplum cum honoribus, dignitatibus, gratiis, collationibus, jurisdictionibus, et solidis, ac quibuscumque aliis juribus consuetis, et debitis etc. ex nunc in anthea in tota dicti Fratris Bernardi vita, quolibet alio inde amoto, gratiose,

et benigne duximus conferendum. In cujus rei testimonium etc. Datum Cataniae XXVIII. Aprilis Ind. I.

Ex libro Proton. R. S. ann. 1394 fol. 184.

LXXIV.

Cantoriam et Canonicatum Palat. Capellae cum beneficio S. M. de Admirato confert Presb. Bernardo Figuera Rex Martinus.

Nos Martinus, et Maria, et Infans Martinus etc. Dum grata plurimum, et accepta servitia praestita diutius, et longaeve per vos dilectum Capellanum Capellae nostrae Bernardum Figuera Presbyterum, et quae praestare non desinitis prompto corde nobis, in quorum servitio continue permanetis, meditatione debita contemplamur, dignissimum arbitramur, ut Vos, quem ad majora beneficia promoveri, vestra virtuosa merita promerentur, solicitudo nostra aliquatenus recompenset. Cum igitur Vos Bernardus Figuera praedictus tamquam vitae munditia nitidus, morum honestate decorus, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectus mereamini in Dei Ecclesia attolli beneficio potiori, ut tanto ferventius vos potius honoratum senseritis; tenore praesentis Cantoriam, et Canonicatum Capellae S. Petri nostri sacri pan. Palatii cum beneficio S. M. de eadem Urbe dictae Capellae connexo, vacantem per promotionem Francisci de Vitale, qui praedicta beneficia obtinebat, quorum collatio ad nos spectat, et attinet, quaeque contuleramus *dilecto Capellano Capellae nostrae Philippo de Gorrisio, qui* eadem nostris in manibus resignavit. *Vobis, dicto Bernardo tamquam benemerito, et* condigno cum plenitudine juris eorum conferimus, concedimus, et donamus, *a die videlicet vacationis beneficiorum ipsorum: mandantes Canonicis, Vicariis, Presbyteris, caeterisque Clericis, et Personis aliis dictae Capellae, et ejusdem Ecclesiae S. M. de Admirato servitiis dedicatis, quod Vobis, tamquam Cantori et Beneficiali eorumdem per nostram Excellentiam, sicut praescribitur, ordinato devote pareant, et intendant; ac Mag. Capellano Capellae nostrae vel ejus in eodem Mag. Capellanatus Officio vicem gerenti, quod Vos Bernardum eumdem in corporalem possessionem praedictorum Cantoriae et Canonicatus, ac Capellae, et Beneficii Ecclesiae S. M. inducat, vobisque de ipsorum juribus, rationibus, obventionibus, et aliis . . . quovis modo respondeant, et responderi faciant integre, et complete. In cujus rei etc. Datum Panormi Anno dom. Incarn.* 1392 26 *Martii* 15 *Ind. Regnique nostri dicti Regis primo, et dictae Reginae decimo quinto = Lo Duc = Dom. Dux mandavit mihi Guillelmo Plastamoni =*

Ex libro Reg. Cancell. h. S. R. anni 15 Ind. 1391 et 1392 fol. 102 retro.

LXXV.

Confirmantur a Rege Martino, antiqua omnia privilegia Palat. Capellae.

Nos Martinus, et Maria Dei gratia Rex, et Regina Siciliae etc. In Principum dextera rerum stabilitas ad eorum nutum decursu temporum integratur, quaeque ab eorum Progenitoribus pia sunt consideratione disposita, muniuntur firmitate, et laudabiliter facta laudabili prosecuntur assensu; maxime ubi Divinae retributiones accipiuntur, et remedia interveniunt animarum, prae-

sertim illorum praedecessorum nostrorum, qui ut est notum populis, et hominibus per Mundi climata constitutis, per quot, et quantos sudores bellicosos, spreto vitae discrimine... Praedecessores ipsi bonae memoriae... ab Inimicis fidei Christianae Saracenis, qui in dedecus ejusdem universos fines Siciliae Regni citra, et ultra Farum sub eorum dominio possidebant; sed cooperante gratia divina ipsi Praedecessores nostri ipsos Saracenos ne dum extra Regnum Siciliae, verum etiam usque ad fines Barbariae penitus in maxima potentia exularunt. Qua propter ad futuram rei memoriam praesentis privilegii serie universis fidelibus nostris per Regnum Siciliae ubilibet constitutis volumus esse notum; Quod Nobis existentibus in Capella Sacri Palatii nostri Regalis Felicis Urbis Panormi accesserunt ad Majestatem nostram Cantor, et Capitulum Capellae nostrae Regalis situatae sub vocabulo Principis Apostolorum exibentes nobis nonnulla privilegia, constitutiones, donationes, et largitiones omnium Regum bonae memoriae Praedecessorum nostrorum, et inter alia unum literis aureis scriptum quod Nos praedictus Dux perlegi voluimus de capite usque ad finem, ac nonnulla alia tam in latinali sermone quam et graeco, Nobis humiliter supplicantes, quod cum ipsi tyrannice per illos de Claramonte, qui Urbem nostram Panormi per tyrannicam rabiem diutius usque ad praescriptionem utriusque juris tam canonici, quam civilis fuerint juribus, et redditibus eorum in ipsis privilegiis contentis miserabiliter spoliati, dicta privilegia de Clementia, et Benignitate nostra, et omnia, et singula in eis contenta confirmare, et evulgare ac de novo concedere dignaremur, ut per jucundum adventum nostrum possent canere hymnum Angelicum: Gloria in Excelsis Deo etc. Ecce venit quem desiderabamus. Nos vero vestigiis Praedecessorum nostrorum inherentes, tenorem privilegii praedicti, et nonnullorum aliorum tam Imperatorum, quam Regum, et Comitum Praedecessorum nostrorum, ad honorem Omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, per quem feliciter vivimus, et regnamus in terra, cujus auxilio illos tyrannos exterminavimus de Mundo, nec non Principis Apostolorum ad cujus honorem ipsa Ecclesia est fundata, et pro salute nostra, et animarum Praedecessorum nostrorum, considerantes, etiam, quod in nostrum, haeredumque nostrorum redundat honorem quicquid constitutum obsignabimus in eadem supplicatione dictorum Cantoris, et Capituli, hilariter, et clementer admissis, supradicta privilegia, et omnia, et singula per ipsos Reges, et Praedecessores nostros ipsi Capellae restituta, et concessa de verbo ad verbum sicut superius est expressum, et in illis privilegiis plenius continetur, tenores quorum hic pro expressis habere volumus, renovamus, et confirmamus, ac de novo concedimus. Ita, et taliter quod dictus Cantor, et Capitulum nostris privilegiis uti possint, et valeant pacifice, et quiete prout, et sicut utebantur, et uti consueverunt temporibus Imperatorum et Regum omnium Praedecessorum nostrorum. Insuper de uberiori dono gratiae pariter confirmamus quoddam aliud privilegium Imperatoris Henrici Inclytae recordationis super justitiis praebendarum suarum ipsis Canonicis dictae Capellae indultum, nec non et obligationem singulis annis in dictis Festivitatibus exhibendas, et luminaria pro eadem Capella, et anniversaria trium Regum, sicuti de jure possumus, et debemus ex certa nostra scientia confirmamus, donamus, et de novo concedimus per praesentes. Mandantes per hanc eamdem omnibus, et singulis Officialibus Secretis, Magistris Rationalibus, Conservatoribus, et Magistris Portulanis, ac eorum locatenentibus praesentibus, et futuris quibuscumque per Regnum Siciliae ubilibet constitutis, ut praedicta privilegia ipsis Canonicis, ut supra concessa, et donata teneant, et observent ad unguem, et faciant ab aliis inviolabiliter observari, et

Digitized by Google

in nullo contrafaciant, vel veniant, nec contrafacientibus consentiant aliqua ratione, vel causa de jure, vel de facto si nostram volunt effugere ultionem, et de nostra confidunt gratia, et amore, quoniam sic fuit nostrae intentionis intentum. In cujus rei testimonium hoc fieri jussimus sigilli nostri dicti Ducis munimine roboratum. Datum Panormi Anno Dominicae Incarnacionis Millesimo Trecentesimo nonagesimo secundo. Vigesimo primo Junii, quintae decimae Indicionis, Regnique nostri dicti Regis primo, et dictae Reginae decimo quinto = Lo Duch = Dominus Dux mandavit mihi Berengario Secretario P. N.

Ex transumpto per acta Not. Aloysii de Meo sub die 5 Martii XI. Ind. 1317 existente in Archivio Reg. Capellee.

LXXVI.

Rex Martinus Troin. Ecclesiem, declarat regiam Capellam sub jurisdictione Mag. Capellani.

Martinus etc. Reverendo in Christo Patri Archiepiscopo Messanensi dilecto devoto Oratori nostro salutem.

Pro parte Presbyteri Nicolai de Castello Praepositi Ecclesiae nostrae D. Mariae de Terra Troynae, fuit nobis humiliter supplicatum, quod cum ipse Nicolaus a longo citra tempore obtinuerit beneficium, seu praeposituram praedictam ex institutione sibi facta per Serenissimum Dominum Regem Fridericum felicis recordationis nostrae dictae Reginae Genitorem, ad quem ejus colletio, et institutio pertinebat, *vosque ipsum Presbyterum in possessione praedicta molestare, et disturbare praesumitis* in non levem regalium jurium laesionem, *dignaremur idcirco ei de opportuno remedio providere: nos vero supplicatione praedicta clementer admissa*, quia beneficium praedictum, ejusque collatio ed nos de jure, utl Capellae nostrae pertinet, et spectat, et sub nostra, nostrique Magistri Capellani permanere debet jurisdictione; *Vos requirimus, et monemus, vobisque dicimus, et mandamus, ut praedicto Presbytero in possessione dicti beneficii, seu Praepositura cum universis suis juribus nullam molestiam inferatis, et siquas habetis rationes, coram nobis compareatis. Mandantes per hanc eamdem Reverendo Consiliario, et Magistro Capellano nostro, Episcopo Melivetano, Capitaneo, Juratis, et Universitati dictae Terrae Troynae, ut in possessionem dicti beneficii praedictum Presbyterum manuteneant, et defendant, eique de jurisdictione et juribus suis, faciant integre responderi, pro quanto gratia nostra eis cara est. Datum Cataniae sub sigillo secreto nostri dicti Ducis octavo die mensis Julii 15 Indict. anno ab Incarn. Domini 1392 = Lo Duc = Visa per de Cumbis =*

Ex Tabulario Ecclesiae Messan. existente in publica Bibliotheca hujus Urbis.

LXXVII.

Praecipit Rex Martinus Episcopo Catan. ut cito restituat Presbyterum Andream in possessionem Canonicatus Eccl. Calax.

Martinus, et Maria etc. et Infans Martinus. Rev. in Christo Patri Episcopo Catanensi nostro dilecto salutem. Pro parte Presbyteri Andreae de Panormo Beneficiati cujusdam beneficii in Terra Calaxibettae instituti, fuit nobis humiliter supplicatum, quod cum ipse Andreas a longo tempore citra te-

nuit, et possidet beneficium supradictum ex donatione sibi facta per Serenissimum Dom. Regem Patrem nostrae dictae Reginae, ad quem ejus collatio pertinebat *Vosque nulla justa causa suadente, ipsum Presbyterum ejecistis a sua possessione praedicta, dictumque beneficium penes vos detinetis in sui praejudicium, atque damnum; dignaremur ei super praedictis de condecente remedio subvenire: Igitur supplicatione praedicta benigne suscepta*, habita certificatione, plenarie, quod dictum beneficium, et ejus collatio ad nos, et ad Capellam nostram Regalem pertinet, et spectat; *Vos requirimus, et monemus, Vobisque dicimus, et mandamus expresse, ut restituatis in continenti jam dictum Presbyterum in possessionem beneficii cum suis juribus universis, aut coram nobis compareatis praepositas rationes, siquas habetis, quarum vigore tentamini ad praedicta, alias per hanc eamdem mandamus Rev. Consiliario, et Mag. Capellano nostro Episcopo Melivetano, Capitaneo, Juratis, et Universitati dictae Terrae, ut de jurisdictione dicti beneficii jam dicto Presbytero faciant integre responderi, ipsumque in ejus possessionem reducant, et reductum manuteneant, et defendant, si de nostri confidant gratia, et amore. Dat. Cataniae sub sigillo secreto nostri dicti Ducis quinto die Augusti 15 Ind. anno ab Incarn. Domini* 1392 = *Lo Duch = Visa de Cumbis*.

Ex monumentis, quae collecta habentur in I. Volumine M. 8, cui titulus Calaxibetta, existente in publica Bibliotheca h. V,

LXXVIII.

Rex Martinus Civitates, et loca enumerat, unde decimarum Tertiaria proveniebant: eorumque dimidium unum Regiae Capellae praeservat, alterum in eleemosynas expendi jubet.

Martinus Dei gratia Rex Aragonum etc. Praesentis privilegii serie notum fieri volumus tam praesentibus, quam futuris. Quod venientes nuper ad nostrae Serenitatis conspectum devoti nostri Oratores, Magister Capellanus, et Eleemosynarius quoddam privilegium omni qua decet sollemnitate vallatum signo, et sigillo, quibus tunc nos dictus Rex Aragonum, veluti Dux Montis albi, et residentes in Regno Siciliae communiter utebamur, non vitiatum, nec in aliqua sui parte cancellatum, sed omni prorsus suspicione, et vitio exemptum, subscripti tenoris nobis humiliter praesentarunt: videlicet: Martinus, et Maria Dei gratia Rex, et Regina Siciliae ac Ducatuum Athenarum, et Neopatriae Dux, et Ducissa, et Infans Martinus Ill.mi Domini Petri bonae memoriae Regis Aragonum Filius, et eadem gratia Dux Montis albi Gubernator generalis pro Serenissimo Domino Joanne Rege Aragonum Fratre, et Domino nostro charissimo in omnibus Regnis, et Terris suis, Coadjutorque dictae Reginae in Regimine Regni, et Ducatuum praedictorum, ac etiam Pater, et legitimus Administrator praedicti Regis. Reverendis in Christo Patribus Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque Ecclesiarum Praelatis; nec non Magnificis, egregiis, et nobilibus Magistro Justitiario, Cancellario, Protonotario, Magistris Rationalibus, et Secreto, Capitaneo, Vicesecretis, et Vicecapitaneis, Bajulis, Dohaneriis, et Gabellotis quibuscumque Regni nostri praedicti, et eorum, et cujuslibet ipsorum, ac etiam universis Officialibus aliis Curiae nostrae praesentibus, et futuris, ad quos spectat, et spectare poterit, fidelibus nostris gratiam nostram, et bonam voluntatem, ac votive salutem, gaudium, et laetae prosperitatis continuum incrementum. Quae de sursum est, pudica, et pacifica sapientia Verbi Dei per Nationes in animas devotas benigne

se transfert, amicos Dei constituit, et in illis gratiam suae roriferae suavitatis infundit, quosdam elevat, ut altiora conspiciant, pluresque dirigit, ut per rectos gressus incedant, nonnullos illuminat, ut per sensum hominis scientiam supernaturalis cognitionis attingant. Hac itaque consideratione pensantes, Regalem decet Excellentiam . . . . ad illius, per quem Reges regnant, et Principes dominantur, honorem, et reverentiam ad eu, quae divini cultus augmentum assiduum, Christique pauperum pia suffragia conspiciunt, devota mente intendere, et illa donis, ac favoribus prosequi gratiosis. Quapropter ex debito dictae Regalis Excellentiae cupientes Capellae, et Eleemosynae nostrae de aliquali dono gratiae providere, eisque membrum aliquod uniendo applicare, ut ex inde divinus cultus praedictus, et Christi pauperum pia subsidia, quae cordi habemus, valeant adaugeri; omnes et singulas Tertiarias decimae veterum gabellarum, et jurium *vacantes ad praesens, et vacaturas in posterum Civitatum, locorum, terrarum, et Castrorum Regni nostri infrascriptorum, videlicet: Mazariae, Carini, Trapani, Montis S. Juliani, Marsaliae, Castri ad mare de Gulfo, Saccoe, Calatafimi, et Calatabellottae, Salem, Leocatae, Agrigenti, Calatavuturi, Caccabi, Politii, Gulisani, Geracii, Mistrettae, Baccariae, Sperlingae, Nicosiae, S. Philippi de Argirione, Capitii, Paternionis, Asari, Thebarum, Castri Joannis, Aydoni, Cundroni, S. Marci, S. Mauri, Castrivetrani, Milacii, Oliverii, Nothi, Leontini, Bizini, Ragusiae, Sicli, Buxemi, Palatioli, S. Philadelphi, Montis fortis, Graterii, Minei, Grasiliati, Nari, Ramettae, Biccari, Tauromenii, Castellionis, Francae Villae, ac aliorum quorumcumque locorum, Terrarum, et Castorum Regni nostri praedicti, ad collationem nostram regiam pleno jure pertinentes, ex certa nostra scientia, et mera liberalitate, ac ad* Salvatoris *nostri, qui facit mirabilia magna solus laudabilis gloriam, et honorem*, Capellae, et Eleemnsynae *nostris praedictis praesentis auctoritate privilegii donamus, unimus, et perpetuo applicamus, ac ex nostrarum statuentes plenitudine potestatum, quod* integra medietas *omnium, et singulorum proventuum Tertiariarum decimarum veterum gabellarum, et jurium praedictorum* ad usum, *et* distributionem dictae nostrae Eleemosynae *in perpetuum convertetur, per nostrum Eleemosynarium praedictis Christi pauperibus et egenis distribuenda.* Reliqua vero medietas Capellanis dictae Capellae nostrae *domesticis, et Commensalibus, et eidem Capellae nostrae continue servientibus* integraliter *erogetur, ut ex hoc dictus divinus cultus adaugeatur, et indigentiae praedictorum pauperum benignius succurratur. Ideo fidelitati vestrae, et cuilibet vestrum expresse mandamus, quatenus vigore praesentium dicto nostro Eleemosynario, et ejus, ac dictorum nostrorum Capellanorum certo Nuncio, seu Nunciis praesentes vobis literas ostendenti vel ostendentibus, integram tertiam partem decimae omnium reddituum, et proventuum pecuniarum, et victualium praedictarum veterum gabellarum, et jurium omnium et singulorum Civitatum, locorum, et Terrarum, ac Castrorum praedictorum effectualiter persolvatis, et assignetis pro illis convertendis in subsidium dictorum pauperum, et in augmentum divini cultus, et substentationem commodius dictorum nostrorum Capellanorum etc. In cujus rei fidem et praedictarum Eleemosinae, et Capellae nostrarum cautelam, praesens privilegium exinde fieri jussimus, sigilli nostri dicti Ducis, eo quod sigilla regia nondum sunt facta, munimine roboratum. Datum Cathaniae VIII. die Mensis Augusti XV. Indictionis, Anno Domini* 1392 *Regnique nostri dicti Regis primo, et praedictae Reginae XVI. = Lo Duch = Registratum in Cancellaria = Registratum penes Protonotarium. Et Majestatibus nostris humiliter supplicarunt, ut tenorem praein-*

serti privilegii de verbo ad verbum prout jacet eis ratificare, et confirmare nostra Serenitas benigniter dignaretur etc. Quorum supplicationibus etc. quatenus dictis Magistro Capellano, et Eleemosynario, et eorum perpetuo Successoribus dictum privilegium observent de verbo ad verbum, juxta ipsius continentiam, et tenorem faciantque ab omnibus inviolabiliter observari. In cujus rei testimonium praesens privilegium exinde fieri mandavimus nostri sigilli pendentis munimine roboratum etc.

Ex Officio Proton. R. S. ann. 1402 1403 et 1404 XI. et XII. Ind. fol. 20.

LXXIX.

Index Regiorum Castrorum Siciliae tempore Regis Martini.

Secundo videtur, quod Civitates, terrae, et loca Demanii declarentur semel pro semper, et quod alicui nullatenus concedatur Capitania, et Castellania simul in terris, et locis Demanii.

Placent Regiae Majestati contenta in dicto Capitulo: et fiet dicta declaratio per eamdem Majestatem, ut in responsione primi Capituli continetur.

Post praedicta per dictam Regiam Majestatem cum concordi consilio dictarum duodecim personarum, fuit declaratum, et nunc tenore praesentium declaratur, infrascriptas Civitates, terras, et loca esse, et esse debere in perpetuum de Demanio, prout sequuntur per alphabetum videlicet.

Terra et Castrum Alcami.
Castrum Bonifati.
Castrum Capitis Orlandi.
Terra, et Castrum Corileonis.
Civitas Cataniae.
Terra, et Castrum Castrijoannis
Terra Calatsibettae.
Terra, et Castrum Castrinovi.
Civitas, et Castrum Cephaludi.
Terra, et Castrum Francavillae.
Civitas cum Castro Agrigenti.
Insula cum Castro de Gozo.
Terra cum Castro Jacii.
Terra cum Castro Castriregalis.
Terra cum Castro Molae Tauromenii.
Terra, et Castrum Montis S. Juliani.
Insula Favognanae.
Turris maritima Agrigenti.
Terra, et Castrum Licatae.
Terra, et Castra Leontini.
Civitas Messanae.
Terra, et Castrum Melatii.
Civitas cum Castro Mazariae.
Terra cum Castro Marsaliae.
Terra cum Castro Minei.
Insula cum Civitate, et Castris Meliveti.
Terra, et Castra Nicosiae.
Terra, et Castrum Nari.
Terra, et Castrum Noti.
Civitas cum Palatio, et Castro ad mare Panormi cum solatiis suis.
Terra, et Castrum Platiae.
Terra, et Turris Paternionis.
Terra, et Castrum Politii.
Civitas cum Castro Pactarum.
Terra Randatii.
Terra cum Castris Ramettae.
Civitas cum Castro Syracusarum.
Terra cum Castro S. Luciae.
Terra, et Castrum Salemi.
Terra cum Castro Saccae.
Terra, et Castrum Suterae.
Terra, et Castrum Tauromenii.
Terra, et Castrum Traynae.
Terra, et Castrum Thermarum.
Terra, et Castrum Derepani cum Turri Columbariae.
Terra cum Castro Terraenovae.

Ex Capitulo II. Regis Martini inter Capitula R. S.

Digitized by Google

LXXX.

Iubet Rex Martinus, ut in Terris Calax. ac S. Luciae, Mag. Capellano Arnaldo de Letone, et aliis Reg. Capellanis debita jura persolvantur.

Martinus Dei gratia Rex Aragonum, et Martinus eadem gratia Rex Siciliae etc.

Capitaneis, Vicecapitaneis, caeterisque Officialibus Terrarum Calaxibettae, et S. Luciae Fidelibus nostris gratiam nostram, et bonam voluntatem. Quia pro parte Venerabilis Religiosi, et devoti nostri Fratris Arnaldi de Letone Ordinis Cisterciensis nostrae Capellae Regiae Magistri Capellani, nec non aliorum dictae nostrae Capellae Capellanorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse Magister Capellanus, et alii nostri Capellani praedicti habeant, et habere debeant nonnulla jura, redditus, et proventus in terris praedictis, quae huc usque non potuerunt percipere, nec habere, dignaremur proinde eisdem de nostra solita clementia de opportuno juris remedio providere. Ea propter fidelitati vestrae, et cujuslibet vestrum dicimus, et mandamus expresse quatenus distringatis, et compellatis iis viis, modis, et formis, quibus decet eos omnes, et singulos, qui ad solutionem jurium, et aliorum ipsi Magistro Capellano, aut aliis Capellanis praedictis quomodolibet tenentur, quatenus de eisdem eidem Fratri Arnaldo, et aliis Capellanis praedictis seu eorum Nunciis respondeant seu responderi faciant integre et complete. Dat. Cathaniae die Vigesimo quarto Februarii quintae Indictionis Anno Dominicae Incarnacionis 1396. Petrus Cancellarius Primogenitus Aragonum = Rex Martinus.

Ex libro Regni Protonotarii anni 5 Ind. 1396 et 1397 fol. 71 lib. 1.

LXXXI.

Canonicatus Terrae Calax. Andreae de Leontino obitu vacans, Presb. Barth. de Barberio a Rege Martino confertur.

Martinus Dei gratia Rex Aragonum, et Martinus etc.

Dum grata plurimum, et accepta servitia per vos fidelem nostrum Presb. Bartholomaeum de Barberio de Terra Calaxibettae, nobis praestita, nec minus damna, et exilium, quae passus estis pro nostra fidelitate servanda, meditatione debita contemplamus, dignum, et congruum arbitramur, ut Vobis, quem ad majora beneficia promoveri vestra merita promerentur, sollicitudo nostra, quae subditorum servitia aequanimiter ponderat, aliqualiter recompenset; Ideo tenore praesentium, Canonicatum Terrae praedictae vacantem ad praesens per mortem Presb. Andreae de Leontino dicti Canonicatus ultimi, et immediati Canonici, cujus Collatio, et praesentatio ad nos spectant, et competunt, *vobis dicto Presbytero Bartholomaeo tamquam benemerito, et condigno,* cum plenitudine juris sui usque ad nostrum beneplacitum concedimus, conferimus, et donamus. *Ven. in Christo Patrem Vicarium Ecclesiae Catanensis, vel alium ad quem spectat, requirimus expresse, ut vos quem ad ipsum Canonicatum obtinendum reputamus idoneum, in eo confirmet, ut decet, vosque vel Procuratorem vestrum praefatum in ejus possessionem immittat, aliaque omnia faciat ad ista necessoria, vel etiam opportuna, et quae sibi pertinent, et pertinebunt. Quoniam nos per hanc eamdem manda-*

Digitized by Google

mus universis, et singulis Officialibus, et Subditis nostris, nostrorumque Officialium locumtenentibus praesentibus, et futuris, quatenus vos dictum Presbyterum Bartholomaeum, quamdiu nobis placuerit pro Canonico Canonicatus praedicti habeant, et teneant, Vobisque vel Procuratoribus vestris quamdiu nobis placuerit, ut praefertur, de redditibus, et juribus Canonicatus memorati respondeant, et satisfaciant, responderique, et satisfieri faciant integre, et complete. Dat. Cataniae die penultima Januarii 5. Ind. anno Dom. Inc. 1396. *Petrus Cancellarius primogenitus Aragonum. Rex Martinus etc.*

Ex reg. Pronot. ann. 5. Ind. 1396, et 1397 fol. 14.

LXXXII.

Obitu Bartholi Xiurti S. Luciae beneficium concedit Rex Martinus Gabrieli de Gobaldis, mandans Archiepiscopo Mess. Capellano majori, ut eum confirmet.

Martinus Dei gratia Rex Aragonum etc. Reverendo in Christo Patri Archiepiscopo Messanae majori Capellono Consiliario, fideli, et Oratori nostro devoto gratiam nostram, et bonam voluntatem. Majestates nostrae habentes respectum ad grata quamplurimum et accepta servitia praestita nobis diutius, et benigne per dilectum Presbyterum Gabrielem de Gobaldis Capellanum nostrae Regiae Capellae fidelem, et devotum nostrum, ejusque merita probitatis, et virtutis in examine nostrae considerationis promeritantes regale beneficium Ecclesiae Sanctae Luciae de terra Sanctae Luciae Planae Melatii vacans jamdiu per mortem Presbyteri Bartholi Xurti cum ejus redditibus, et proventibus debitis, et consuetis, cujus beneficii jus Patronatus, et Collatio ad nos spectat, et competit, ut de eo claram notitiam habemus *eidem Gabrieli tamquam benemerito, et condigno gratiose* duximus concedendum *facto tamen privilegio opportuno, ea propter Reverendam Paternitatem vestram* tamquam majorem Capellanum *nostrae Regiae Capellae supradictae, aut officialem vestrum, ad quem spectat, seu spectare dignoscitur, requirimus expresse quatenus vigore nostrae donationis, et concessionis dictum Gabrielem, seu ejus Procuratorem pro eo, ad hoc vos praesentium serie electum, et presentatum in dicto beneficio confirmare debeatis ut decet et in possessionem dicti beneficii eumdem Gabrielem, seu ejus Procuratorem, pro eo vos seu persona pro vobis ad hoc deputata more solito inducentes et ipsum defendentes inductum tamquam Beneficialem in officio supradicto per Celsitudines nostras ordinatum. Dat. Cataniae sub nostro sigillo secreto anno Dominicae Incarnationis* 1396 *die* 26 *Octobris* 5 *Ind.* = *Rex Martinus.*

Ex Registro Regiae Cancellariae h. S. R. Anni 1396 fol. 12 retro.

LXXXIII.

Declarat Rex Martinus se contulisse beneficium S. Barbarae Terrae Calax. Fr. Bernardo de Ginestra.

Rex Siciliae etc. Familiares, et fideles nostri. Comu sapiti la Majestati nostra qudsti tempi passati dedi, et concessi *a Frati Bernardu de Ginestra Capellanu, familiari, et devotu nostru lu beneficiu di S. Barbara di Calaxibetta cum tutti li renditi, et proventi soy, secundu in littiri patenti soy clarius si contenti; Noviter vero havimu intisu, chi essendu fama, chi lu di-*

Digitized by Google

tu Fr. Bernardu era statu mortu, Vui Jurati estendistivu li manu, e prindistivu l'introiti di lu dittu beneficiu: quapropter ad humili supplicazioni di lu dittu Fr. Bernardu, vi cumandamu firmiter, et expresse, quatenus ad petizioni di Frati Petru de Raymundu Capellanu, et fideli nostru, lu quali lu dittu Fr. Bernardu havi constituitu Procuraturi sou supra lu dittu beneficiu, li digiati rispundiri, et fari rispundiri di tutti l'introiti et proventi di lu beneficiu praedittu, danduli a lu dittu Frati Petru per parti di lu dittu Fr. Bernardu, circa hoc omni ajutu, brachiu, et favuri, cossi conveni, et si forte ndi haviriti prisu alcuna cosa, chi li digiati fari restituiri. Dat. Cathaniae die 25 Aug. 7 Ind. 1399. Rex Martinus etc.

Ex Reg. R. S. Proton. ann. 7 Ind. 1398. 1399, et aliorum ann. fol. 72.

LXXXIV.

Regia collatio beneficiorum S. M. Magdalenae, et S. Pauli ad Palat. Capellae jurisdictionem spectantium.

Martinus etc. Religioso Fratri Amico Abbati Majori Capellano Sancti Joannis de Eremitis fideli Oratori nostro gratiam nostram, et bonam voluntatem. Cum Nos exigentibus meritis, et servitiis fidelis Oratoris nostri Domini Michaelis de Cancellario Canonici Sacri Palatii felicis Urbis Panormi dederimus, et concesserimus eidem Domino Michaeli duo beneficia instituta in Jurisdictione dicti sacri Palatii *sub vocabulo, seu invocatione Sanctae Mariae Magdalenae, et Sancti Pauli Apostoli cum universis eorum juribus, redditibus, et proventibus prout in quibusdam Literis patentibus per Nos eis super hoc concessis datis in terra nostra Minei die* 9 *Julii* 8 *Ind. plenius continetur, Idcirco devotioni vestrae tenore praesentium committimus, et hortamur quatenus dictum Dominum Michaelem, aut ejus legitimum Procuratorem pro eo in corporalem possessionem dictorum duorum Beneficiorum, jurium, et pertinentiurum ipsorum inducatis facientes sibi de ipsorum beneficiorum fructibus, redditibus, et proventibus integre responderi . . . . . . dicto Domino Michaeli de Jurisdictione possessionis hujusmodi scriptum competens ad cautelam eidem Domino Michaeli valiturum. Datum in Terra nostra Minei Anno Dominicae Incarnationis* 1400 *die nono Julii* 8 *Indictionis. Rex Martinus.*

Dominus Rex mandavit mihi . . . . . Protonot.

Ex Reg. Regiae Cancellariae H. S. R. anni 8 Ind. 1399 fol. 66.

LXXXV.

Ob mortem Archiepiscopi Mess. Rex Martinus Mag. Capellanum instituit Fr. Philippum Ord. Carm. Pactensem Episcopum.

Martinus etc. Reverendo in Christo Patri Fratri Philippo Ordinis Carmelitarum Sacrae Paginae Magistro, ac Pactensi Episcopo Cancellario, Familiari, ac Fideli nostro gratiam etc. Avertentes nostrae mentis oculos a temporalium, mundanarumque desideriis, quae tanto animi fervore flagravimus paululum ut corde contriti tandem ministeria Summi Creatoris, per quem regnamus in terris in Oratorio nostro, quo compellimur coram Deo, ad aeternam nostram, nostrarumque animarum salutem divinas porrigere preces nostras per dignos, et devotos viros devotius celebrentur, cum summa imi cordis meditatione pensantes Capellae nostrae Ceremoniis Catholicis statui decrevimus

Digitized by Google

dignos viros. Attendentes itaque vos dictum Magistrum Philippum Pactensem Episcopum, non minus re, quam fama nostris, caeterorumque mentibus apparatum. Consideratione quin imo servitiorum vestrorum, quae Excellentiae nostrae indefesse hactenus contulistis, queque conferitis, et conferre poteritis in futurum, dante Domino, meliora, Vobis dicto Magistro Philippo tota vestra vita, durante, Officium Magistri Capellani Regiae Capellae nostrae, quod ob mortem Reverendi in Christo Patris Archiepiscopi Messanensis vacat ad praesens in nostris manibus conferendum cum omnibus emolumentis, *praerogativis, jurisdictionibus, praeheminentiis, gratiis, salariis, commodis, utilitatibus, juribus, et rationibus consuetis, recepto prius a vobis idem officium ad honorem Summi Creatoris, salutemque Animarum divae memoriae Praedecessorum nostrorum, et nostrae bene, et devotsssime exercendi, debito ad sancta Dei Evangelia juramento*, tenore praesentium duximus committendum, et vos in Magistrum Capellanum Regiae nostrae Capellae facimus, creamus, et tenore praesentium ordinamus, *universos, et singulos Praelatos. Abbates, et Personas Ecclesiasticas Regni nostri, et praesertim Capellanos, Subcapellanos, Clericos, et officiales alios Capellae praedictae praesentes scilicet et futuros hortantes affectuosissime cum praesenti, aliisque Comitibus, Proceribus, et Baronibus, Officialibus, hominibus, et habitatoribus dicti nostri Regni formiter, et expresse mandantes quatenus vos dictum Magistrum Philippum a die dictarum praesentium in antea tota vita vestra durante in Magistrum Capellanum Regiae nostrae Capellae habeant, teneant, atque tractent, vobisque de omnibus honoribus, praeheminentiis, praerogativis, emolumentis, gratiis, salariis, Jurisdictionibus, et juribus consuetis respondeant, et faciant ab omnibus responderi. In cujus etc. Datum Cathaniae sub Anno Dominicae Incarnationis* 1402 *die duodecima Januarii Undecimae Indictionis = Rex Martinus.*

Ex Registro Regiae Cancellariae hujus Siciliae Regni Anni XI. Indictionis 1402, et 1403 fol. 3.

LXXXVI.

Eligitur a Rege Martino Matthaeus de Luperno Canonicus Syracusanus in Capellanum Regium.

Martinus etc. Illos in familiares Capellanos nostros libenter assumimus, quos non minus fama, quam nativa virtus extollit, quosque servitiorum obsequia et vulgaris fama commendat, itaque attentis virtutibus, sufficientia, et morum honestate, quibus devotus noster, et fidelis Dom. Matthaeus di luperna Canonicus, et Concivis Syracusarum multipliciter insignitus eumdem ex nunc in antea dum vixerit in Capellanum nostrae Regiae Capellae, de certa nostra scientia tenore praesentium assumimus, recipimus, et sublevamus aliorum nostrorum Capellanorum consortio propterea aggregare volentes, quod idem Matthaeus singulis libertatibus, immunitatibus, honoribus, gratiis, quibus alii nostri domestici Capellani gaudere soliti sunt, et debent, de caetero gaudere, et potiri valeat, atque possit, quodque pro quibuscumque quaestionibus civilibus, et criminalibus quomodocumque, et qualitercumque, contra eum de caetero agitandis coram nostro Magistro Capellano, et nullo alio cujuscumque dignitatis, et conditionis existat, etiam papalibus executoriis conveniri possit, quem Magistrum Capellanum sibi in Judicem competentem assignamus; Hortantes propterea singulos nostri Regni Praelatos, aliasque ecclesiasticas personas, caeterisque Officialibus ejusdem Regni, et praesertim,

Capitaneo, et Officialibus fidelis Civitatis Syracusarum praesentibus, et futuris expressius in vim praesentis, quatenus eumdem Matthaeum in Capellanum domesticum nostrum dum vixerit habentes, tractantes, et firmius pertractantes ipsum singulis libertatibus, quibus alii domestici Capellani Commensales gaudere debent, uti gaudere libere permittatis, eum per neminem alium, quam per dictum Magistrum Capellanum conveniri, et compelli nullatenus patiamini, nec contraveniatis praesenti nostrae Regiae gratiae, et dispositioni, si iram, et indignationem nostram cupitis evitare. Dat. Cathanae XV. Aprilis XI. Ind. = Rex Martinus etc.

Ex Registro Regiae Cancellariae hujus Siciliae Regni Anni XI. Ind. 1402, et 1403 fol. 194.

LXXXVII.

Rex Martinus eligit in Capellanum regium ad honorem Presbyt. Antonium Pandolfino.

Martinus etc. = Illos in Capellanos nostrae Capellae libenter assumimus, quos morum honestas, virtus, et laudabilis fama commendat: praesentium itaque literarum serie notum fieri volumus universis tam praesentibus, quam futuris, quod ad humilem supplicationem pro parte Presbyteri Antonii de Pandolfino de Terra Randatii nostris culminibus noviter inde factam eumdem Presbyterum Antanium ejus meritorum, et virtutum intuitu, in nostrum Capellanum quo ad honorem assumimus, et aliorum Capellanorum nostrorum consortio aggregamus, volentes quod ipse Presbyter Antonius ex nunc in antea gaudeat his omnibus, et singulis praeheminentiis, libertatibus, immunitatibus, honoribus, exemptionibus, et gratiis, quibus alii nostri Capellani quo ad honorem soliti sunt uti, frui, gaudere. Mandantes hujus serie hujusmodi dilecto Consiliario nostro, et nostrae Regiae Capellae Capellano majori, Fratri Petro di Ferraria, caeterisque universis, et singulis Officialibus, et subditis nostris dictorumque Officialium Locatenentibus praesentibus, et futuris quatenus dictum Presbyterum Antonium ex nunc in anthea pro Capellano nostro, quo ad honorem habeant, et teneant, eumque patiantur, et permictant, uti, frui, et gaudere his omnibus, et singulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, honoribus, praeheminentiis, et gratiis, quibus alii Capellani nostri, quo ad honorem soliti sunt uti, frui, et gaudere, neo eum contra tenorem hujusmodi quomodolibet inquietare, seu molestare patiantur etiam aut permictant. Datum Cathaniae prima die Augusti XI. Indictionis anno Domini 1403. = Rex Martinus =

Ex Registro Regiae Cancellariae huius Siciliae Regni anni 1402, et 1403 fol. 160.

LXXXVIII.

Rex Martinus admonet Pact. Episcopum Capellanum majorem, ne pro subsidiis a Pact. Ecclesia praestandis deturbet S. Luciae Clericos, qui nulli dioecesi subjacent.

Rex Siciliae etc. Reverende in Christo Pater Consiliarie, et Orator devote, Noviter per parti di lu Cleru, et Presviteri di la Terra di S. Lucia de Plano Melatii nostri devoti Oraturi è statu espostu a la nostra Excellencia

Digitized by Google

comu vui sub pretextu di la subvencioni di lu vostru Cleru, et Diocia duviti subveniri, et *contribuiri a li servicii pri vui chi nostra Majestati vi ha commisu, vuliti tassari*, et *vuliti, chi lu dictu Cleru*, et *Presbiteri di S. Luchia predicti contribuissiru; et participari cu vui unzi cincu, di chi si ita est ni maravigliamu, chi in quantu li dicti Presbiteri di S. Luchia* su de numero, et subjetti a la nostra Regia Capella, *chi vui li voliti fari contribuiri in li ditti subvencioni*, *et per consequens non subjetti* a Diocia alcuna *imo si in contribucioni alcuna si avissiru a contribuiri* fora in la nostra Regia Cappella et per lu nostru Mastru Cappellanu, *et non per altru ca vui siti nostru Mastru Cappellanu, et non vi contribuiti in li ditti subvencioni eccetto comu Episcopo di Patti. Però deliberate avimu provistu, chi nullo modo digiati fari contribuiri, ne constringiri in cosa alcuna nissunu di li prefati Presbiteri; Imo vi comandamu chi si pri la causa preditta aviti in aliquo contra ipsi in beni loru processu li digiati in irritum revocari, et amplius non li molestari pri la causa prefata. Datum Cataniae Septimo Martii XIV. Indicionis.*

Rex Martinus.

Dirigitur Episcopo Pactensi.

Ex Registro Regni Siciliae Protonotarii ann. 1404, et 1405 fol. 179 retro.

LXXXIX.

Committit Rex Martinus Capellano majori tamquam Judici competenti cognitionem causae, quae vertebat inter Agrig. Episcopum dicti Regis Confessarium, et Archidiaconum ejusdem Ecclesiae Reg. Capellanum.

Sedente Innocentio Septimo.

Martinus Dei gratia Rex Aragonum, et Martinus etc. Ven. Religioso, ac devoto nostro Fratri Petro de Ferraria Capellae Regiae nostrae Capellano majori salutem, et dilectionem. Cum honestus Dominus Berengarius dela Pulcella Archidiaconus Agrigentinus dictaeque nostrae Capellae Capellanus asserat Ven. Episcopum Agrigentinum sibi de proventibus dictae suae Ecclesiae anno quolibet teneri, et dare debere uncias auri centum, et debere habere redditus Terrae Leocatae, ipseque Episcopus asserat se eidem Domino Berengario in nihilo penitus teneri, et obligari, vertaturque, seu verti speretur ad praesens inter eos quaestio, sive lis praevia ratione. Quum autem causarum *vertentium inter ipsum nostrum* Confessorem, *et dictae nostrae* Capellae Capellanos *vobis incumbat quaevis decisio, defensio, et declaratio. Idcirco de vestris fide, sufficientia, probitate, et legalitate ad plenum confisi, Vobis in quantum ad Nos pertinet dicimus, committimus, et mandamus, quatenus auditis ad plenum juribus, rationibus, et allegationibus partium utrarumque in quaestione ipsa, et aliis quaestionibus quibuscumque, quas una pars alteri movere intendit solum Deum habentes prae oculis, audiatis, decidatis, definiatis, et sine debito termino terminetis. Nos enim quantum per Vos in praemissis actum fuerit, sive gestum ratum habere promittimus, atque firmum. Mandantes serio hujusmodi firmiter, ac expresse universis, et singulis Officialibus, et subditis nostris, dictorumque Officialium, Locumtenentibus praesentibus, et futuris quatenus decisionem, declarationem, et terminationem per Vos fiendam in quaestione praedicta, et aliis quaestionibus quibuscumque pro parte una alteri movendis ratam, et firmam habeant, teneant, et ob-*

servent, cumque justa ejus seriem, et tenorem penitus exequantur, et non controveniant nec controvenire permittant aliqua ratione, vel causa. Datum Cathaniae 4 Aprilis 12 Ind. anno Domini 1404. = Rex Martinus.

Ex Libro Protonotarii anni 1402, 1403, et 1404 fol. 147.

XC.

Quod Michael de Cancellario tamquam Canonicus Palatinus ab omni ordinaria jurisdictione esset exemptus, praecipit Rex Martinus Pan. Archiepiscopo, ejusque Vicariis, ne in causis illius sese intermisceant.

Martinus Dei gratia Rex Aragonum, Martinus eadem gratia Rex Siciliae, et Ducatus Athenarum, et Neopatriae Dux, ejusdem Regis, et Regni Aragonum primogenitus, Gubernator Generalis dicti Regni, et Ducatuum praedictorum regimini, et solio consedentes, et corregnantes, Reverendo in Christo Patri electo Archiepiscopo Panormitano, ejusque Vicariis, singulisque personis Ecclesiasticis dicti Regni, ad quos infrascripta spectare noscuntur Oratoribus, et fidelibus nostris salutem, et dilectionem. Dudum prout nostrae Curiae constitit ex tenore quarumdam literarum nostrarum dat. Catanae sub anno Domini 1400 Mensis Decembris 18 ejusdem 8 Ind. honestum Dominum Michaelem de Cancellario unum ex Canonicis nostri sacri Palatii Fel. Urbis Panormi, ut duodenus numerus consuetus Canonicorum Capellae ejusdem Palatii adimpleretur, ob mortem Domini Francisci Calabruci duximus ordinandum, cum singulis honoribus, praerogativis, et juribus hactenus consuetis, prout in dictis literis haec, et alia plenius continentur, cujus Canonicatus poscente natura, laudabilis, et antiqua consuetudo huc usque inviolabiliter observata est, ut quilibet videlicet duodecim dictorum Canonicorum non nisi coram nostro Magistro Capellano *quantumque in eadem Urbe non extat* conveniri debeat pro quibuscumque causis, et non coram alio quocumque Praelato, nisi suo Ordinario, *quod observari* ex antiquo privilegio nostrorum illustrium Praedecessorum Regum recor. *fel. ejusdem Capellae Canonicis* dudum consuevit. *Insectantes Vos Reverendum electum Panormitanum, et alios quoscumque Praelatos requirimus, et hortamur, quatenus eumdem Dominum Michaelem unum ex duodecim Canonicis dictae Capellae nostrae, pro quibusvis causis, et domandis contra eum motis, et de caetero movendis, ad petitionem alicujus coram Vobis convenire nullatenus praesumatis, sed eum ad dictum nostrum Magistrum Capellanum, vel ejus locumtenentem, quem proeterea in dicta nostra Urbe Panormi ordinari volumus, et jubemus, protinus remittatis, et siquid, quod non credimus, contrarium feceritis, aliis nostris literis inscribemus Capitaneo, et aliis Officialibus ejusdem Urbis, quod ad ipsius Domini Michaelis instantiam, et favorem nostri saecularis brachii consilium, et auxilia sibi tribuant opportuna, qui ab omni* vestra jurisdictione stabiliter excludant, *ut tandem praeeminentiis, privilegiis, exemptionibus, observantiis dicti sui Canonicatus gaudere possit, sine molestia, et obstaculo quocumque. Dat. Catanae sub anno Domini* 1406 *die 2 Julii 14 Ind. sub nostro sigillo secreto, Rex Martinus.*

Ex Archivio Reg. Capellae.

XCI.

Rex Martinus Mag. Capellano committit, ut Thomasio de Bufalis ex resignatione in favorem Gregorii de Bufalis beneficium S. Philippi de Plano Milatii canonice confirmet.

Martinus etc. Pateat universis, quod cum olim Berengarius de Cruillas Consiliarius, et Camerlingus noster tunc Gubernator Locumtenens Generalis pro parte nostra in Regno Siciliae praedicto cum ampla, et plenissima potestate dedit, et nomine nostro gratiose concessit Gregorio filio Joannis de Bufalis de Messana quoddam Beneficium Ecclesiasticum situm in praedicto Regno in Plano Melatii, quod dicitur de S. Philippo prope *terram S. Luciae ejusdem Plani*, cujus collatio ad nos tamquam habentes jus Patronatus beneficii supradicti juridice spectare dignoscebatur. *Nostra deinde Majestas ad supplicationem praefati Joannis suis consideratis meritis, atque servitiis Concessione per praefatum Berengarium sic ut praedicitur facta confirmavit liberaliter, et gratiose praefato Gregorio filio suo, qui vigore Concessionis, et confirmationis hujusmodi possessionem dicti Beneficii adeptam retinuit, atque retinet, et possides de praesenti prout de dictis Concessione, et confirmatione clare liquet tenore cujusdam rescripti nostri inde facti dati Messanae anno Dominicae Incarnationis* 1392 *mense Julii* 5 *ejusdem* 15 *Ind. Cumque praefatus Joannes, ipseque Gregorius filius ejus cupiant, atque desiderent donationem, concessionem, et confirmationem praefati Beneficii firmiter transmutari, et transferri in personam Thomanii de Bafalis filii, et fratris praefatorum Joannis, et Gregorii nostris Majestatibus humiliter supplicavit, ut* beneficium antedictum hac de causa per eumdem Joannem nomine praefati Gregorij in manibus nostris renuntiatum, atque remissum *eidem Thomasio de Bufalis gratiose concedere, et benigne donare nostrae dignarentur Majestates. Cujus supplicationibus inclinati attendentes fidem puram, et devotionem sinceram, ac obsequiosa servitia, quae idem Joannes, et filii sui praestiterunt hactenus, praestant ad praesens, et praestare poterunt in futurum dante Domino gratiora praefatum beneficium hac de causa dumtaxat, ut praedicitur renuntiatum in manibus nostris recipimus, ad ipsumque beneficium praefatum Thomasium de Bufalis filium, et fratrem eorum immediate veluti per nos electum, ut idoneum praesentamus, atque ei concedimus, et quantum ad nos spectat firmiter donamus per* Reverendum nostrum Magistrum Capellanum canonice confirmandum *transferentes in eum omnia jura, proprietates, et pertinentias officii praedicti. Ita quod effectualem possessionem ipsius Beneficii, et redditum ejusdem obtineat dum vixerit, et consequatur eum renunciatio, et remissio in nostris manibus ut praedicitur facta sit ea ratione dumtaxat ut hujusmodi nostra praesentatio, et electio sequeretur quam modis omnibus valere volumus, quare nec aliter renuntiatio praedicta facta fuisset. Prevan-*[illegible] *Reverendum nostrum Capellanum, ut electionem, et praesentationem hujusmodi rathificare, et canonice acceptare procures singulis Officialibus nostris injungentes ut sibi, vel ejus Procuratori de redditibus ipsius beneficii respondeant, et faciant ab aliis dum vixerit integre responderi. Datum Catanae sub anno Dominiaae Incarnationis* 1407 *die* 6 *Februarii primae Indictionis. Rex Martinus.*

Ex Registro Regiae Cancellariae h. S; R. Anni 1407 et 1408 fol. 114 retro.

XCII.

Presbyteris S. Luciae tres uncias assignat Rex Martinus de summa ℈ 25 quas ejusdem Oppidi Commune suo pendebat Beneficiario.

Martinus Dei gratia Rex Aragonum, et Martinus eadem gratia Rex Siciliae etc. Capitaneo, et Juratis Terrae S. Luciae in Plano Milatii praesentibus, et futuris fidelibus nostris gratiam nostram, et bonam voluntatem. Licet ad supplicationem nonnullorum fidelium nostrorum illas uncias auri viginti quinque, quas Universitas dictae Terrae ratione, et causa Gabellae Bajulationis annis singulis sub certa forma dare tenetur, ipsis fidelibus nostris interdum concessimus, et elargimur; volumus tamen, et sic nostrae intentionis propositum fuit, et est, quod concessio hujusmodi, praeservatis alienis juribus intelligatur, decernentes propterea, Clerum seu Presbyteros Ecclesiae dictae S. Luciae ejusdem Terrae uncias auri tres de summa ipsarum unciarum 25 Gabellae praedictae ex antiqua consuetudine, et observantia debere annuatim consequi, et habere; fidelitati vestrae praecipimus, et mandamus firmiter, et expresse, quatenus consuetudinem, et observantiam ipsam sine diminutione qualibet observantes, si forte requisiti per dictos Praesbyteros, aut aliquem ipsorum nomine, et pro parte eorum, vel eorum Nuncium; Eusebius Tiruni dictus Italianus, qui ex nostra concessione dictas uncias 25 habet, et percipit de praesenti, et alii quicumque fuerint perceptores, et possessores dictarum unciarum 25 vigore nostrarum concessionum sub quavis verborum forma factarum; ad tradendum, et assignandum eisdem Presbyteris quolibet anno praedictas uncias tres extenuandas ex summa 25 unciarum. Quod si contra formam praesentis nostrae provisionis praefatis Presbyteris neglexerint (quod non credimus) assignare, eo casu ad requisitionem eorumdem praescriptas uncias tres, inde ut praemittitur, extenuandas ipsis Presbyteris, vel eorum Nuncio praesentes literas nostras ostendentibus, vobis scilicet praesentes Capitaneis, et Juratis ratam ipsarum unciarum trium pro anno praesenti 15 Indict. a die dat. praesentium in antea totas, et integras uncias tres praedictas deducendas ab ipsa summa unciarum 25 quolibet anno nulla alia exequutoria, seu mandato nostro ullatenus expectata. Datum in Terra Milatii die 12 Aprilis 15 Indict. sub anno Incarn. Dominicae 1407.

Ex lib. Reg. Monarchiae fol. 427 existente in Officio Proton.

XCIII.

Rex mandat restitui Pact. Episcopo possessionem Capellaniae majoris, quam Mess. Archiepiscopus obtinuerat.

Ferdinandus etc. Dilectis Consiliariis nostris Ambaxiatoribus per nos in dictum Regnum Siciliae destinatis salutem, et dilectionem. Per Vener. in Christo Patrem Oratorem, et Consiliarium nostrum dilectum Episcopum Pactarum fuit Majestati nostrae nuper humili expositione narratum, quod ipso tenente et possidente pacifice et quiete ab annis duodecim citra vigore reg. provisionis Ill. Principis Dom. Regis Siciliae Martini nostri Consobrini celebris memoriae Mag. Capellanatus R. S. officium ad vitae ipsius Exponentis decursum, facta pridem nobis instantia pro parte Rev. in Christo Patris Archiepiscopi Mess. qualiter dictum officium Mag. Capellanatus jam vacabat, nulla facta men-

tione de possessione, et titulo Exponentis ejusdem, idem Archiepiscopus tacita veritate ad nostrum rescriptum provisionem obtinuit a nostra Majestate non sine gravi praejudicio juris ipsius Episcopi, et possessionis ejusdem, cujus quidem nostrae provisionis causa idem Archiepiscopus propria auctoritate eumdem Episcopum ab ipsa possessione privavit, illud sibi cum juribus ad ipsum spectantibus occupando eidem Episcopo in jure suo graviter praejudicando: quamobrem Serenitati nostrae sibi de juris opportuno remedio supplicavit occurri. Nos vero cum teneamur cuique petenti justitiam ministrare, vobis de certa scientia nostra dicimus, et mandomus expresse, quatenus super restitutione dicti Mag. Capellanatus Officii, ac jurium, ac reddituum per eumdem Archiepiscopum vel alios nomine suo ratione dictae occupationis proinde perceptorum dicto Episcopo debite provideatis procedentes in iis summarie et de plano sine figura, et strepitu judicii sola veritate inspecta favorabiliter pro supplicante praedicto. Declaramus etenim vobis, quod nostrae intentionis numquam fuit de dicto Officio alicui providere cum juris alieni praejudicio. Dat. Caesaraugustae duodecimo Madii Anno a nativ. Domini MCCCCXIV.

Rex Ferdinandus.

Ex libro R. Monar. existente in Officio Protonotarii fol. 457.

XCIV.

Vita functo Philippo Agrig. Episcopo, et Capellano majore, Proreges confirmant Barthol. lo Presti in officio Vicariatus S. Luciae.

Alphonsus etc.

Vicereges etc. Presbytero Bartholomaeo di lu Presti fideli, et Oratori Regio salutem. Cum quondam Reverendus in Christo Pater Magister Philippus olim Agrigentinus Episcopus, et Magister Capellanus Major Sacrae Regiae Capellae dum fuerit sibi vita Comes tribuit, commisitque Officium Vicariatus, et Exequutoris spiritualium, et temporalium in Terra S. Luciae spectantium ad eum tamquam Magistrum Capellanum Majorem, et nunc *propter decessum ipsius dictum Magistri Capellanatus officium, et per consequens idem officium Vicariatus, et Exequutoris expirossent, tibi de tua fide, sufficientia, et legalitate plene confidentes praestito prius per te manibus propriis de bene, fideliter, et legaliter exercendo Officium Vicariatus, et Exequutoris Terrae S. Luciae praedictae corporali, debito juramento, Officium ipsum cum omnibus, et singulis juribus, praeeminentiis, praerogativis, et emolumentis debitis, et consuetis sic, et prout idem* quondam Magister Capellanus Major tibi commisit, et concessit, committimus, conferimus, et authoritatem damus donec *et quousque per Serenissimum Dominum nostrum Regem fuerit aliter ordinatum. Universos Praelatos, et Personas Ecclesiasticas hortantes, omnibusque, et singulis Regiis Officialibus Regni Siciliae firmiter, et expresse mandantes, quatenus tibi praedicto Presbytero Bartholomaeo praesentem nostram commissionem, et quidquid in ea continetur observent ad unguem, et faciant ab aliis penitus observari. Injungimus nihilominus per hanc eamdem Procuratori in spiritualibus, et temporalibus, ac etiam Presbyterum Petrum Caristi hortamur, quatenus ad praesentium inspectionem tribuere computum, et rationem de perceptis, et habitis omnimode teneatur, quod diligenter accipere procurabis. In cujus rei testimonium praesentes exinde fieri jussimus debitis sol-*

Digitized by Google

lemnitatibus roboratas. *Dat. Cathanae decimo quarto Martii decimae quintae Indictionis Millesimo quadragesimo Vicesimo primo*.

Ex Registro Regiae Cancellariae h. S. R. Anni 1421 fol. 244.

XCV.

Regias literas pro Cler. Alamanno de Siscar exequutioni mandant Capellanus major, ei conferendo beneficium bajulatus Terrae S. Luciae, ac Viceregges dictae Terrae Officialibus praecipiendo, ut eidem Clerico beneficii possessionem tradant.

Alphonsus etc.

Vicereges etc. Venerabili Vicario, *nec non Capitaneo*, *Juratis*, *Judicibus*, *et aliis Officialibus Terrae S. Luciae*, *nec non personis aliis quibuscumque quavis aucthoritate*, *et potestate fulgentibus tam praesentibus*, *quam futuris Oratoribus*, *et fidelibus Regiis salutem*. *Cum per dictum Serenissimum Dominum nostrum Regem fuerit* concessum, et collatum beneficium primo vacaturum, ad collationem, seu praesentationem Regiae Majestatis pertinens, Venerabili Clerico Alamanno de Siscar Scholari Regiae Capellae, *Regioque Commensali in Regno Siciliae existens*, *ut continerì vidimus in quodam sacro Regio Privilegio omni qua decet sollemnitate*, *sigilloque pendenti vallato*: *dato in Castronovo Regni Neapolis quinto die Maii anno a Nativitate Domini 1422*, *et exinde ob mortem quondam Presbyteri Joannis* de Tiodoro *vacaverit* beneficium Bajulatus ipsius Terrae S. Luciae, cujus Beneficii collatio, vel praesentatio ad Regiam Sacram Majestatem *dicti Regni Siciliae dignoscitur pertinere*; *Quod Beneficium Antonius de Podio Procurator dicti Clerici Alamanni acceptaverit vigore privilegii praelibati*. *Reverendus in Christo Pater* Fr. Joannes Abbas *Monasterii S. Mariae de Parco Fel. Urbis Panormi*, *et Regius* Mag. Capellanus eidem Procuratori nomine dicti Venerabilis Clerici Alamanni contulerit, ut contineri vidimus *in quodam publico instrumento in Urbe Fel. Panormi celebrato per Boncontium de Bonanno publicum Tabellionem olim 22 Madii praesentis anni munito pendenti sigillo*, *subsignatoque per Vincium de Tasso Judicem ipsius Urbis*, *et Testium numero competenti*, *et volentes mandata*, *et ordinationes dicti Serenissimi Domini nostri Regis*, *ut tenemur*, *debitae exequutioni mandare*. *Vobis*, *et unicuique vestrum committimus*, *et imponimus*, *quod cum fueritis legitime requisiti a praedicto Clerico Alemanno*, *ei realem*, *et corporalem possessionem dicti Beneficii Bajulatus Terrae S. Luciae tradatis*, *et assignetis*, *seu tradi*, *et assignari faciatis etc. Dat. in Terra Castrijoannis penultimo Maii XV. Indictionis Anno Dominicae Incarnationis 1422 Catanensis Arnaldus Rogerius de Pallas*, *Nicolaus Castagna*.

Ex Registro Regiae Cancellariae h. S. R. Anni 1422 fol. 326.

XCVI.

Quod S. Luciae Presbyteri de jurisdictione essent Regiae Capellae, praecipit Rex Alphonsus Collectori male ablatorum, ne ab eis quidquam exigat.

Alphonsus etc.

Vicereges etc. Collectori Male Oblatorum incertorum, vel ejus Locumtenenti, praecipue in Terra S. Luciae de Plano Melatii Reg. Fid. salutem. Mandamus vobis, quatenus a Presbyteris Terrae S. Luciae supradictae tarenum unum pro uncia de rebus legatis, aut legandis eisdem Presbyteris, aut Ecclesiis eorum existentibus in eadem Terra Sanctae Luciae ad pias causas pro eo quod sunt de jurisdictione Regiae Capellae donec aliud habueritis in mandatis nullatenus exigatis, *nec exigi faciatis, et si quid ab eisdem ratione praedicta fuerit exactum restitui faciatis; praesentes autem post opportunam inspectionem restituatis praesentanti. Dat. Messanae die undecimo Augusti 3 Indictionis* 1425.

Nicolaus de Speciale.

Ex Registro Protonotarii Ann. 1421, et 1422, ac aliorum ann. fol. 186.

XCVII.

Mandat Infans Petrus regio Consiliario Bapt. Platamone, ut summario judicio litem de jurisdictione in Terram Calaxib. inter Mag. Capellanum, et Cat. Episcopum dirimat.

Infans Petrus etc.

Baptistae de Platamone legum Doctori Regio Consiliario Nobis dilecto salutem. Nostri praesentiam adiens Venerabilis Fr. Pater in Christo Frater Jonnes Abbas Monasterii S. Mariae de Altofonte alias de Parco Magister Capellanus Sacrae Capellae Serenissimi Domini nostri Regis, quamdam supplicationem exhibuit, et praesentavit continentiae sequentis = Serenissime Princeps, et Excellentissime Domine pro parte Abbatis de Parco Magistri Capellani Serenissimi Domini nostri Regis in Regno Siciliae exponitur, et supplicatur dicens quod cum idem Exponens fuerit, et sit Magister Capellanus in Regno Siciliae, et uti Magister Capellanus Regni Siciliae habeat omnia sua emolumenta, et honores, ipsa exercuit, et exercet, et inter caetera est Terra Calaxibettae, quae quoad spirituale fuit et est subjecta nostrae sacrae Regiae Capellae dicto Magistro Capellano, *et Praedecessores ipsius semper fuerunt in possessionem ipsius a temporibus retroactis dicta Terra quoad spirituale fuit, et est occupata per Reverendum Dominum Episcopum Cathanensem propter didiscrimina guerrarum praeteritarum, occupando ipsam indebite, et injuste, propterea placeat, quod si dicta terra quoad spirituale fuit, et est subjecta dicto Magistro Capellano, et non Domino Episcopo Catanensi quod placeat ipsam possessionem restitui facere dicto Magistro Capellano, scilicet dictam Ecclesiasticam jurisdictionem, et committere uni Judici non suspecto, ut expediat summarie, et de plano sine lite, et libello dictam causam, cum ea, quae sunt de jurisdictione dicti Magistri Capellani sint sua, et ea quae sunt de jurisdictione dicti Episcopi sint sua, ac suas immunitates ut Magister Capellanus consequi valeat, et habere ubique locorum, contradictione alicujus non obstante, cujus praesentium tenore vobis de cujus fide, superficientia,*

aptitudine, et probitate ab experto plene confidentes causam ipsam in supplicatione expressam, quae ventilatur, seu ventilari speratur inter ipsum Venerabilem Exponentem ex una parte, et Venerabilem in Christo Patrem Episcopum Cathaniensem ex altera providimus committendam, et committimus cum praesenti. Id circo dicimus, et regia authoritate qua fungimur vobis committimus, et mandamus, quatenus causam, seu litigium, et petitionem in supradicta supplicatione expressam, requisitis partibus ipsis, et juribus, et Procuratoribus earum admissis audiatis, recognoscatis, et videatis, et fine debito (prout juris est sententialiter et in scriptis terminetis, sententiamque vestram inde debitae exequutioni mandetis cum emergentibus, dependentibus, et connexis, Regias utque necessarias vices plenarie praesentibus impartimur. Vicarium et alios Officiales, et personas Ecclesiasticas ipsius Terrae Calaxibettae, ad quem, et quos pertinere dignoscitur hortamur; Capitaneoque Judicibus, et Juratis, et aliis Officialibus, ac personis dictae Terrae Calaxibettae mandamus, quatenus vobis circa praemissarum exequutionem cum sit expediens, seu requisitus vestrum aliquis extiterit, opem, consilium, auxilium, et favorem praesentium auctoritate impendant opportune. Datum Drepani ultimo Januarii tertiae Indictionis millesimo quatrigentesimo vigesimo quarto = Infans Petrus = Dominus Infans mandavit mihi Berengario Scaglono =

Ex Reg. R. S. Proton. ann. 3 Ind. 1424 et seq. fol. 413.

XCVIII.

Mandat Infans Petrus omnibus Regni Praelatis, et Officialibus, ne Mag. Capellani jurisdictonem deturbent.

Infans Petrus Vicerex, et Locumtenens in Regno Siciliae pro Serenissimo Domino, ac Fratre nostro Domino Alphonso Dei gratia Rege Aragonum Siciliae etc. Reverendis in Christo Patribus Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis, Abbatibus, Prioribus, et caeteris personis Ecclesiasticis, nec non Nobilibus Viceregi, Magistro Justiciario, Admirato, Comitibus, Baronibus, Militibus, Straticato, Capitaneo, Praetori, Judicibus, et Juratis, universisque Officialibus, et personis aliis quibusvis dignitatibus, et Officiis fungentibus tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ad quem, et quas praesentes pervenerint, seu exhibitae fuerint, et pertinere noscantur Regiis Consiliariis, Oratoribus devotis, fidelibus, Nobisque dilectis salutem, et dilectionem. Cum Venerabilis Pater in Christo Frater Joannes Abbas Monasterii S. Mariae de Altofonte, alias cognominati de Parco fuerit, et sit Magister Capellanus Sacrae Regiae Capellae Serenissimi Domini nostri Regis praedicti in hoc Regno Siciliae, ipsumque Magistri Capellanatus Officium cum administratione jurisdictionis ipsi Officio spectantis, et pertinentis vigore commissionum Regiarum membraque, et jura, ac praeminentias ipsi Magistri Capellanatus Officio spectantia, et pertinentia per Regnum ubilibet posita, signanter in Terra S. Luciae de Plano Melatii *cum exactione, consequutione, et perceptione jurium ipsorum percipiat, habeat, et consequatur, seu ejus Vicarii per eum constituti regant, administrent, percipiant, et firme intentionis propositum dicti Domini Regis, ac nostri fuerit, et sit ipsum Venerabilem Magistrum Capellanum ejusque Vicarios, et Substitutos, ac Procuratores circa regimen, et gubernationem dicti sui Magistri Capellanatus Officii cum perceptione jurium, praerogativarum, commoditatum, et praeminentiarum suarum manuteneri, revereri, venerari, et obbediri pariter, et defendi, vos Reverendos Archiepiscopos, Praelatos, et Ab-*

Digitized by Google

bates, *ac personas alias quasvis Ecclesiasticas hortamur*, *Vobisque Nobilibus Viceregi Magistro Justitiario*, *Admirato*, *Comitibus*, *Baronibus dicti Regni*, *Straticoto*, *et Judicibus*, *ac Juratis Nobilis Civitatis Messanae*, *nec non Capitaneo*, *Judicibus*, *et Juratis*, *ac Officialibus*, *et personis* aliis Terrae S. Luciae, et unicuique vestrum, *ad quem*, *et quos pertinere dignoscatur*, *ut supra*, *dicimus*, *et expresse de certa scientia mandamus*, *quatenus habentes*, *tenentes*, *et tractantes ipsum Venerabilem Abbatem velut Magistrum Capellanum Regium*, *ut supra*, *sibi*, *nec ejus Vicariis*, *Procuratoribus*, *seu Ministris circa possessionem suae jurisdictionis novitatem aliquam sive noxam faciatis*, *nec fieri modo aliquo permittatis*, *nec ipsum molestetis*, *seu perturbetis*, *quin immo*, *eum*, *et suos praedictos manuteneatis*, *protegatis favorabiliter*, *et defendatis*, *praestante nihilominus*, *si*, *et quoties opus fuerit*, *et ab eo*, *seu eis fueritis requisiti*, *auxilium*, *consilium*, *et favorem opportuna*, *hocque non mutetis*, *nec differatis ratione aliqua*, *sive causa*; *sub poena* . . . . . *ac mercedis obtentu*, *quoniam sic in favorem administrationis*, *et regiminis*, *ac gubernationis jurisdictionis ipsius Magistri Capellanatus Officii pertinentis consulto*, *matura deliberatione praehabita providimus*, *et volumus fore exequendum*. *Dat. Drepani die ultimo Januarii* 3 *Ind.* 1425.

Infans Petrus Vicecancellarius.

Ex Reg. literarum M. Curiae Archiepiscopalis h. fel., et fid. Urbis Pan. extante in Archivio ipsius M. Curiae de anno. 1425.

XCIX.

Instante Can. Michaele de Cancellario, Abbas D. M. de Alto Fonte Mag. Capellanus scribit ad Pan. Archiepiscopi Vicarios, ut Reg. Capellanorum privilegia observent, eosque in quibuscumque causis ad Mag. Capellani Curiam remittant.

Frater Ioannes Dei gratia Abbas Monasterii Beatae Mariae de Altofonte alias de Parco Cisterciensis Ordinis Monasterii Montis Regalis, *Regiusque Regni Siciliae Magister Capellanus*. *Honorabilibus*, *et Providis Viris Dominis Vicariis in temporalibus Revmi Domini Archiepiscopi Panormitani salutem in eo*, *qui recta statera unicuique reddit quod suum est*. *Adiens Officium nostrum honorabilis Dominus Michael de Cancellario Canonicus Capellae Sacri Palatii S. Petri*, *et Beneficialis Capellae S. Jacobi de la Mazzara*, *quae Regia ad idem existit*, *coram Nobis exposuit*, *quod vos totis viribus conamini compellere ipsum tamquam Regium Capellanum parere vestro judicio*, *et per eum Regiae Capellae*, *quod sit ita est*, *non modicum admirati*, *cum vos* non lateat, quod a tantis temporibus *citra quod* memoria hominum in contrarium non existit Capellani Sacri Palatii S. Petri, et aliarum Sacrarum Capellarum Regiarum sunt, et consueverunt esse de jurisdictione Regia Sacra, et Magistri Capellani Regii, et ad ipsum *spectat jurisdictio* Capellanorum Regiorum, et non ad aliquem alium Ordinarium. *Quare ex parte Serenissimi Domini nostri Regis vos requirimus*, *quatenus praedictum Dominum Michaelem Capellanum Regium non molestetis*, *nec molestari permittatis si poenas in privilegiis Regiis appositas cupitis evitare*, imo ad nos tamquam ejus Ordinarium remittatis, cum simus parati cuilibet de eodem quaerelanti justitiae complementum ministrare. *Dat. in dicto nostro Monasterio Decimasexta die*

Digitized by Google

Februarii Anno Domini 1428 6 *Indict.* = *Vidit Magister Capellanus* = *praesentata in Curia Archiepiscopali Fel. Urbis Panormi* 20 *Februarii* 6 *Indictionis* =

Ex Registro literarum M. C. Archiepiscopalis h. fel. et fidelissimae Urbis Panormi existente in Archivio dictae M. C. Archiepiscopalis de Anno 1428.

C.

Mandant Proreges exequutioni regias literas pro Vassallo de Speciale, committendo duobus Canonicis, ut eum in Cantoriae sacri Palatii possessionem inducant.

Alphonsus etc.

Vicereges etc. Cum Ser, Rex providerit in personam Vassalli de Speciale Ecclesiae Panormitanae Canonici, de beneficio uno vel pluribus ecclesiasticis, et etiam dignitatibus cum cura, vel sine cura, dum tamen compatibilia fuerint, quodque, seu quam obinde vacare contingat .... ut in patentibus literis .... datis Barcinonae die prima Octobris, anno a Nativitate Domini 1424 *vidimus, et dignoscitur contineri, contingatque Cantoriam seu dignitatem Cantoriae .... ab mortem Simonis Rubei Canonici Panormitani ultimi possessoris ad praesens* vacare in manibus Regis .... *propterea constitit nobis legitime de vacatione Cantoris praefati, cupientesque regiam gratiam, et provisionem praedictam exequi cum effectu, dictum Vassallum* virtute reg. literarum *praeteritarum in corporalem, et debitam possessionem vel quasi Cantoriae praedictae induci omnino providimus, et imponi: committentes, et mandantes harum serie Michaeli de Cancellario, et Antonio Rodus Canonicis dicti Palatii, quatenus dictum Vassallum in possessionem realem vel quasi Cantoriae praefatae fructuumque, et redditum ipsius vacantium ut supra, cum omnibus juribus, membris, pertinentiis ad eamdem Cantoriam et dignitatem spectantibus* in vim executionis provisionis, et gratiae regiae *supradictae ponant pariter, et inducant etc. Datum Panormi die prima Septembris* 7 *Ind.* 1428 = *Nicolaus Speciale.* =

Ex officio Reg. Cancell. H. S. R. Ann. 6 Ind. 1427, et 1428 fol. 114.

CI.

Viceregia Collatio Rectoriae Regiae Capellae, et Hospitalis Castri ad mare Messanae.

Alphonsus etc.

Vicereges etc. Religioso Fr. Antonio de Mauro Ordinis Heremitarum Regio Capellano etc. Oratori devoto salutem. Cum propter mortem Fr. Didaci Ordinis Minorum ultimi apellani regiae Capellae, et Hospitalis nominati la Cappella di Castellu ad mare, sive l' Annunciata et Hospitali di Castellu ad mare siti, et fundati in Nobili Civitate Messanae sub jure regii Patronatus, ut asseritur, vacet ad praesens. Volentes nos itaque circa gubernationem, et regimen Capellae, et Hospitalis praedicti, et bonorum omnium ipsorum Capellae, et Hospitalis praedicti conservationem de Capellano, et Rectore, ac Gubernatore idoneo prout tenemur debite providere; Vos eumdem Fr. Antonium, de cujus fide, legalitate, honestate, probitate, et sagacitate, ac veterorum servitiorum consideratione per vos erga exaltationem sacri nominis

praefati Ser. Dom. nostri Regis, *plenam gerimus fiduciam ab experto*, *in Capellonum*, *Gubernatorem*, *Rectorem*, *et Administratorem dictae Regiae Capellae nominatae Castri ad mare*, *veluti regii juris patronatus*, *et Hospitalis praefati*, *tamquam de membris dictae Regiae Capellae*, *sicuti*, *et prout per praefatum quondam Didocum praedecessorem vestrum possessum*, *et gubernatum extitit*, tenore praesentis de certa scientia, regiaque auctoritate, qua fungimur, et fungi possumus . . . eligimus, et facimus, ac ordinamus, et pariter deputamus . . . *Quo circo vos hortamur*, *quatenus vigore praesentium* . . *ad praefatam regiam Capellam*, *et Hospitale praefatum accedatis*, *et possessionem ipsius recipiatis*, *ac habeatis* . . . *Quapropter Ven. Mag. regium Capellanum*, *hortamur*, *Nobilique Straticoto*, *ac Judicibus*, *et Juratis*, *caeterisque Officialibus regiis*, *ac Personis aliis dictae Nobilis Civitatis Messanae* . . . *mandamus*, *quatenus vos praefatum Antonium in Capellonum*, *Rectorem*, *et Administratorem*, *ac Gubernatorem Capellae regiae*, *et Hospitalis praefati per nos*, *ut praefertur electum*, *et ordinatum recipiant*, *teneant*, *honorent*, *atque tractent*, *vobisque de juribus* . . . *responderi*, *et exsolvi faciant*, *et respondeant etc. Datum Panormi sub signo unius dictorum Viceregum propter absentiam alterius die* 14 *Novembris* 8 *Ind.* 1429.

Nicolaus Speciale.

Philippus Abbate mandato Dom. Viceregum, *fuit viso per Dom. Archiepiscopum Panorm.*

Ex reg. R. Cancell. h. S. R. ann. 8 Ind. 1429, et 1430 fol. 27 retro.

CII.

Rex Alphonsus a Cantoria sacri Palatii, et praerogativa regiae dignitatis perpetuo separat quoad parietes tantum Ecclesiam, et Capellam D. M. ab Admirato.

Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, *Siciliae etc. Cum nos in Charta data Panormi die* 7 *Decembris anni* 1433 *rationalibus moti respectibus*, *Ecclesiam*, *et Capellam nostram S. Mariae de Admirato separantes a Cantoria Capellae S. Petri nostri sacri Palatii*, *et a proeminentia regiae dignitatis*, *concesserimus*, *et univerimus cum suis Capellis contiguis*, *totoque ejus tenimento*, *quoad parietes tantum*, *Monasterio S. Mariae de Marturana ad Regiae beneplacitum Majestatis*, *cum onere annui census rotuli unius cerae solvendi Cantori dictae Capellae Regii Palatii*, *et ejus Successoribus in eadem Cantoria quolibet anno in die Purificationis*; *ad humilem tamen supplicationem Abbatissae*, *et Monialium*, *et aliorum Domesticorum nostrorum*, *et ad vitam laudabilem*, *et puram devotionem earumdem Abbatissae*, *et Monialium habentes rationabilem respectum*, *tenore praesentis de innata benignitate regia praefatam Ecclesiam*, *et Capellam nostram S. Mariae de Admirato cum suis Capellis contiguis*, *totoque ejus tenimento quoad parietes tantum*, *ut praemittitur*, *revocato praedicto beneplacito Regiae Majestatis*, *dicto Monasterio in perpetuum concedimus*, *donamus*, *et unimus*, *cum onere tamen praedicti annui census rotuli unius cerae praedicto Cantori solvendi quolibet anno etc. Datum Panormi die ultima Septembris Ind.* 13 *anni* 1434.

Ex tabulis Monialium de Martorana.

Digitized by Google

CIII.

Beneficium Ecclesiae S. Jacobi de Mazzara post obitum Mich. de Cancellario ex concessione Regis Alphonsi transit in jura Collegii Clericorum, quod Henr. de Simone in dicta Ecclesia instituerat.

Alphonsus etc. Attendentes dilectum nostrum Henricum de Simone in Sacra Theologia Magistrum, Ecclesiae S. Jacobi de Mazzara ad nostrum jus Patronatus spectanti praeesse, et in eadem Ecclsia, cujus ad praesens Beneficialis existit Dilectus noster Michael Cancellarius Canonicus Panormitanus, observantiam Principis Apostolorum inchoasse, et radicasse . . . et cupientes nimium eamdem Capellam nostram in tam divino munere, quod est ipsa Salvatoris observantia perpetuare: tenore praesentis decernimus, ac etiam ex nunc providimus, quod idem Mag. Henricus tamquam benemeritus dicto Michaeli, quamprimum decesserit, et successores ejus postea in dicta Capella, dummodo abservantiam ipsam, prout decet, teneant, et continuent, omnino succedant, sintque Beneficiales singillatim Ecclesiae praedictae. Promittentes suo casu de his fieri facere, et mandare literas opportunas. Datum in Civitate nostra Cayetae die 20 mensis Octobris 15 Ind. 1437.

Rex Alphonsus.

Ex literis exequutorialibus in libro Reg. Cançell. h. R. S. ann. 1446, et 1447 fol. 45.

CIV.

Jacobus Porci enunciatur Capellanus major in Regno Siciliae.

Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, Siciliae etc. Nobili, et dilecto Consiliario nostro Rogerio de Paruta Militi in dicto ultra pharum Siciliae Regno Viceregi, dilectis quoque Priori Capitulo, Clero, Capitaneo, Populo, et Vassallis Ecclesiae Civitatis, ac Dioecesis Pactensis, caeterisque universis, et singulis Officialibus nostris, ad quos spectet, eorumque Locatenentibus praesentibus, et futuris gratiam nostram, et bonam voluntatem. Quoniam Summus Pontifex Dominus Eugenius Papa IV. priusquam per Sacrum Basiliense Concilium ab omni Papatus administratione suspensus esset, Venerabilem Virum Jacobum Porci tunc Canonicum Messanensem, Consiliarium, et in eodem Regno Siciliae ultra pharum Majorem Capellanum nostrum dilectum Ecclesiae Pactensis Electum Pastoris solatio bonae memoriae Joannis ejus ultimi Praesulis destitutae in Episcopum, et Pastorem ejusdem Pactensis Ecclesiae dignatus est praeficere, curam regimen, et administrationem ipsius Ecclesiae in spiritualibus, et temporalibus sibi committendo, prout in Bullis Apostolicis quinto decimo Kalendas Januarii Anni Dominicae Incarnationis 1437 Bononiae confectis, ad quas nos referimus, et quas hic pro insertis et specifice declaratis haberi volumus, et teneri, latius continetur etc. Datum in nostra fidelissima Civitate Capuae die quarto mensis Junii, primae Ind. anno a Nativitate Domini 1438 = Rex Alphonsus =

Ex literis exequutorialibus, in registro Reg. Cancell. h. S. R. ann. 1487, et 1438 fol. 47 retro.

Digitized by Google

CV.

Petente Pan. Senatu Rex Alphonsus concedit Monastriis de Marturano redditus beneficii S. M. de Admirato ad Templi reparationem.

Item peroki comu Vostra Maestati sapi la Ecclesia di Sancta Maria di la Miragla di la dicta Chitati esti inter caetera unu preciusu jocali in toto Orbe, et propter paupertatem Monasterii di la Martorana, a lu quali la dicta Ecclesia esti annexa, non la potendu reparari veni a ruina, et totali destructioni, et quista per causa ki li renditi di la dicta Ecclesia su di lu honestu Misseri Alamagnu Chantru di la vostra Capella di Sanctu Petru lu Palaciu, per tantu ne forte temporibus ejusdem Majestatis la dicta Ecclesia si vegna a dextrudiri, et disfari, immo ob Dei, et ejus Matris reverentiam, et bonum nomen di la dicta Maestati, supplica la dicta Universitati, ki sia sua merci a lu dictu Misseri Alamagnu providiri di altru equivalenti beneficiu, oi majuri in excambiu di la dicta Ecclesia, et li renditi di quilla farili conferiri per lu Sanctu Patri insembla cum la dicta Ecclesia a lu prefatu Monasteriu di la Martorana, aczoki la Abbatissa, et Procuraturi di lu dictu Monasteriu di li dicti introiti poczanu reparari, et conservari la dicta Ecclesia, et non permictiri ki funditus si vegna a disfari. = Placet Regiae Majestati. = (1)

Ex privilegiis Panorm. Civitatis anno 1706 a Michaele di Vio editis pag. 322.

CVI.

Jubetur a Rege Alphonso Mess. Archiepiscopus, se abstinere a violanda Capellani majoris in Beneficiales S. Luciae, ac S. Philippi de Plano Milatii legitima jurisdictione.

Alphonsus, Dei gratia, Rex Aragonum, Siciliae extra et ultra Farum, Valentiae etc. Reverendo in Christo Patri Archiepiscopo Messanensi Consiliario Oratori nobis dilecto ejusque Vicario, et aliis Ecclesiasticis Personis, ad quos praesentes contigerit pervenire, gratiam nostram, et bonam voluntatem: Extitit noviter Majestati nostrae expositum, pro parte Venerabilis, et dilecti nostri Magistri Capellani in ipso Regno Domini Pucii de Politio, Canonici Messanensis, et Beneficialium Ecclesiarum S. Luciae, et S. Philippi de Plano Melatii, licet Beneficia dictarum Ecclesiarum fuerint, et sint nostri juris Patronatus, et nunquam consueverunt exsolvere quidquam pro collectis, et demandis in ipso Regno, super Ecclesiis, Ecclesiasticisque Personis impositis, neque ad illud exsolvendum minime adstricti fuerint, et molestati, nec minus semper fuerint, et sint exempti a Foro, et Jurisdictione Vestri dicti Archiepiscopi et submissi dicto Magistro Capellano; *Vos autem nitimini eos compellere ad solvendum dictas Collectas, et submittitis dictae Jurisdictioni vestrae, et quod pejus est denegatis Ecclesiae praedictae S. Luciae dare sacrum Chrisma, et alios sacros Ordines, prout Praedecessores hactenus consueverunt, de quo si sic est, non parum admiramur: Quapropter fuit pro parte dicti Magistri Capellani humiliter supplicatum, ut dignaremur super praedictis debite*

(1) Placitum hoc reginm effectu caruit: nam beneficium S. M. de Amirato cum Cantoria sacri Palatii connexum permansit, ut e subsequentibus ipsius Cantoriae provisionibus appare.

Digitized by Google

providere, attento quod nostra interest Ecclesias, nostri praesertim Juris Patrunatus, ab illicitis petitionibus praeservare. Nos dictis supplicationibus inclinati, Vos attente requirimus, et hortamur, sub poena Ducatorum mille, quatenus dictos Capellanos, seu Beneficiales dictarum Ecclesiarum, praeter solitum, et consuetum morem ad exactionem dictarum Collectarum minime molestetis, neque Jurisdictioni vestrae illos submittatis, imo eos Jurisdictioni dicti Magistri Capellani remittatis, *si et quatenus casus acciderit, et alias sacrum Chrisma, aliosque sacros Ordines suis temporibus tribuatis, prout, et quemadmodum Praedecessores vestri consueverunt, nullam in praemissis praedictis Beneficialibus molestiam, injuriam, et novitatem inferendo, seu inferri permittendo, quantum gratiam nostram caram habetis, et poenam praedictam cupitis non subire. Datum Puteoli die* 19 *Martii* 15 *Ind.* 1452.

Rex Alphonsus.

Ex libris Praelatiarum Regni, existente in Regia Cancellaria H. 8. R. fol. 459 retro.

CVII.

Rex Alphonsus regium Capellanum nominat Jacobum Bonanno, eum constituendo sub jurisdictione Capellani majoris, tametsi Regiam Curiam non sequeretur.

Alphonsus etc.

Illos in nostros, nostraeque Capellae Capellanos, Familiares, Domesticos, et Commensales nostros libenter admittimus, quos clara virtus illustrat, et opera laudanda commendant, et extollunt, haec itaque in personam Venerabilis Viri Domini Jacobi de Bonanno de Terra Salem laudabiliter esse cognoscentes, prout idoneo, dignoque testimonio nobis plene constitit, Vos Dominum Jacobum de Bonanno dum vitam duxeritis in humanis in nostrum, nostraeque Capellae Capellanum, Domesticum, Familiarem, et Commensalem nostrum creamus, facimus, et fiducialiter ordinamus, ac *in numero, coetu, et consortio aliorum Capellanorum, Familiarium, Domesticorum, et Commensalium nostrorum actu servientium personaliter adjungimus pariter, et aggregamus, potiendo de caetero omnibus illis immunitatibus, praerogativis, Privilegiis, exemptionibus, libertatibus, et gratiis, quibus caeteri Capellani de dicta nostra Capella Familiares, Domestici, et Commensales nostri personaliter servientes potiuntur, et gaudent, ac potiri, et gaudere soliti sunt, et debent. Itaque praesentis nostri privilegii vigore non possitis, neque valeatis pro quacumque causa Civili, vel Criminali, aut aliter quovis modo coram quovis Tribunali, seu Judici Ecclesiastico, vel Seculari vocari, molestari, compelli, conveniri, aut aliter quomodolibet inquietari* nisi coram Capellano nostro Majore quem Vobis Judicem competentem constituimus, et ordinamus, quamvis nostram Curiam non sequamini. *Volentes, ut proinde habeamini ac si actu, et personaliter Majestatem nostram sequeremini, et ad majorem vestram certitudinem Vos in libro Scribae portionis Domus nostrae die, mense, et anno subscriptis scribi jussimus, et adnotari, prout per certificationem propterea vobis factam clare liquet etc. Datum in Castello novo Civitatis nostrae Neapolis, die quarto mensis Novembris, quintae Indictionis Anno a Nativitate Domini Millesimo quadrigentesimo quinquagesimo sexto, Regnorum nostro-*

rum anno quadragesimo primo, hujus vero citerioris Siciliae vigesimo secundo. Rex Alphonsus = Dominus Rex mandavit mihi Francisco Martorelli = Visa per Capellanum majorem.

Ex literis exequutoriis datis Panormi sub die 23 Novembris anno 1456 et exscriptis in lib. R. Cancell. ann. 5 Ind. 1456, et fol. 105 retro.

CVIII.

Obitu Iacobi Guallart Rex Joannes confert Gabrieli Anguerra Cantoriam sacri Palatii, et beneficium S. Luciae, insueto vocabulo Abbatia nuncupatum.

Nos Joannes Dei gratia Rex Aragonum, Siciliae, Navarrae, Valentiae, Majoricarum, Sardiniae, Corsicae etc. Comes Barchinonae, Dux Athenarum, et Neopatriae, ac et Ceritaniae.

De sufficientia, bona indole, et probitate, ac commendandis virtutum donis, quibus Vos dilectus noster Gabriel Anguerra Presbyter Magister in Sacra Pagina sicuti plurimorum fide dignorum relatione percepimus insignitus extistis plenam fiduciam habentes nec non ad supplicationem nonnullorum familiarium, et Domesticorum nostrorum pro vobis apud Nos intercedentium. Tenore praesentis gratis, et de nostra certa scientia duo Beneficia Regia, quorum alterum intitulatur Cantoria S. Petri Palatii Fel. Urbis nostrae Panormi, aliud Abbatia S. Luciae de Castro Dioecesis Messanensis, vacantia in praesentiarum, per mortem Jacobi *Gallart Jurisperiti illa ultimo obtinentis, vel alias qualitercumque praecessu, vel decessu cujuscumque alterius personae;* Quorum quidem Beneficiorum jus Patronatus, et Collatio ad Nos pleno jure pertinet, et spectat . . . . . Vobis dicto Gabrieli Anguerrae *tamquam benemerito, et condigno* ducimus conferenda, et conferimus. *Itaque Vos dictus Gabriel Anguerra, et nemo alius sitis Beneficiatus dictorum duorum Beneficiorum, et utriusque eorum, illaque habeatis, teneatis, et possideatis pacifice, et quiete cum omnibus, et singulis honoribus quoque, et oneribus, praeminentiis, et praerogativis, fructibus, praebendis, obventionibus, et emolumentis ad dicta Beneficia, et unicuique eorum quomodolibet pertinentibus . . . . .* Vosque etiam possessionem ipsam propria auctoritate apprehendere possitis, et valeatis, eamque etiam pro suprabundanti cautela vobis tradimus, et in illam vos inducimus per concessionem, et traditionem hujus nostrae concessionis, seu Collationis. *Et illi etiam, ad quos spectat vobis, et nulli alteri respondeant, et responderi faciant cum omnimoda integritate de praebendis, salariis, redditibus, distributionibus, fructibus, aliisque juribus, et emolumentis dictorum Beneficiorum, et utriusque eorum etc. Datum Caesaraugustae die 12 Augusti Anno a Nativitate Domini 1458 Regni nostri Navarrae praedicti ann. 33 aliorum vero Regnorum nostrorum anno primo. = Dominus Rex mandavit mihi Antonio Nuqueras =*

Ex Archivio Regiae Capellae.

CIX.

Angelus de Staiti ob mortem Puchii de Politiis Mag. Capellanus a Prorege instituitur ad beneplacitum Regis.

Joannes etc.

Vicerex etc. Venerabili Domino Angelo de Staiti Canonico, ac Vicario Nobilis Civitatis Messanae devoto, et fideli Reverendo dilecta salutem. Illos in Capellanos praecipue Regales, seu Regios recipiendi, et admittendi sunt, quos vita integra, mores, et virtus collaudant, periciaque, prabitas, scientia approbant, et commendant. Haec igitur in personam vestri praefati Domini Angeli vigere fide digna testimonio certiorati, Vobis eidem Domino Angelo Capellaniam Regiam hujus praediti Regni Siciliae quae in praesentiarum ob mortem Venerabilis Domini Puchii de Palitiis illius ultimi Regentis cum omnibus, et singulis juribus, lucris, obventionibus, emolumentis, seadentiis, gagiis, praeeminentiis, praerogativis, cognitianibus, jurisdictionibus, Beneficiis introitibus, redditibus, et proventibus, fructibus, honoribus, et aneribus ad dictam Capellaniam quamodolibet spectantibus, et pertinentibus, ac spectare, et pertinere legitime debentibus, et cum omnibus aliis, et singulis, quibus dictus quandam Dominus Puchius ipsam Capellaniam tempore vitae suae tenuit, et rexit . . . . . tenore praesentium de certa nostra scientia ad Regium beneplacitum damus, conferimus, et concedimus. *Ita quod vos dictus Dominus Angelus de caetero dum de Regio processerit beneplacito sitis, et esse debeatis Magister Capellanus* Regius dicti Regni, *omniaque, et singula ad dictam Capellaniam spectantia, et pertinentia, ac spectare, et pertinere debentia quomodocumque agatis, faciatis, exerceatis, quae caeteri praedicti Regni Regii Magistri Capellani, et praecipue dictus quondam Dominus Puchius egerunt, exercuerunt . . . . etc. Mandantes etc. Datum in Urbe Felici Panormi die quarta mensis Augusti Nonae Indictionis Millesimo Quadringentesimo sexagesimo primo.*

Joan de Moncajo.

Ex Reg. Protan. ann. 9 Ind. 1460, et 1461 fol. 19 retro.

CX.

Gabriel Enguerra Cantoriam Regiae Capellae, ac beneficium S. Luciae resignat in favorem Friderici de Vitale, cui cum regressu a Pio II. conceduntur.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Gabrieli Anguerra Presbytero Derulensis Dioecesis Magistro in Theologia salutem, et Apostolicam Benedictionem. Literarum scientia, vitae, et morum honestas, aliaque probitatis, et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonia Nos inducunt ut ea tibi favorabiliter concedamus, quae tuis commaditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque hodie tu Cantoriam Capellae Palatii Regii Panormitani, quae inibi principalis dignitas reputatur, et Ecclesiam Sanctae Luciae de S. Lucia Messanensis Dioecesis tunc obtinebas per certum substitutum a quodam Procuratore tuo ad hoc a te specialiter constituto, in manibus nostris sponte, et libere resignaveris, Nosque resignationem hujusmodi admittentes, de Cantoria, et Ecclesia praedictis dilecta fi-

lio Friderico de Vitalo Archidiacono Ecclesiae Panormitanae per alias nostras nostras literas providerimus gratiose, prout in illis plenius continetur. *Nos tibi ne propter resignationem hujusmodi minimum dispendium patiaris, de alicujus subventionis auxilio providere ac praemissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes etc.* pensionem annuam septuaginta florenorum monetae Regni Siciliae ultra Farum qui sexaginta florenorum auri de Camera, vel circa valent super fructibus, redditibus, et proventibus Cantoriae, et Ecclesiae praedictarum tibi quoad vixeris, vel procuratori tuo legitimo per dictum Fridericum cujus ad id expressus accedit consensus, suosque in Cantoria, et Ecclesia S. Luciae praedictis successores pro tempore existentes in Festo Nativitatis S. Joannis Baptistae, et Civitate Barchinonensi annis singulis integre persolvendam auctoritate Apostolica tenore praesentium reservavimus, constituimus, et assignamus etc. *Datum Viterbii Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Quadringentesimo sexagesimo secundo octavo Idus Maii, Pontificatus nostri Anno quarto.*

Joannes Baptista C. F. Piccolomini.

Ex originali asservato in arca magna existente in Thesauro palat. Capellae.

CXI.

Rex Joannes viceregiam collationem regii Canonicatus Terrae Calaxibettae in personam Presb. Andreae de Terminis cum reservatione pensionis approbat, et ratam habet.

Nos Joannes Dei gratia Rex Aragonum, Siciliae, Navarrae, Valentiae etc. Ven. Presbyt. Andreae de Terminis fid. Orat. nostro gratiam nostram, et bonam voluntatem. Ostensa, et reverenter praesentata conspectui Celsitudinis nostrae pro vestri parte collatione, et concessione in forma autenthica subscripti beneficii vobis per Spect. et Magnif. Viceregem nostrum ipsius Regni dudum facta tenoris, et continentiae sequentis = Vicerex in dicto Regno Siciliae honesto Presb. Andreae de Terminis regio fideli salutem. Quia ob renunciationem in manibus nostris factam etc. Vacat quoddam beneficium Canonicatus Regalis Ecclesiae S. Petri Terrae Calaxibettae Dioecesis Catanensis, quod quidem beneficium jus Patronatus Domini nostri Regis est, vobis propterea eidem Presb. Andreae, conferimus, et commendamus *cum omnibus, et singulis suis juribus, lucris, praeeminentiis, redditibus, honoribus, et oneribus eidem beneficio debitis, et pertinentibus, ac cum reservatione annualis pensionis tertiae partis reddituum dicti beneficii juxta tenorem dictae procurationis; Ita quod vos dictus Presb. Andreas ex hinc in anthea sitis, et esse debeatis Canonicus seu Beneficialis dicti Canonicatus percipiendo, et percipi faciendo jura, redditus, et emolumenta quae solita erant recipi, et haberi per praefatum Presb. Gabrielem praedecessorem vestrum, et in absentia positis in dicto beneficio debite servire. Mandantes cunctis Officialibus in dicto Regno constitutis tam Ecclesiasticis, quam Saecularibus etc. In cujus rei testimonium praesentes fieri jussimus magno regio sigillo in dorso munitas, datas Panormi 27 Maii 8 Indictionis 1460. Joannes de Montaijo = et humiliter pro vestri parte supplicato Majestati nostrae, quatenus beneficium supradictum vobis per eumdem Spect. Viceregem collatum, et concessum, ut praemittitur, laudare, et confirmare dignaremur; quibus vestris supplicationibus per nos clementer admissis, ac volentes vos vobiscum gerere gratiose, tenore praesentium de certa nostra scientia, et expresse beneficium Eccl. S. Petri psaeliba-*

Digitized by Google

tae Terrae Calax. per *praedictum Viceregem tamquam jus nostri patronatus, vobis ut antefertur* collatum, et concessum, ac *omnia*, *et singula in* eo con*tenta*, *declarata* laudamus, ratificamus, approbamus, ac pleno favore nostro regio confirmamus *juxta ipsius seriem*, *et continentiam pleniorem etc. In cujus rei testimonium praesentes fieri jussimus nostro communi sigillo negotiorum Siciliae impendenti munitas. Datas Calatarubii* 12 *die praesentis mensis Octobris X. Indictionis sub anno Nat. Dom.* 1461.

Ex literis exequutoriis in lib. Proton. R, S. ann. X. Ind. 1461 et 1462 fol. 168 et 69.

CXII.

Mandat Prorex Straticoto Mess. ut ab Officialibus S. Luciae Capellanum majorem in antiquissima, et nunquam interrupta possessione suae jurisdictionis, conservandum curet.

Joannes etc.

Vicerex etc. Magistro Straticoto, *et armorum Capitaneo nobili Civitatis Messanae*, *suique districtus Consiliario*, *et fid. reg. dil. salutem: Nuper ex parte Ven. Oratoris*, *et Consiliarii Regii Angeli di Stajti Regii Magistri Capellani hujus* Regni Siciliae *fuit nobis graviter expositum*, quod *cum ipse nomine Regiae Capellaniae habeat sibi in* spiritualibus subjectam Terram S. Luciae de Plano Milatii, de eodem districtu, una cum Presbyteris, et Clericis Regiis Capellanis sibi subjectis, et obtineat ibi jurisdictionem Episcopalem, prout praedecessores sui Regii Magistri Capellani a tempore, cujus memoria hominum in contrarium non existit *semper pacifice possederunt*, *sunt enim nonnulli Laici*, *Officiales*, *et bajulus*, *et Jurati*, *qui compellunt Presbyteros praedictos*, *et Clericos ad solvendum gabellas pro bonis propriis*, *et patrimonialibus transeuntibus ad Clericos*, *et cum statim sint effecta privilegiata respectu personarum privilegiatarum*, *ad quas transeunt*, *et gaudeant eodem privilegio cum Ecclesiasticis*, *et Jura*, *et Canones dictant*, *et maxime quod per privilegia regia ab omnibus oneribus sint exempti*, *et quod deterius est*, *ipsi cum incurrerint in censuras*, *et poenas a Canone latas ipso facto promulgatas contra exactores*, *et exigentes gabellas a Presbyteris*, *et Clericis Regiis Capellanis in* Terra jurisdictionali Regiae Capellae, *ubi debent prae aliis plena libertate gaudere ad honorem*, *et praeheminentiam Sacrae Regiae Majestatis non formidant* provisiones dicti Magistri Capellani, nec *poenas ab eo super hoc impositas occasione quod pro toto Territorio solvunt unceas viginti quinque cuidam Beneficiali Ecclesiae Sanctae Luciae praetextu certae assertae* concordiae, *quae* nec *comprehendit Clericos*, nec de *Clericis loquitur laicus inferunt ipsis Clericis praejudicium*, *et gravamen*, *qua propter dictus M. Regius Capellanus nobis supplicari fecit*, *ut de opportuno subventionis remedio sibi provideremus. Qua quidem supplicatione admissa vobis committimus*, *et mandamus quatenus si ita est faciat dictos Presbyteros*, *et Clericos eorum ecclesiastica libertate gaudere*, *ac provisionem dicti Regii Magistri Capellani ab omnibus inviolabiliter observari exequendo poenas contra dictos Officiales*, *et eos de excessibus*, *monopoliis*, *et artibus temerariis puniendo*, *ac assistendo eidem Regio Magistro Capellano*, *ut suum officium libere exequatur restituendo vos ad pristinum*, *quidquid per eosdem laicos*, *Officiales*, *vel quoscumque contra ipsos Presbyteros*, *et Clericos super praemissis in contrarium fuerit attentatum*, *et praemissa exequamini cum effectu pro quanto gratia*

Regia vobis cara est. Datum in Urbe felici Panormi vigesimo primo Januarii duodecimae Indict. 1479.

Lo Conte de Cardona.

Dominus Viceresm andavit mihi Antonino Sollima Locumtenenti, et Magistro Notario in officio Magistri Notarii, et vidit eam Nicolaus Sabia.

Ex Archivio Palat. Capellae.

CXIII.

Fridericus Sabia ob mortem Angeli Stayti Capellanus major a Prorege instituitur.

Ferdinandus etc.

Viceres etc. Nobili, ac Regio Dilecto Clerico Friderico Sabia de Urbe Fel. Panormi salutem. Cum ob mortem Reverendi quondam Angeli Stayti Regii Magistri Capellani Regni Siciliae vacet in manibus Regiae Curiae Officium Magistri Capellanatus praedicti: quare expediat de alio fide digno, atque idoneo et benemerito Serenissimi Domini nostri Regis in dicto Officio providere. Idcirco attentis servitiis per Magnificum Regium Consiliarium dilectum Nicolaum Sabia legum Doctorem Regii Fisci Patronum Genitorem vestrum Regiae Curiae diversimode praestitis, quae majori satis remuneratione sunt digna, nec non virtute, morumque probitate vestris, de quibus apud Nos plurimum commendamini officium praedictum Regii Magistri Capellanatus Vobis praedicto Clerico Friderico duximus conferendum, et committendum prout tenore praesentium de certa nostra scientia ad vitae vestrae decursum conferimus, committimus, et fiducialiter commendamus cum omnibus, et singulis juribus, redditibus, emolumentis, praeheminentiis, praerogativis, honoribus, et oneribus debitis, solitis, et consuetis, ad dictum Officium spectantibus et quomodolibet incumbentibus; *verum quia vos ad praesens impedimento minoris aetatis qua estis constitutus, dictum officium personaliter exercere, nec administrare potestis; volumus tamen per praesentem, et ita providimus, quod donec ad aetatem perfectam perventus fueritis per dictum Magnificum Patrem vestrum debeat eligi, et substitui aliqua Ecclesiastica persona fide digna, et sufficiens, quae interea dum vos ad dictam aetatem perveneritis Officio Magistri Capellanatus praedicto serviat,* illudque exerceat, et administret in spiritualibus, et temporalibus, universis praeterea, *et singulis Officialibus, et personis dicti Regni dicimus, et mandamus expresse etc. Datum in Urbe Felici Panormi die quinto mensis Madii Decimae quintae Indictionis Anno Millesimo Quatringentesimo octuagesimo secundo.*

Gaspar de Spes.

Ex lib. Merced. ann. 15 Ind. 1481, et 1482 fol. 119 in Offi. Ill. Conservatoris Tribunalis Reg. Patrim.

Digitized by Google

CXIV.

Ob renunciationem Friderici Sabia, Capellani majoris officium confertur Antonio de Stayti.

Ferdinandus etc.

Vicerex etc. Venerabili Viro Antonio de Stayti Decretorum Doctori Canonico, et Archidiacono Majoris Messanensis Ecclesiae Oratori Regio dilecto salutem. Cum sit quod propter resignationem in manibus nostris factam de beneficio, vel dignitate Magistri Regii Capellanatus hujus Regni etc. cujus redditus non excedunt summum, unciarum quatuor per Venerabilem Clericum Fridericum de Sabia Filium Magnifici Viri Nicolai de Sabia Regii Fisci Patroni, qui dictum Officium, et Beneficium tenebat, et possidebat, sit in manibus nostris devolutum, *seu aliter quomodocumque vacet maxime ob mortem quondam Domini Angeli de Stayti. Propterea attentis virtute, moribus*, et *scientia vestri Venerabilis Domini Antonii de Stayti praedicti, ac etiam consideratis servitiis per Antecessores vestros Sacrae Regiae Domui Aragonum praestitis, et quae in futurum praestari poterint, dante Domino meliora, vobis eidem Domino Antonio* Beneficium, vel Officium praedictum conferendum, et committendum duximus, prout tenore praesencium *de certa nostri sciencia, motu proprio vobis dictum Officium, seu Beneficium, vel dignitatem* concedimus, et donamus, ac illud vobis conferimus, et fiducialiter commendamus *ex cujuscumque persona quomodolibet vacaverit, vel ad praesens vacet cum omnibus, et singulis juribus, redditibus, emolumentis, praeeminenciis, graciis, jurisdictionibus, praerogativis, honoribus, et oneribus debitis, solitis, et consuetis eidem Officio, seu Beneficio spectantibus, et quomodolibet pertinentibus, ita, et prout praefatus Dominus Angelus de Stayti, et alii Magistri Regii Capellani hujus Regni Siciliae melius, et plenius tenuerunt, et possederunt. Universis ea propter, et singulis Officialibus, et personis dicti Regni majoribus, et minoribus, maxime Terrae S. Luciae Planae Milatii mandantes etc. Datum Panormi duedecimo Maii primae Indictionis* 1483.

Gaspar de Spes.

Ex Registro Regiae Cancellariae h. S. R. Anni 1482, et 1483 fol. 264.

CXV.

Regressis obitu Frid. Vitale ad Gabrielem Enguerra Cantoria sacri Palatii, ac beneficio S. Luciae, eidem Gabrieli conceditur a Rege facultas, recurrendi ad S. Sedem, ut illa possit assignare Jo. Martino Vitali cum reservatione pensionis.

Nos Ferdinandus Dei gratia Rex Castellae Aragonum, Legionis, Siciliae etc Tenens, et possidens ut informamur vigore regiarum, et nostrarum provisionum Venerabilis Dilectus noster Gabriel Anguerra Magister in Sacra Pagina, Canonicusque Ecclesiae S. Mariae de Pilari Curiae nostrae Caesaraugustae duo Beneficia de jure Patronatus nostri in Regno Siciliae, alterum videlicet Cantoriae in Ecclesia Sancti Petri Dioecesis Panormitanae, et alterum Sanctae Luciae in Ecclesia Terrae S. Luciae de Castro *in Regno praedicto et cum prioribus diebus certis bonis* respectibus concessimus vobis facultatem, auctoritate tamen prius Sanctissimi Domini nostri Papae interveniente arrendandi et ad certas pensiones dandi *ipsa duo beneficia* cuidam Friderico Vita-

li, quoque olim Canonico, *et Archidiacono Panormitano absque praejudicio, sive derogatione aliqua juris et concessionum Regiarum vobis concessarum*, quod quotiescumque ipsum Fridericum mori contingisset, Beneficia ipsa ad vos remanerent, cumque arrendatio ipsa in praesentiarum extincta sit obitu *praedicti Friderici, et Vos dictus Gabriel Anguerra ob nonnullas occupationes servitium nostrum concernentes, aliosque justos respectus, quos hic exprimere non est opus, circa gubernationem, ac Regimen dictorum Beneficiorum vacare in praesentiarum praesentialiter non possitis, imo expediens vobis sit, ac necessarium ipsa beneficia alicui idoneo, et sufficienti Presbytero ad pensionem dare. Idcirco supplicationibus vestris, super his Majestati Nostrae factis attendere volentes praesentium tenore deque nostra certa scientia, et consulto* licentiam, et plenarium consensum nostrum damus, et impartimur vobis eidem Gabrieli Anguerra, auctoritate tamen, et interventione praefatae Sanctitatis praeeunte arrendandi, sive ad pensionem dandi eis modo, et forma, quibus melius poteritis concordari, et vobis expedierit, et seu per eamdem Sanctitatem suis cum Apostolicis Bullis concessum fuerit, et provisum dilecto nostro Joanni Martino Vitali Doctori in utroque jure *Archidiacono, et Canonico Panormitano, ipsa duo Beneficia scilicet Cantoriae in Ecclesia Sancti Petri, et S. Luciae, vigore quarum quidem Apostolicarum Bullarum, et praesentium nostrarum literarum faciendam de praedictis supermentionatis plenam gratiam volumus, et* dictam dictus Joannes Martinus Vitali possessionem vacuam, et expeditam praedictorum *duorum Beneficiorum obtinere valeat, absque tamen praejudicio seu derogatione aliqua juris, et concessionum vestri dicti Magistri Gabrielis, imo illis in suis robore, firmitate, et effectu remanentibus. Ita quod si, et quotiescumque ipse Joannes Martinus vobis praemori contigerit, seu ipsa Beneficia renunciaverit, ac de eis quovis modo disposuerit, illa ad vos vigore supradictarum Apostolicarum, et Regiarum concessionum reddant, et pertineant, et spectent plenarie. Requirentes, hortantes, et monentes etc. Dat. in Civitate Cordubae die* 25 *Augusti secundae Indict. Anno a Nativitate Domini* 1484. = *Yo el Rey = Dominus Rex mandavit mihi Ludovico Consales*. =

Ex literis exequutoriis datis Catanae die 12 Febr. 1484, et relatis in lib. R. Cancell. h. S. R. ann. 1484, et 1485 fol. 346.

CXVI.

Abrogata Viceregia provisione in personam Frid. Sabia, Capellani M. officium Dalmatio Tolosano Rex concedit, Archiepiscopo Mess. demandans, ut eum in possessionem inducat.

Reverendo Archiepisbo Patre en Christo e amado Consejero nuestro, en dias passados vacando en essa vuostra Dioecesi la Capellania de S. Lucia e Beneficio de Castelamar otro de nuestro jus Patronado con nuestro oportuno privilegio proveymos de a quellos all' Amado Capellan nuestro Mosseu Dalmau de Tolosa sù *virtut del qual privilegio ya sea con a quel havemos revocado qualesquier otras provisiones del Visorey facta a qui segund somos informado no le ha Seydo dado enteramente la possession de los dichos Beneficios antes impedida per certa Viceregia provision otorgada a Cola Sabia le quedaheva dar possession de ciertos Beneficios, e porque nostra firma voluntat es dicho privilegio, e gracia por uos otorgado al dicho Mosseu Tolosa 'an executadas, e surtan su effecto, Vos rogamos, requirimos, e amonestamos si*

y

al recibir de la presente fecho nò sera Luego sin mas dilacion executado, y compliendo el dicho privilegio juxta su serie, e tenor sin sperar otra exequtoria, pongays el dicho Mosseu Tolosa en entera y pacifica possession de los dichos Beneficios nò dando lugar a quella le sea por personas algunas exquisitament impedita, o dilatada en lo qual lo haureys por bien encomendado como a ereado nuestro ca nos lo recibiremos en complacencia. Dado en Cordova a 20 del Mes de Augusto del año de Mil quatrociento ochenta y quatro = Yo el Rey = L. Gonzales Secretarius.

Ex literis exequutorialibus datis Catanae die 26 Februarii 1484, et exscriptis in Reg. R. Canc. h. S. S. ann. 1484, et 1485 fol. 384.

CXVII.

Sex beneficia de suffraganeis Reg. Capellae obtinet ex viceregia collatione Presb. Joannes Buytta.

Ferdinandus etc.

Vicerex etc. Ven. Viro Presbytero Joanni de Buytta . . . salutem. Cum olim per Magnif. Guillelmum de Pujades, et Guillelmum de Peralta Vicereges in dicto Regno fuerunt concessa Rev. Jocobo Antonio de Leofante tunc Clerico infrascripta beneficia Ecclesiastica infrascriptorum titulorum videlicet S. Fidei, S. Angeli de Castroveteri, S. Mariae, S. Stephani, S. Nicolai de Confessione, et S. Andreae de Succagiis spectantia ad Sacram Regiam Majestatem, prout in eorum provisione data Messanae vigesimo secundo Octobris X. Ind. ad quam nos referimus, hoec et alia lotius continentur: Et quia dictus Rev. Jocobus fuit promotus ad Episcopatum Poctensem, ad nos spectat de dictis beneficiis tamquam ad regiam dignitatem spectantibus providere: propterea vobis praedicto Presbytero Joonni de Buytta . . . dicta beneficia etc. dictae regiae Capellae Palatii adnexa, tamquam ad regiam dignitatem spectantia concedimus, et fiducialiter commendamus ad vitae vestrae decursum cum juribus septimae piscium scilicet Tunnorum vobis assignandorum tempore piscationis etc. Mandantes etc. Datum Panormi 8 Decembr. V. Indict. 1487. Ingaston de Spes.

Ex officio R. Cancell. H. S. R. ann. 1486, et 1487 fol. 207.

CXVIII.

Canonicatum Ecclesiae Terrae Calax. ob renunciationem Friderici seu potius Andreae de Terminis et Capellaniam Castri ad mare Panormi possessoris sui obitu vacantem, Rex confert Barthol. de Sollima.

Nos Ferdinandus etc. Vacantibus in praesentiarum Capellania Castri ad mare Fel. Urbis Panormi obitu illius ultimi possidentis, nec non et beneficio regoli in Eccl. S. P. Terrae Calaxibettae per renunciationem de eodem factam per Federicum de Terminis Clericum, qui illud ex R. C. detinebat concessione, ad nonnullorum familiarium, et domesticorum nostrorum perhumiles intercessus, nec non ad servitia grata plurimum et accepta dil. nostri Antonii Sollima patris vestri Bartholomael Sollima Clerici de nostra Capella debitum respectum, et considerationem habentes, tenore praesentium, de nostra certa scientia, deliberate, et consulto praedictam Capellaniam, et beneficium regale modo, quo supra vacans vobis dicto Barthol. Sollima ad vitae

vestrae decursum damus, conferimus, et concedimus *cum omnibus eorum utriusque ipsorum redditibus, juribus, emolumentis, gratiis, atque praerogativis dictae Capellaniae debitis pertinentibus, et spectantibus; Ita quod vos dict. Barth. Sollima, et nemo alius vita vestra durante, sitis Capellanus Capellaniae Castri ad mare, et beneficii regalis praedictarum Urbis Pan. et Terrae Calax. ipsamque Capellaniam, et beneficium habeatis, teneatis, et recipiatis, gaudeatisque, et utamini omnibus illis honoribus, gratiis, praerogativis, immunitatibus, et aliis, quibus alii, qui habuerunt, tenuerunt, et possederunt dictam Capellaniam, et beneficium gaudere, et uti soliti fuerunt, et sunt, et potuerunt etc. Dat. in Civit. nostra Mursiae die 4 M. Junii 6 Ind. anno a Nativ. Dom.* 1488 *Regnorumque nostrorum V. Siciliae anno* 21 *Castellae et Legionis* 15 *Aragonum vero et aliorum* 10. = *Yo el Rey* = *Dom. Rex mandavit mihi Ludov. Gonsales.*

Ex literis exequutorialibus datis Panormi die 28 Septemb. 7 Ind. 1488 exscriptis apud R. Cancell. h. S. R. in lib. Regis Ferdinandi ann. 7 Ind. 1488, et 1489 fol. 436, et 437.

CXIX.

Cantoria Sacri Palatii Cler. Gismundo Agliata a Prorege confertur.

Ferdinandus etc.

Vicerex etc. Ven. Viro Gismundo Agliata Clerico Filio legitimo, et naturali Magnif. Viri Rainerii Agliata Regio devoto fideli dilecto salutem. Impraesentiarum sicut accepimus per mortem quondam Ven. Joannis Martini Vitali, vacat officium, seu beneficium Cantoriae Castri sacri Reg. Palatii Fel. Urbis Panormi, de jure Patronatus Sacrae Regiae Majestatis, et pro vestri parte per nonnullos regios Consiliarios nobis humiliter supplicatum fuit, ut dignaremur praedictam Cantoriam vobis concedere, et donare. Cujus supplicationibus benignius inclinati, dictam Cantoriam, et beneficium seu officium Cantoriae dicti Sacri Regii Palatii *cum juribus, salariis, emolumentis, honoribus, et oneribus, ac aliis ad idem officium seu beneficium spectantibus, et pertinentibus, et prout melius, et utilius dictus quondam Jo- Martinus, et Antecessores sui illud tenuerunt, possederunt, et administraverunt,* Vobis dicto Gismundo, concedimus, conferimus, et donamus dum vita comes sit. *Quapropter hortamur, et requirimus etc. Datum in nostra Civitate Messanae die vigesimo quarto Februarii decimae Ind.* 1492.

Fernando de Acuna.

Dom. Vicerex mandavit mihi Jacobo Madalena.

Ex Reg. R. C. h. Siciliae Regni anni X. Ind. 1491, et 1492 fol. 442.

CXX.

Rex Ferdinandus Ecclesiae S. Luciae Decessorum Regum immunitates, et privilegia confirmat.

Ferdinandus Dei gratia Rex Castellae, Aragonum, utriusque Siciliae etc. Sincera devotio, et affectus fervidus, quem gerimus erga B. Virginem, et Martyrem S. Luciam, nos persuadent, ut gratia infrascripta vos dilectos Capellanos nostros et Clericos totius Cleri vulgo dictae regiae Capellae S. Luciae

dicti Regni nostri Siciliae prosequamur: funduntur enim assidue in dicta reg. Capella Orationes spirituales, et Missarum sollemnia celebrantur pro salute, et prosperitate nostra, et Domus regiae nostrae; *quapropter humillimis supplicationibus Majestati nostrae pro parte vestri dictorum Capellanorum, et Clericorum totius Cleri dictae Capellae, et Terrae S. Luciae propterea porrectis inclinati; nec minus volentes Praedecessorum nostrorum Regum Aragonum, et Siciliae divi recordii, vestigia in bonis operibus insequi, tenore praesentis scienter, deliberate, et consulto omnia, et quaevis privilegia, libertates, immunitates, et indulta per eosdem Ser. Reges Praedecessores nostros, et quemlibet eorum, ac per nos vobis, et dictae Capellae S. Luciae quomodolibet concessas, et concessa, quarum, et quarumcumque tenores praesentibus pro insertis, et repetitis penitus haberi volumus, perinde ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, laudamus, approbamus, et ratificamus, nostraeque laudationis, approbationis, et ratificationis hujusmodi munimine, seu praesidio roboramus, et validamus, et prout iisdem privilegiis, libertatibus, immunitatibus, et concessionibus melius, et plenius usi fuistis, et estis, seu Capella ipsa S. Luciae usa fuit, et est. Ill. propterea Joanni Principi Asturiarum et Gerundae filio primogenito, et Gubernatori nostro carissimo, et in omnibus Regnis, et Terris nostris post longaevos, et felices dies nostros legitimo haeredi, et Successori mentem nostram aperientes, sub paternae benedictionis obtentu dicimus, Spectabilibus quoque etc, Datum in Civitate Burgensi die 12 Mensis Januarii 15 Indict. anno nativitate Domini 1497.*

Ex Capibrevio Ecclesiarum Lucae Barberii.

CXXI.

Promissionem, seu expectativam regiam in favorem Jo. Mich. Majo exequutioni mandat Prorex ei conferendo S. Luciae beneficium.

Ferdinandus etc.

Vicerex etc. *Cum Invictissima Majestas Domini nostri Regis per suas opportunas literas sub data in Medina del Campo die 12 Junii, et 13 Septembris anni 1497 sub mandato Magnifici Domini Joannis Colonna Regii Secretarii, et aliis postea ad Nos destinatis concesserit, et disposuerit, ac providerit, quod de quibusvis Beneficiis, Abbatiis, et Dignitatibus de jure Patronatus Suae Regiae Majestatis usque ad certam summam in dictis literis Regiis contentam, et expressatam* fieret concessio, et Collatio, ac provisio in personam Venerabilis, et Magnifici *Domini Joannis Michaelis Maji Filii Magnifici Regii Consiliarii dilecti Domini Joannis Maji U. J. Doctoris sicut, et quemadmodum in dictis Regiis Literis continetur, et in praesentiarum ob mortem Venerabilis quondam Domini Nicolai Trullench vacet in manibus Regiae Curiae Beneficium, quod obtinebat in Terra Sanctae Luciae de Plana Melacii de Suae Regiae Majestatis jure Patronatus*, cujus praesentatio, collatio, et omnimoda dispositio ad eamdem Regiam Majestatem spectet, et ipso jure pertinet *virtute Regiarum literarum, et juxta mentem ipsius Regiae Majestatis, Beneficium ipsum eidem Joanni Michaeli cum fructibus, juribus, et emolumentis*, ac *redditibus canonice* providimus, tradimus, et fiducialiter commendamus vice, *et nomine Suae Regiae Majestatis, et in virtute, ut dictum est ipsarum Regiarum Literarum, ita quod deinceps idem Joannes electus, et nominatus, et nemo alius sit, et esse debeat Beneficialis dicti Be-*

Digitized by Google

neficii cum dictis redditibus, juribus, praeeminentiis, et praerogativis, ac emolumentis ad idem Beneficium spectantibus solitis, et consuetis prout, et quemadmodum caeteri Beneficiales, et idem quondam Dominus Nicolaus Praedecessores sui melius, utilius, et commodius usi sunt, et frui consueverunt. Idcirco vobis Ecclesiasticis dicimus, et attente hortamur: Vobis vero Laicis, et temporalibus dicimus, et expresse mandamus, quatenus etc. Datum in Urbe Felici Panormi die 14 Mensis Januarii tertiae Indictionis 1500.

Juan de la Nuca.

Vidit Benedictus Regens.

Ex Registro Regiae Cancellariae h. S. R. Anni 3 Ind. 1500 fol. 390.

CXXII.

Dalmatius de Tolosa totius Regni Mag. Capellanus Locumtenentem constituit suum in S. Lucia Leonardum de Allibertis.

Ferdinandus etc.

Vicerex etc. Universis, et singulis Officialibus Terrae S. Luciae praesentibus, et futuris, ad quos, seu quem spectat, praesentes pervenerint, seu fuerint quomodolibet praesentatae fidelibus Regiis dilectis salutem. Noviter per parti di lu Venerabili Presti Nardo de Aliberto de Terra ipsa ni è stato espostu; comu essendu informati lu Rev. Misser Dalmao Tolosà Regio Maestro Cappellano totius Regni praedicti di la virtuti, idoneitati, et sufficientia di ipso Venerabili exponenti per una sua littera, sive Epistola directa lo costituio, et ordinao in detta Terra di S. Lucia so Locumtenenti, cossi como si demustra, et vittimo conteniri lu tenuri di la ditta littra sive Epistola data Barchinonae 7 Idus Aprilis ann. 1500 a la quali ni riferimo: in viguri di la quali cum consensu, et voluntate Cleri ejusdem Terrae, ut Nobis constat etiam per so Procuraturi fu misu ipso exponenti in la sua possessioni di lo Officio di Locumtenenti predicto: supplicandoni propterea ni dignassimo pravidiri, et comandari dicta littra, sive Epistola li fussi ad unguem exequuta, et observata, qua supplicatione veluti justa admissa havimo provisto, et cussi tenore praesentium vi dichimo, et cumandamo digiati ad ipso Exponenti exequiri ad unguem, et observari la littera praeditta, seu Epistola, una cum omnibus in ea contentis, attento ni costa ditta littera, sive Epistola essiri stata scripta manu propria di lu ditto Misser Dalmao, et si forte Misser Joan Petru Rizo cum diri chi ditta littra, sive Epistola non est scripta manu dicti Dalmai, non è autentica pretendendu diviri ipsu essiri Locumtenenti, et essiri privato ad ipso Exponenti, quo casu fora contra la menti, et voluntati di lo ditto Misser Dalmao, lu quali per la ditta sua littera, la quali ni costa essiri di sua mano, ut supra, voli chi ipsu Exponenti et non altro sia so Locumtenenti di juri; casu praedicto di continenti reintegrari a lo ditto Exponenti in la sua pristina possessioni, et non teniri ad altro per Locumtenenti di ditto Misser Dalmao, excepto ad ipso Exponenti, ca nui comandamo, requidimo, e dichimo ad tutti Officiali, et persuni Ecclesiastici etc. Dat. Panormi 4 Augusti 4 Indict. 1501 attento maxime quod ad beneplacitum ipsius Domini Dalmai est ipse praefatus Dominus Joannes consti-

Digitized by Google

tutus, quo casu expirat, quia constat de contraria ipsius voluntate per dictas literas ipsius Dalmai. Datum die quo supra.

Juan de Lanuza.

Ex lib. Protonotarii h. S. R, ann. 4 Indict. 1500, et 1501, et 5 Indict. 1501, et 1502 fol. 2.

CXXIII.

Capellania Castri Matagrifonis Mess. Bartholomaei Sollima obitu vacans, Barth. Bassa a Prorege conceditur.

Ferdinandus etc.

Vicerex etc. Rev. Dom. Bartholomaeo Bassa S. Theol. Professori, ac Capellano nostro, Oratori Regio dilecto salutem. Quoniam in praesentiarum vacat in manibus R. Curiae Capellania R. Castri Matagrifonis nob. Civ. Messanae sub vocabulo S. M. obitu quondam Ven. Barth. Sollima Majoris Mess. Ecclesiae Canonici, nosque volentes de aliquo idoneo, et benemerito, qui dictam Capellaniam ad servitium Omnip. Dei, Sacraeque R. Majestatis Ser. Dom. nostri Regis, et commodum dicti Castri regere, et administrare valeat, providere, confisi ad plenum de vestris fide, virtute, peritia, sufficientia, ac doctrina, et idoneitate, tenore praesentium vobis eidem Dom. Bartholomaeo ad regium tamen, et nostrum beneplacitum *dictam Capellaniam cum omnibus, et singulis juribus, salariis, emolumentis, praeeminentiis, praerogativis solitis, et consuetis, honoribus quoque oneribus, et servitiis eidem Capellaniae praestari debitis, et pertinentibus*, committimus, et fiducialiter commendamus; *Ita quod hinc in antea dum de dicto regio, et nostro processerit beneplacito, vos solus sitis, et esse debeatis Capellanus dictae Capellaniae dicti R. Castri Matagrifonis dictae Nob. Civitatis, praestito prius per vos debito juramento de exercendo, et administrando Capellaniam praedictam ad servitium Omnip. Dei, et beneficium dicti R. Castri. Mandantes propterea cunctis ejusdem Regni Officialibus etc. In cujus rei testimonium praesentes fieri jussimus m. r. sigillo a tergo munitas. Dat. Pan. die 9 Mensis Augusti 5 Ind.* 1502.

Johan de la Nuca.

Dominus Vicerex mandavit mihi Stephano Macri visa per Benedictum Regentem.

Ex libro Protonotarii R. S. ann. 5 Ind. 1501, et 1502 fol. 98.

CXXIV.

Prorex Canonicatum Eccl. Calax. obitu Barth. Sollima vacantem confert Barth. Bassa ad regium beneplacitum.

Ferdinandus etc.

Vicerex in d. R. S. Rev. Dom. Bartholomaeo Bassa S. Th. Professori, ac Capellano nostro Oratori dil. regio salutem. Quoniam in praesentiarum vacat in manibus Regiae Curiae Canonicatus maj. Eccl. Terrae Calaxibettae sub vocabulo S. P. obitu quondam Cler. Franc. Sollima, propterea volentes de aliquo idoneo, et benemerito Canonico providere, qui dictum Canonicatum

ad servitium Omnip. Dom. nostri Dei, sacraeque et Cathol. Maj. Dom. nostri Regis, et decorem, et commodum dictae Maj. Ecclesiae regere, et administrare habeat, confisi ad plenum de vestri fide, virtute, peritia, sufficientia, ac doctrina, et idoneitate, tenore praesentium Vobis eidem Dom. Bartholomaeo, ad regium tamen, et nostrum beneplacitum, dictum Canonicatum cum omnibus, et singulis juribus, emolumentis, praeeminentiis, et praerogativis solitis, et consuetis honoribus quoque, et servitiis eidem Canonicatui praestari solitis, ac debitis, et pertinentibus, committimus, et fiducialiter commendamus: *Ita quod hinc in antea dum de dicto regio, et nostro processerit beneplacito, vos sitis, et esse debeatis Canonicus dictae M. Eccl. Terrae praedictae Calaxibettae: Mandantes propterea cunctis ejusdem R. Officialibus, et personis, et signanter Terrae praedictae etc. In cujus rei testimonium praesentes fieri jussimus m. r. sigillo a tergo munitas. Dat. Pan. 12 Octobris 7 Indict.* 1503.

Johan de la Nuca.

Dom. Vicerex mandavit mihi Stephano Macri visa per Joann. Conservatorem, et Bened. Regentem.

Ex libr. Proton. R. S. ann. 7 Ind. 1503, et 1504 fol. 19.

CXXV.

Obitu Dalmatii de Tolosa Prorex Jo. Michaeli Maji concedit beneficium Mag. Capellani Terrae S. Luciae.

Ferdinandus Dei gratia Rex Castellae Aragonum, utriusque Siciliae, Granatae etc.

Vicerex in Regno Siciliae Reverendissimo in Christo Patri Archiepiscopo Messanensi, ejusque in Spiritualibus Vicario Generali, caeterisque Officialibus, et personis tam spiritualibus, quam temporalibus, signanter Dioecesis Messanae, et Terrae Sanctae Luciae Planae Melatii, et praesertim Regio ejusdem Regni Thesaurario, et Conservatori Regii Patrimonii, et aliis quibuscumque, ad quos, seu quem spectabit, et praesentes pervenerint, seu fuerint quomodolibet praesentatae Oratoribus, et Consiliariis Regiis dilectis salutem. Adhuc menti tenemus Catholica Invictissima Majestas Domini nostri Regis per suas opportunas literas sub data in Medina del Campo die XII. Junii XIV. Indictionis anni 1497 sub mandato Magnifici Joannis Collamo Regis Secretarii, et alias post ad Nos destinatas, concesserit, et disposuerit, quod de quibusvis Beneficiis, Abbatiis, et Dignitatibus de jure Patronatus suae Regiae Majestatis usque ad certam summam in dictis literis regiis contentam, et expressatam fieret concessio, collatio, ac provisio in personam Venerabilis, *ac Magnifici Joannis Michaelis Maji Filii Magnifici Regii Consiliarii dilecti Joannis Maji U. J. Doctoris sicuti, et quemadmodum in dictis Regiis literis, et nostris executoriis, ad quas Nos referimus, continetur. Cum in praesenciarum vacet in manibus Regiae Curiae ob mortem quondam Dalmatii de Tolosa* Canonici Beneficium Magistri Capellani *Terrae praedictae Sanctae Luciae de Suae Regiae Majestatis jure Patronatus*, cujus praesentatio, collatio, et omnimoda dispositio ad eamdem Regiam Majestatem competit, et ipso jure pertinet. *Nos igitur virtute ipsarum Regiarum literarum, et juxta mentem ipsius Suae Regiae Majestatis Beneficium ipsum* Magistri Capellani *Terrae praedictae ita ut praemittitur, aut alias quomodocumque vacans eidem Venerabili, et Magnifico Joanni Michaeli in compotum regiae gratiae sibi indultae cum fru-*

Digitized by Google

ctibus, *juribus*, *et emolumentis*, *ac redditibus*, *et proventibus* canonice providimus, et fiducialiter commendamus vice, et nomine Suae Regiae Majestatis virtute *mandatorum*, *et ipsarum Regiarum literarum*. *Ita quod deinceps ipse Joannes Michael Maji electus*, *et nominatus*, *et nemo alius sit*, et esse debeat Beneficiatus, et Magister Capellanus Ecclesiae praedictae *cum perceptione dictorum reddituum*, *jurium*, *pertinentiarum*, *praerogativarum*, *et emolumentorum ad idem Beneficium spectantium solitorum*, *et consuetorum*, *et quemadmodum caeteri Magistri Capellani praedecessores ipsius Venerabilis*, *et Magnifici Joannis Michaelis*, *ac etiam idem Dalmatius de Tolosa ultimi Commendatarii usi sunt*, *et fieri consueverunt*. *Idcirco vos Ecclesiasticas personas requirimus etc. In cujus rei testimonium praesentes fieri jussimus magno Regio sigillo a tergo roboratas*. *Dat. in Urbe Panormi die* 15 *mensis Martii* 8 *Indictionis* 1505 = *Joan de Lanuza* = *Vidit Ludovicus Montalto Regius Conservator* = *Vidit Franciscus Regens*.

Ex Registro R. S. Proton. ann. 8 Ind. 1504, et 1505 fol. . . .

CXXVI.

Reg. Canonicatus Terrae Calax. ob renunciationem Barthol. Bassa Presbytero Laurentio Thomasio a Rege confertur.

Ferdinandus etc.

Nos Ferdinandus etc. Quia in praesentiarum vacat Canonicatus S. P. Terrae nostrae Calax. Dioec. Cat. dicti Siciliae ulterioris Regni, *ob liberum resignationem in manibus nostris factam per Magn. dil. Cons. et Secret. nostrum Joannem Roj de Calcena uti Procuratorem legitimum dil. nostri Bartholomaei Bassa dicti Canonicatus ultimi possessoris*, *ut de dicto tenunciatione publice constat instrumento loco*, *et die infrascriptis*, *et per dil. Scribam nostrum Joann. Graina recepto*, *et testificato*, qui quidem Canonicatus nostri juris est Patronatus, ejusque praesentatio, collatio, et totalis dispositio ad nos pertinet, et spectat pleno jure, *vertentes animum in vos dil. nostrum Laurentium de Thomasio Presbyterum dictae Dioec. Cat. de cujus vita*, *et moribus optimam accepimus informationem*, *supplicationibusque nonnullorum Familiarium nostrorum placide annuentes*, *tenore praesentis ex certa nostra scientia deliberate*, *et consulto dictum Canonicatum S. P. memor. T. Calax. praemisso*, *aut alio quovis modo vacantem cum universis*, *et singulis juribus*, *fructibus*, *redditibus*, *emolumentis*, *praerogativis*, *pertinentiis*, *et immunitatibus ad eumdem pertinentibus*, *et spectantibus*, *Vobis praef. Laur. de Thomasio* damus, conferimus, concedimus, et liberaliter elargimur, ac de eodem vos providemus, ac investimus cum ipsius jurium omnium plenitudine. *Ita quod exinde vos ipse Laurentius de Thomasio*, *et nemo alius dum spiritum duxeritis*, *sitis Canonicus dictae Ecclesiae S. P. Calax. ipsumque Canonicatum habeatis*, *teneatis*, *ministretis*, *ac inserviatis*, *ministrareque*, *et inservire faciatis ad servitium Omnip. Dei*, *et Conscientiae vestrae exonerationem*, *eisdem modo*, *et forma*, *quibus dict. Barth. Bassa*, *et ejus in dicto Canonicatu praedecessores illum tenere*, *et ministrare consueverunt*, *potuerunt*, *et debuerunt usquequaque*. *Quocirca Rev. in Chr. P. et dil. Consil. nostrum Episcopum Catan. ejusque Vicarios*, *et Officiales gener. et alias personas Ecclesiasticas*, *quibus attineat*, *requirimus*, *et hortamur Spect. vero Magn. dil. Consil. ac Fidel. nostris Viceregi in dicto S. R. Mag. Justitiario*, *seu ejus in*

officio Locumtenenti etc. Dat. in Civit. Corduae die 6 Mensis Octobris 12 Indict. anno a Nativitate Dom. 1508 Regnorum nostrorum videlicet Siciliae ultra Farum anno 41 Aragonum, et aliorum 30 Siciliae autem citra Farum, et Hierusalem 6 = Yo el Rey = Dominus Rex mandavit mihi Joan. Roy de Calcena.

Ex literis exequuteriis in lib. Regis Ferd. ann. 12 Ind. 1508, et 1509 fol. 497, et 498, et seq. existente in Reg. Cancellaria h. S. R.

CXXVII.

Obitu Dalmatii de Tolosa Mag. Capellanum Rex eligit Jacobum Conchilles, eoque ad Cat. Sacerdotium evecto Didacum Herrera.

Ferdinandus etc.

Viceres etc. Universis, et singulis ejusdem Regni officialibus, tam spiritualibus, quam temporalibus etc. Fuit nobis exhibitum, et reverenter praesentatum quoddam regium privilegium omni qua decet solemnitate vallatum sigillo impendente tenoris subsequentis. Nos Ferdinandus etc. Vacat in praesentiarum Beneficium Magistri Capellanatus in Ecclesia S. Luciae Archiepiscopatus Messanae, quod de jure Patronatus existit: Volentes propterea in dicto Capellanatus Beneficio talem praeficere personam, quod cultus divinus in ea non cesset, occurristis in mentem nostram vos dilectus noster Didacus de Herrera Decretorum Doctor Sacrista Major Capellae Serenissimae Reginae Germaniae Consortis nostrae carissimae, cujus mores, et vita dicti Sacristae satis laudabiliter innotescunt: servitiisque vestris multifariam, multisque modis eidem Serenissimae Reginae per vos praestitis attentis, tenore praesentium de certa nostra scientia, ac consulto dictum Capellanatus officium in praesentiarum canonice vacans vobis dicto de Herrera conferimus, et assignamus, ac de illo vobis etiam providemus cum juribus, et pertinentiis eorumdem universis. Vosque dictum Didacum de Herrera ad dictum Beneficium praesentatum, et pro praesentato per nos haberi volumus; Supplicantes propterea Sanctissimo, et Beatissimo Domino nostro Papae et aliis inde potestatem habentibus tam Apostolica quam Ordinaria auctoritate fungentibus, ad quos spectet, requirentes ut ad solam praesentium exhibitionem, nulla alia a nobis expectata provisione, vobis dicto Didaco de Herrera de dicto beneficio provideant, et illud vobis conferant, et assignent, et super his literas, et provisiones necessarias decernant. Nos enim eodem tenore dicimus, praecipimus, et mandamus Proregi nostro in dicto Siciliae Regno, caeterisque officialibus nostris, ad quos spectet, tam Ecclesiasticis quam Secularibus in dicto Regno Siciliae etc. Dat. in oppido Vallis Oleti die 31 Martii 13 Ind. anno a nativitate Domini 1509 Regnorumque nostrorum videlicet Siciliae ultra Pharum ann. 42 Aragonum vero, et aliorum 31 Siciliae autem citra Pharum, et Hierusalem 7. = Yo el Rey = Dominus Rex mandavit mihi Jo. Rois de Calceva: visa per Thesaurarium Generalem, et Proconserv. Siciliae. Et sua Catholica Majestas mandat etiam hujusmodi sub tenore = Visorey = En dias passados estando nos en la Ciudad de Barcellona, vacando el Beneficio del nuestro Cappellano de S. Lucia dell' Arcobisbado de Messana por muorte . . . . Tolosa que es de nuestro Padronato Real proveymos del dicho Beneficio de Maestre Capellan a Micer Jaymo Conabillos agora Obisbo de Catania; e agora vacando el dicho Beneficio por promozion del dicho Obisbo, proveymos d' el al Do-

Digitized by Google

ctor Herrera Sagrista Mayor de la Serenissima Reyna, nuestra muy cara, y muy amada Mugher segun harays por el privilegio que presentado vos será, e por que al tiempo que nos proveymos del dicho beneficio al dicho obisbo de Catania Mossen Juan de la Nuca vuestre Predecessor en esto officio proveyo d' el a Juan May por vertud de una spectativa, que de nos tenia, e porque per haver nos ontes proveydo da dicho Beneficio al dicho obisbo la provision del dicho quondam nuestro virrey, no pudia haver lugar, poronde engarcumos vos, y mondamos, que ellamado, y oydo el dicho May, o su legitimo procurador no embargante la dicha provision deiz luego las exequtorias del dicho Beneficio, y pongays y fagays poner el dicho D. Errera, a qui en su poder, oviere en la pacifica possession del dicho Beneficio compliendo, y faziendo complir el dicho privilegio eu todo y por todo segun que en el se contiene no aviendo otra justa causa, que a ello obeste, e no farais lo contrario en alguna maniera, que assi procede de nuestra determinada volontad. Dada en la Villa de Volla Dolid a 12 dias del mes de Noviembre dell' anno 1509. Vidit Calcera Lug. = Al Spettobile Nobile Magnifico Amodo Consejero nuestro D. Ugo de Moncada Virrey del Reyno de Sicilia: Et supplicato inde nobis, ut praeinsertum Regium Privilegium, regiasque litteras nostris exequtoriis litteris sibi exequi, et observare mondare benigne dignaremur; Nos vero volentes Regiis, ut tenemur, parere mandatis hujusmodi negotium commisimus mag. Reg. Cons. dil. Priamo Copocio U. J. D., et pro R Fuci Potrono, ut videret, et nobis referret. Qua relatione nobis facta per eumdem mag. servatis servandis fuit interlocutum hujusmodi sub tenore etc. Quapropter cum ejus deliberatione providimus, et ita harum serie vos personas Ecclesiasticas requirimus, et attente hortamur, vobis vero temporalibus dicimus, et mondamus expresse, quatenus eidem Rev. Didaco Herrera proeinsertum Regium Privilegium, regiasque litteras, et interloquutoriam praedictam, omniaque et singula in eis contenta ad unguem juxta eorum seriem et continentiam ac tenorem pleniorem exequomini, compleatis, et observetis, et exequi, compleri, et inviolabiliter observari per quos decet faciotis, nec secus agatis, vel fieri permittatis ratione aliqua, sive causa, pro quanto gratia Regia vobis cara est, et poenam in privilegio Regio contentam cupitis evitare. Dat. in Urbe fel. Pan. die 27 mensis Junii 13 Ind. 1510.

D. Hugo de Moncada.

Ex Reg. Regiae Canc. h. S. R. anno 1509, et 1510 fol. 717 R.

CXXVIII.

Prorex executioni mandat reg. expectativam pro Cler. Antonino Castellano, conferens ei Canonicatum Eccl. Calax. obitu Laur. de Thomasio vacantem.

Ferdinandus etc.

Vicerex etc. Universis, et singulis Officialibus, et personis Regni ejusdem et signanter Dioecesis Catan., et Terr. Calax. tam spir. quam tempor. majoribus, et minoribus quovis titulo, auctoritate, et dignitate, fungentibus, tam praes. quam fut. cui etc. Perchè la Catt. Maestà del Re nostro Signore per un Capitolo d' Istruzioni expedito in Villa di Monzon a li 20 di Julio 1510 et un altra segreta littira confirmatoria di quillo expedita in Siviglia a li 24 di Mayo 1511 n' ordina, e comanda per li rispetti in li ditti istruzioni, e littira espressati, et allo suo real animo digne moventi, chi fussi provisto uno

di li Figli di lo Magn. Segretario Juliano Castellano di alcuno beneficio di soy real jus patronatus, chi vacassiro in quisto Regno per fino alla somma di Ducati chento di rendita quolibet anno, comu più diffusamenti per tenuri di ditti Reali Istruzioni, e littira, di li quali foru emanati nostri exequtorj dati Pan. ult. Aug. 13 *Ind., et* 9 *Aug.* 14 *Ind.* 1511, *a li quali ni riferimo: Et avendo ditto Magn. Segretario nominato al Cler. Antonino Castellano so Figlio per la consecuzioni di ditto beneficio, fu ancora per la S. M. confirmato, et approbato. Noviter ha pervenuto a nostra notizia, comu in manibus Reg. Curiae vaca lo Canonicato, et prebenda di Calax. Dioec. Catan. tamquam de jure regio patronatu dictae Cath. Majestatis pri la morti di quondam D. Lorenzo d' Alaymo ultimo possessuri, lu quali in virtuti di ditti R. Istruzioni, et littiri ac nostri exequutorj* avimo nomine regio conferuto, *comu in vim* praesentis conferimo *a lo ditto Rev. Cler. Anton. cum tutti li raxuni, obvenzioni, emolumenti, onori, et oneri a lo ditto beneficio spectanti, et pertinenti; Pertanto tenore praesentium a Vui Ecclesiastici requidimo, et exortamo, et a Vui non spirit. dicimo, et comandamo expresse, chi incontinenti recipiriti la presenti, digiati a lo ditto Rev. Cler. Antonino oy a suo legitimo Procuraturi induchiri et poniri in la actuali, reali, et effettiva possessioni di ditto beneficio, Canonicato, seu prebenda cum tutti soi raxuni, renditi, et proventi, quo in possessione posito, et inducto viriliter contra cunctos lo difendiriti, et manutiniriti, et respundiriti, et fariti per quos decet rispundiri ad ipso Cl. Antonino, et soy Procuraturi di tutti ditti raxuni, et renditi, et proventi a lu ditto Canonicatu, et prebenda spettanti, et pertinenti, trattandolo, et facendolo per quos decet trattari per vero, et indubitato Canonico di ditto Canonicato, et prebenda tamquam per nos virtute dict. reg. expectativae, et litterarum electus, institutus, et creatus in Canonicum, et Beneficialem dicti Canonicatus, et praebendae amoto quovis illicito detentore, et di quisto non fariti lo contrario ratione aliqua sive causa, pro quanto Vui spirit. la gratia Reg. tiniti cara, et in la pena Vui tempor. di regali milli applicandi a lo R. Fisco desiderati non incurriri. Dat. Mess.* 7 *Octobr. prim. Ind.* 1512,

D. Ugo de Moncada.

Dom. Vicerex mandavit mihi Nicolao Sollima Locumtenenti, et Mag. Not. in Officio Protonotarii, et viderunt eam Thesaurarius, et Fanius pro Fisci patronus cum benestat.

Ex dib. Regis Ferdinandi ann. prim. Ind. 1512, et 1513 fol. 67 exist. in Reg. Cancell. R. S.

CXXIX.

Mag. Capellani Officium, et S. Luciae beneficium, quae Rege permittente cum regressu renunciaverat Jo. Mayo, conferuntur a S. Pontifice Jo. Gironella, et hujus obitu a Prorege Jo. Seron, sed Rex praecipit, ut Mayo restituantur.

Ferdinandus etc.

Spect. Viceregi, Mag. Justitiario etc. salutem, et dilectionem. Cum diebus praeteritis dilecttus noster Joannis May Decretorum Doctor vellet renunciare duo Beneficia simplicia, quae tenet, et possidet in plana Melatii, unum sub vocabulo Capellaniae Majoris. *Sanctae Luciae, et alterum* Sanctae Luciae e-

jusdem Terrae, quae sunt nostri juris Patronatus, ad Nos recursum habuit, ut eidem licentiam, et facultatem renunciandi cum regressu ad renunciantem concedere dignaremur, quod Nos ob servitia, ejus, et suorum Majestati nostrae praestita libere concessimus, ut patet tenore cujusdam nostrae provisionis, concessionis, et licentiae datarum in Oppido Vallis Oleti die 26 mensis Septembris primae Indict. 1513, ad quem Nos referimus.' Quae quidem Beneficia cum renunciasset in manibus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Domini Leonis Divina Providentia Papae X. tamquam de jure Patronatus nostri facta ibidem mentione de regressu praedicto, eademque Santitas contulisset dicta Beneficia Joanni Gironella Canonico Ordinis S. Augustini, ut patet tenore cujusdam Bullae datae Romae Nonis Decembris 1513 ad quam Nos referimus, qui diebus non longe decursis fato functus est, ob cujus mortem dicta Beneficia ipso jure sunt devaluta ratione dicti regressus ad dictum Joannem, fuit Nobis ejus nomine relatum, quod vos post mortem dicti Joannis de Gironella tamquam vacantia contulistis, et de eisdem dedistis possessionem Antonio de Seron virtute certae expectativae eidem per Nos concessae praeter mentem nostram, et in damnum maximum ipsius Joannis May Esponentis; Propterea Nobis humiliter supplicari fecit, ut eidem de opportuno juris remedio providere dignaremur Nos supplicationibus praedictis tamquam justis, et rationi consonis benigne admissis tenore praesentium de nostra certa scientia deliberate, et consulto vobis, et unicuique vestrum dicimus, et expresse mandamus quatenus illico visis praesentibus eumdem Joannem May, vel ejus Procuratorem legitimum in possessionem dictorum Beneficiorum Capellaniae Majoris S. Luciae, et alterius Beneficii S. Luciae dicti Plani Melatii restituatis, ponatis, et inducatis, positumque, et inductum manuteneatis, et defendatis non obstante provisione facta de eisdem virtute dictae expectativae, eique Antonio de Seron quae intelligatur in casu vacationis, et non alio modo cum beneficia praedicta ob regressum sibi per Nos concessum nunquam vacaverint, omnesque actus in favorem dicti Antonii de Seron ob hoc factos tamquam inanes, et nullo fundamento subsistentes aboleatis, et cassetis, irritosque, et nullos faciatis, et teneatis omni prorsus dubio, consulto, et consideratione cessantibus cum id justitia exigat; Cauti a contrario faciendo fierique permittendo aliqua ratione, sive causa, si praeter irae, indignationisque nostrae incursum poenam ⁊ mille a bonis cujusvis contrafacientibus exigendarum nostrisque inferendarum Aerariis cupitis evitare. Dat. in Civitate S.gobiae decimoquarta die mensis Julii, secundae Indictionis Anno a Nativitate Domini 1514. Yo el Rey = Dominus Rex mandavit mihi Joanni Roy de Calcena =

Ex literis exequutoriis in reg. Regiae Cancell. h. S. R. ann. 1514 et 1515 fol. 415 retro.

CXXX.

Leo X. Jo. Petro Riccio ob renunciationem Jo. Mayo confert Capellaniam majorem R. S. et Ecclesiam Paroecialem S. Luciae.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus Casertanensi, Asculensi, ac Algarensi Episcopis salutem, et Apostolicam Benedictionem. Grata devotionis, et familiaritatis obsequia, quae dilectus Magister Joannes Petrus Ricius perpetuus Capellanus ad Altare de li Risi situm in Parochiali Ec-

clesia Sancti Nicolai Messanensis Notarius, *et Familiaris noster Nobis, et Apostolicae Sedi hactenus impendit, et adhuc solicitis studiis impendere non desistit, nec non vita, ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, quibus personam suam tam familiari experientia, quam etiam fide dignorum testimoniis juvari percepimus. Nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales.* Cumque itaque Capellania Major Regia nuncupata Regni Siciliae *ultra Pharum, et Parochialis Ecclesia Sanctae Luciae in plano Melatii* nullius Dioecesis, *quae de jure Patronatus pro tempore existentis Regis dicti Regni existunt per liberam resignationem dilecti Filii Joannis Maji Regii Capellani Majoris Regni nuncupati, et Ecclesiae hujusmodi Rectoris de illis, quos tunc obtinebat per dilectum Filium Gabrielem Carbonel Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte factam, et per Nos admissam vacaverint, et vacent ad praesens: Nos dicto Joanni Petro, etc. praemissorum obsequiorum, et meritorum suorum intuitu specialiter gratiam facere volentes, ipsumque Joannem Petrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti etc. harum serie absolventes, et absolutum fore censentes Fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos,* vel alium seu alios Capellaniam Majorem, quae in dicto Regno Dignitas existit in aliquam Cathedralem Ecclesiam reputatus, cuique Cura jurisdictionalis in dicta Terra, et toto ejus districtu imminet animarum, et Ecclesiam Sanctae Luciae praedictas, quarum . . . . insimul fructus, redditus, et proventus sexaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Joannes Petrus etiam asserit non excedunt, *dummodo tempore datae praesentium non sit in eis alicui specialiter jus quaesitum, et ad hoc Carissimi in Christo Filii nostri Caroli dicti Regni Regis expressus accedat assensus cum annexis praedictis juribus omnibus, et pertinentiis suis eidem Joanni Petro conferre, et assignare auctoritate nostra curetis, inducentes eumdem Joannem Petrum, vel Procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Ecclesiae, et Capellaniae, juriumque, et pertinentiarum praedictarum, defendentes inductum, amotis quibuslibet illicitis detemptoribus ab eisdem necnon facientes Joannem Petrum, vel pro eo Procuratorem suum praedictum ad Capellaniam majorem hujusmodi ut est moris admitti, sibique de illius, et dictae Ecclesiae Sanctae Luciae fructibus, redditibus, proventibus, juribus, et obventionibus universis integre responderi; Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo etc. Nos enim cum dicto Joanne Petro ut Capellaniam Majorem, et Ecclesiam S. Luciae praedictas sibi vigore praesentium conferantur, recipere, et quoad vixerit retinere libere, et licite valeat generaliter Conciliis, et quibusvis aliis Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate Apostolica tenore praesentium, de speciali dono gratiae dispensamus, proviso quod Capellania Major, et Ecclesia S. Luciae praedictae debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur, et insuper ex nunc irritum decernimus, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1517 3 Idus Februarii Pontificatus nostri anno quinto.*

Ex literis exequutoriis in Reg. Reg. Cancell. h. S. R. ann. 1517 et 1518 fol. 656.

CXXXI.

Agnoscunt Canonici Panormitani, curam animarum in Ecclesia palatina S. Petri residere penes Collegium.

Die 1 Octobris VII. Indict. 1518 fuit provisum per Rev. Capitulum Panormitanum Sede vacante auditis partibus, quod Canonici Collegii S. Petri sacri regii Palatii, et alii Clerici dictae Ecclesiae, ex quo dictum Collegium est Parochialis Ecclesia, quod Collegium, seu Ecclesia S. Petri administrat Sacramenta in Castro dicti Palatii, non extra, hominibus, et habitatoribus habentibus domicilium in dicto Castro, quod possit libere tales sepelire, etiam si morerentur extra dictum Castrum, et possit ministrare alia Sacramenta dictis habitatoribus, et habentibus domicilium in dicto Castro tantum, et si aliquis de Compagnonibus, et hominibus dicti Castri non haberet domicilium in dicto Castro, tunc in eo casu tales morientes sint illius Parochiae, in qua habent domicilium: expensis hinc inde compensatis.

Ex actis Curiae Archiepiscopalis.

CXXXII.

In actis Regiorum Officiorum distincte nominatur beneficium bajulatus Terrae S. Luciae, neque cum Capellania majore confunditur.

Pro sigillo concessionis cujuslibet beneficii vel praebendae spectantis ad Regiam dignitatem, solvatur pro qualibet uncia annui redditus tar. unus. Inter quae sunt infrascrita, videlicet, beneficium S. Petri di lo Palazzo Panormi, Sancti Joannis Palatii Messanae, Sanctae Mariae Castri ad mare Messanae, Sancti Philippi, et bajuliae Terrae S. Luciae, *Sanctae Mariae de Admirato Panormi etc.*

Ex lib. pandect. sub Comite Montisleonis tom. 2 Capit. Regn. pag. 488.

CXXXIII.

De mandato Sacrae Caesareae Majestatis, Canonicatus Terrae Calaxibettae, ob resignationem Antonii Castellano, Nicolao la Mammana a Prorege confertur.

Carolus etc.

Vicerex etc. Rev. et Ven. ejusdem Regni Archiepiscopis, Episcopis etc. necnon universis, et singulis Officialibus Regni praedicti etc. Quia tenente, et possidente Rev. Dom. Antonio Castellano beneficium Canonicatus, seu praebendae dictae Terrae Calaxibettae, praedictae Catanensis dioecesis, tamquam de jure regio patronatu, virtute litterarum regiarum etc. non valente in dicta Terra personaliter adesse, et ut decet, dicto Beneficio inservire; recursum habuit ad suam Caesaream Majestatem tamquam Patronum dicti beneficii, a qua obtinuit litteras secretas nobis directas, per quas fuit nobis mandatum hujusmodi sub tenore: El Rey etc. Virtute quarum quidem litterarum suae Caesareae Majestatis, dictus Antonius per Mag. Joannem Ferrantem ejus legitimum Procuratorem etc. sponte dictum beneficium Canonicatus, seu praebendae, eidem Dom. Nicolao la Mammana renunciavit, et resignavit, ut patet

Digitized by Google

tenore actus facti etc. Et supplicato nobis pro parte tam dicti Rev. Dom. Antonii, quam dicti Rev. Dom. Nicolai, ut dictas renunciationem, et resignationem acceptare, laudare, et confirmare deberemus: nos vero admissa eorum supplicatione, ut infra, volentes, ut tenemur, suae Caesareae Majestatis parere mandatis, habita prius relatione de virtute, habilitate, animique integritate, et sufficientia dicti Rev. Dom. Nicolai, providimus, et ita harum serie de nostra certa scientia deliberate, et consulto, auctoritate regia, qua fungimur, virtute praeinsertarum literarum suae Caesareae Majestatis, dictam renunciationem, et resignationem praedicti beneficii Canonicatus, et praebendae, et omnia, et singula in ea contenta acceptantes, et ratificantes, confirmantes, roborantes, et approbantes in personam dicti Dom. Nicolai factam, dictum beneficium et Canonicatum sive praebendam virtute dictarum literarum suae Caesareae Majestatis dicto Rev. Dom. Nicolao conferimus cum omnibus juribus, et pertinentiis suis *etc. prout, et quemadmodum beneficium ipsum tenebat, et possidebat dictus Rev. Dom. Antonius ante praedictam resignationem. Quapropter vos Ecclesiasticas personas requirimus, et attente hortamur, vobis vero temporalibus dicimus, et mandamus expresse, quatenus etc. eumdem Rev. Dom. Nicolaum in possessionem dicti beneficii Canonicatus, sive praebendae ponere, et inducere debeatis, positumque, et inductum manutenere, et conservare etc. Dat. Messanae die 3 Februarii 2 Ind. 1528.*

El Duque de Monteleone.

Dominus Prorex mandavit mihi Guglielmo Forti, visa per Thesaurarium, et Franc. Pacitaldum pro Fisci patronum.

Ex lib. R. Caroli Imper. ann. 2 Ind. 1528, et 1529 fol. 262, et 263 existente in R. C. h. R. Siciliae.

CXXXIV.

Ob mortem Jo. Petri Riccii, Praesb. Petrus Trovato existens in Terra S. Luciae Mag. Capellani Vicarius, in eodem officio a Prorege confirmatur.

Carolus etc. Joanna etc.

Vicerex etc. Venerabili Presbytero Petro de Trovato de Terra S. Luciae Oratori etc. Perchè vacando nei tempi passati l' officio, ossia Dignità di Maestro Capellano, per la morte del Rev. quondam di Gio. Pietro Rizzo fu incommendato a voi, nomine Regiae Curiae l' Officio di Vicario di detto R. Maestro Capellano, lo quali aviti tenuto senza nostri provisioni, e ne aviti per questo fatto supplicari, che per le occorrenzj di detto Offizio, e dignità conveni providiri alla execuzioni di la justizia, secondo chi a detto Offizio, e dignità spetta, volissimo cum nostri provisioni committirivi detto Offizio di Vicario, non essendo ancora venuti, e presentati li provisioni di S. M. Cesarea, e Bulli Apostolici di detta Maestra Cappellania, ne ha parso cosa convenienti per lo servicio di Dio, et bona administracioni di la justicia, havendo bona relacioni di la virtù, et integrità vostra, providiri di detto Offitio di Vicario in persona vostra, et cussì tenore praesencium, auctoritate Regia, qua fungimur vi incommendamo detto Officio di Vicario, *cum tutti quelli preeminenzij, prerogativi, jurisdicioni, honuri, et gravicij, che li altri Maestri Vicarj, creati per li Maestri Cappellani hanno avuto, et usato ad regium, et nostrum beneplacitum tantum, et finchè lu Maestro Cappellano eletto oy eligendo, et presentando per S. M. Cesarea, et confirmato per Sua Santità, altrimenti*

si providirà, lo quali tempo perduranti, possati Vui exerciri, et administrari detto Offizio di Vicario cum tutti preeminencij, prerogativi, jurisdictioni, et potestati, che li altri Vicarj hanno usato, et potuto usari, comu si fussivu creato per lo Maestro Cappellano, exortando per la presenti a tutti Offitiali, et persuni spirituali di la detta Terra, e a li altri temporali, comandamo, che dicto tempore perdurante vi diggiono pristari omni reverentia, obedientia, et honuri, comu si conveni ad Vicario, dandovi omni ajutu, et favuri per la execuzioni della justitia, e così spettanti a Vui comu Vicario et non fazanu lu contrariu, si la grazia di S. M. Cesaria tenino cara. Dat. Messanae die 1 Iulii 6 Ind. 1533.

El Duca di Monteleone.

Dominus Prorex mandat mihi Joanni Sollima Locumtenenti, et Magistro Notario in Officio Magistri Notarii, et vidit eam Hieronymus pro Thesaurario,

Ex Registro Reg. Cancell. ann. 1532, 1533 VI. Indict. fol. 418.

CXXXV.

Obitu Petri Trovato, Io. Matth. de Amico instituitur a Prorege Capellani majoris in Terra S. Luciae Vicarius.

Carolus etc. Joanna etc.

Vicerex etc. Venerabili Presbytero Joonni Matteo de Amico Oratori Regio dilecto salutem. Perochi ad nostra notizia è pervenuto, comu lu Venerabili Preti Pietro Trovoto, o lo quali era stato per Nui incommendoto nomine R. C. l' Officio di Vicario di Regio Maestro Coppellano di codesto Terra di S. Lucia, sicut Domino plocuit, è stato morto, et perchè sino al presenti non est expedita lo presentacioni di S. M. di detto Maestro Capellono ne si ho avuto la confirmacioni Apostolica, et detto Cappellania fu, ed è penes Regium Curiam, et Sede vacante spetta, e spetta a Nui per li occorrencij di detto Officio, et dignità providiri in detta Terra di Vicario, *ovuto per quisto bono relacioni, et sufficiencio vostro tenore praesencium aucthoritote Regia, qua fungimur, vi incommendamo detto Officio di Vicario cum tutti quilli preeminencij, prerogativi, giurisdizioni, e grovicij, chi li oltri Vicarj creati per li Maestri Cappellani honno avuta, ed usato, et comu havia, et usava lo detto quondam Preti Pietro Trovato, et detto Officio di Vicario v' incommendamo ad regium, et nostrum beneplacitum tontum, et sino chi pir lo Maistru Cappellano elettu, oy eligendu per S. M. Cesarea, et confirmato pri S. Santità, oltrimenti si providirà, lo quali tempu perduronti pozzati Vui exerciri, ed amministrari detto Officio di Vicario, cum tutti dicti preeminencij, prerogativi, jurisdicioni, et potestoti, che li oltri Vicarj, et maxime lu dicto quondam Preti Petro hanno usato, et potuto usari, come si fussivo creato pri lo Maestro Cappellano, et hortondo pir la presente, a tutti l' Officiali, et persuni spirituali di la detta Terra, et a li altri temporali, comundamo, che dicta tempore perdurante vogliano prestari omni reverentia, obediencia, et honuri, et comu si conveni ad Vicario, dandovi omni oyuto, et favuri, pri la execucioni di la justicia, et così spectanti a Vui, comu Vicario, et non foczano lu contrariu si la gracia di S. M. Cesarea tenino cara. Dat. Messonae 1 Septembris 7 Indict.* 1533.

El Duca di Monteleone.

Digitized by Google

Dominus Prorex mandat mihi Joanni Sollima Locumtenenti, et Magistro Notario in Officio Protonotarii, et viderunt eam Hieronymus pro Thesaurario, et cum benestat Montalti Fisci Patroni.

In Reg. Conserv. ex lib. Mercedum ann. 1532, 1533 fol. 591.

CXXXVI.

Rex praecipit, ut usque dum bullaē pro Jo. Mayo expeditae non fuerint, fructus Capellaniae majoris S. Luciae, et Abbatiarum S. Pantalei et SS. Salvatoris la Placa, ipsi Mayo exhibeantur.

Carolus etc.

Magister Justitiarius etc. Spect., Magn., et nob. Regni ejusdem Magistro Justiciario, ejusque in Officio Regio Locumtenenti Jud. M. R. C. Magistris Rationalibus Thesaurario Conserv. Regii Patrimonii, Adv. quoque, et Procuratoribus Fisc., caeterisque demum dicti Regni Officialibus Majorib., et Minoribus etc. Alias fuit per nos provisum, et mandatum sub forma sequenti = Carolus etc. Mag. Justiciarius in Regimine Regni Spect., Mag., ac nobilibus ejusdem Mag. Justitiario, ejusque in off. Regio Locumtenenti, Jud. M. R. C., Magistris Rationalibus, Thesaurario, Conserv. Regii Patrimonii, Adv. quoque, et Procur. Fiscalibus, caeterisque demum dicti Regni Off. Major., et Minor. etc. Perochì la S. R. Cattolica Maestà de lo Imperatore, e Re nostro Signore per una sua litera omni, qua deces, solemnitate, sigilloque secreto cereo in pede roborata, provede, comanda del tenor seguente = El Rey. Micer Joan. de Jugo del nuestro Consejo, y uno de Juges de nuestra Gran Corte de esse Reyno, y por quanto nos en dias passados vacando las Abbacias de Sancto Salvador de Placa, y la Abbacia de Sancto Pantaleo de la Dioce de Messina, y la Maestra Capellania de S. Lucia, que son de nuestro jus Patronado Real, havimos mandado, que fuissen impeditos in sequestro de nuestra Corte, a profecho, y valididad del Venerable Miser Joan May Abad de Tripoll, a que nos havimos presentado a ellas; Et por que nuestrà voluntad es, que el dicho sequestro este en vestras manos, y poder hasta, que las Bullas sean desponchadas, y que tenes las cuentas de toda lo passado, y a codays de los frutos a lo Procurator del dicho Abad por nos presentado. Portanto por la presente mandamos a qualesquier Detemptores del dicho sequestro, y sequestros, que a sola obstencion de la presente luego alcen la man de lo dicho sequestro, y vos lo intretgays de la cuenta entera con de pago de todo lo passado, que con apocas y diffición vuestra inserto en ellas el tenor de la presente contentemos, que sean havidas por libres de la dicha administracion, y cargo de sequestro. Dad. en Messina a primero dia del mes de Decembro del anno mil quiniento y treynta y cinco. = Yo el Rey = M. Mayus Vic. = Nil quia pro Curia = Vabet Taxator = Urries Sec. = Et volendo nui como simo tenuti rendirini conformi cum li mandati Cesarij ad supplicationi di lo prefato Mag. Joanni tenore presentium vi dichimo, et comandamo expresse, chi digiati a lo prefato Mag. Joanni de Jugo exequiri, et observori la dicta Imperiali litera, et Delegazioni in sua persona facta di la exaccioni di ditti frutti, et renditi di ditti abbatij in nomo di lo prefoto Rev. Misser Joanni May juxta loro serie, et tenore, et secondo la forma di quella etc. Dat. Pan. die 15 May 8 Indict. 1536. et li premissi exequiriti cum effectu, non ostanti qualsivoglia impedi-

menti, et sequestri fatti per qualsivoglia officiali nomine R. Curiae, oy di altra persuna. Dat. ut supra = El Mastre Justiciero = Dominus Mag. Justiciarius mandavit mihi Antonio Pandolfo Mag. Not. = Visa per Joannem Antonium Bonanna, Jacobum Abbati, Petrum Augustinum, Petrum Andream pro Thesaurario, et Bartholomeum de Marchisio =

Ex libr. Merced. ann. 1535, et 1536 fol. 316.

CXXXVII.

Cavetur, ne Capellani Regii, juxta eorum privilegia ab omni ordinaria jurisdictione exempti, nisi coram Capellano majore vel ejus vicem gerente in causis sive Civilibus, sive Criminalibus conveniantur.

Carolus etc. Joanna etc.

Vicerex in dicto Siciliae Regno = Reverendissimis, Reverendis, et Venerabilibus ejusdem Regni Archiepiscopis, Episcopis, etc. et omnibus, et singulis aliis Officialibus dicti Regni, et praesertim hujus Nobilis Civitatis Messanae spiritualibus, et temporalibus etc. Dilectis salutem = Imperochi li tempi passati foru fatti, et creati Regij Cappellani cum omnibus juribus, libertatibus, praerogativis, praeheminentiis, et aliis ad dictos Regios Copellanos spectantibus, et pertinentibus li Reverendi D. Fozio Cipriano, D. Andreas Parlatori, D. Pancrazio Parlatori, et D. Joan Baptista Buculo comu per loro opportuni patenti provisioni cum magno regio sigillo expediti largamenti appari, per la quali cosa ipsi Reverendi Exponenti, comu Capellani Regij foru, et su exempti ab Ordinario, et non ponno, ne divino essiri convenuti, cognoxuti, ne molestati civiliter, nec criminaliter excepto per lo Reverendo Mastro Cappellano de dicto Regno, *seu suo Locumtenenti comu diffusamenti appari, et si conteni per una patenti provisioni di Sua Cesarea, et Catholica Majestati expedita olim in persona de lo Reverendo quondam D. Antonio Gotto Priuri de Santa Cruchi, di la quali foro emanoti li debiti Viceregij exequtorij literi in Nobili Civitate Messanae die ultimo mensis* Februarii 2 Indict. 1529, *ac etiam appori, et consta per testimonij recepti per la Curti Archiepiscopali di ditta Nob. Città die 8 Januarii 13 Indict. 1540 ad instanzia di lo dicto D. Fazio Cipriano, et ad praemissa non advertendo vui Reverendo Vicario de dicta Nobili Città, seu altro Officiali haviti temptato, et temptati conveniri civiliter, sive criminaliter a li dicti Reverendi D. Fazio, D. Andria, D. Pancrazio, D. Joan Baptista in loro gravi damno, et prejudicio, ac etiam in prejudicio di la Regia preheminencia, et Cappella; Pertanto ni hanno fatto supplicari ni plachissi debite providiri a loro indemnitati, a la quali supplicacioni comu justa nui benigne inclinati praemissis attentis, et visis dictis praecalendatis Caesareis literis, et testibus, per quas, et quos apparet, et constat de praemissis havemo provisto per la presenti a vui Officiali Spirituali requidimo, et attente hortamu, et a vui temporali vi dichimo, et comandamo digiati a li prefati Reverendi Exponenti teniri, tractari, et reputari per Regij Cappellani cum omnibus juribus, exemptionibus, praerogativis, et praeheminentiis eorum, et ad dictos Regios Capellanos spectantibus, et pertinentibus, e nullo pacto li digiati cognuxiri, conveniri, ne molestari, et ne lassari conveniri, ne molestare civiliter, nec criminaliter, ma succedenta casu, li digiati remittiri, et remandari a lo dicto Reverendo* Mastro Cappel-

lano, seu so Locumtenenti. Dat. in Civitate Nobili Messanae die 14 *Mensis Augusti* 13 *Ind.* 1540.

Ferrando Conzaga.

Ex libro Mercedum ann. 1539, et 1540 fol. 417 in officio Conservatoris R. P.

CXXXXIII.

Articuli regiae visitationis Ecclesiae S. Luciae factae per Franciscum Vento S. Th. Doctorem, et Canonicum Mazariensem.

Magister Capellanatus Terrae S. Luciae de Plana Melatii, cujus Beneficiatus ad praesens existit Sp. Dominus Clemens Maij Hispanus residens in Curia S. Majestatis, et ejus Locumtenens in hoc Regno existit Magnificus, et Reverendus Dominus D. Petrus de Ansalono Messanensis, et Abbas Mandanichi, ac Prior Sanctae Crucis Messanae residens in dicta Nobili Civitate Messanae.

Habet connexas Ecclesias Curatas infrascriptas videlicet.

Ecclesia S. Luciae major, et matrix in dicta Terra.

Parrochia S. Nicolai in dicta Terra.

Parrochia S. Annunciatae in dicta Terra.

Item totum Spirituale Cleri, et Sacerdotum dictae terrae cognoscitur tam civiliter, et criminaliter per dictum Magistrum Capellanum.

Habet redditus infrascriptos videlicet.

Inprimis pro baglia dictae Terrae anno quolibet consequitur ℥ *viginti quinque* . . . . ℥ 25

Item ex quodam frusto terrae consequitur in frumento quolibet anno salma una . . . . *Sal.* 1

Item quoddam jus Census anno quolibet tar. sexdecim . . ℥ 16

Item pro jure Visitae, et pro quodam jure muneris a Clero anno quoliqet ℥ *una, et tar. quindecim* . . . . . ℥ 1 15

Est sciendum, quod dictum Beneficium Magistri Capellanatus hodie existit arrendatum dicto Reverendo Domino D. Petro de Ansalono pro ducatis centum in quolibet anno, pro ut nos informamur per Sacerdotes dictae Terrae.

Exitus, et Onera sunt videlicet.

Tantum habet pro onere solvendi Communiae dictae Ecclesiae pro Sacerdotibus in Comuni deservientibus in administratione Sacramentorum in quolibet anno ℥ *tres* . . . . . ℥ 3

De Servitiis.

Servitia debita Ecclesiis Parrochialibus dictae Terrae existunt in administratione Sacramentorum, quae Communiter administrantur vicissim per omnes Sacerdotes dictae Terrae quilibet in vice sua in qualibet hebdomada, quibus Sacerdotibus deservientibus in Ecclesia Majori Magister Capellanus tenetur tradere ℥ *tres in quolibet anno, et dicta servitia satis bene exequntur, et dicta summa solvitur testificantibus cum juramento Vener. Presbyteris Bernardo la Calura Octuagenario, Joanne Matthaeo de Amico, et Joanne Bonaventura Septuagenariis.*

Ex libro Visitationis Rev. D. Francisci Vento existente in Officio Ill. Conservatoris R. P.

CXXXIX.

Ob renunciationem Clem. Mayo Hieron. Zeffarana pro adsequenda Capellania majore S. Luciae praesentationis a Rege obtinet literas ad Sedem Apostolicam:

Nos Carolus Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Rex Germaniae etc. Joanna ejus Moter etc. Idem Carolus Dei gratia Reges Castellae, Aragonum, Utriusque Siciliae, Hierusalem etc. Cum Vos Rev. Clemens Mayo nostra regia praesentatione, vel assensu teneatis, et possideatis Abbatiam S. Salvatoris de la Placa Messanensis Dioecesis, Magistram Capellaniam S. Luciae in Plana Melatii ejusdem Civitatis, *Messanensis Districtus in Regno Siciliae, quae de' nostro jure patronatus dignoscuntur, illasque in favorem dilecti nostri D. Hieronymi Zaffarana etiam Messanensis, qui eisdem multis annis vestro nomine praefuit, resignare velitis, Nobis tamquam ipsarum Patrono de licentia infrascripta supplicari fecistis: Nos autem de moribus, probitate, literis, et sufficientia, ac vitae sanctimonia, aliisque virtutum meritis praefati D. Hieronymi Zaffarana bene informati, eidem supplicationi benigne annuentes tenore praesentium ex certa scientia, ac regia auctoritate nostra, et consulto licentiam Vobis concedimus, et plenariam facultatem impartimur, ut intra annum a die datae praesentium in ante continuo numerandum Vos praefatus Clemens Mayo possitis, et libere valeatis dictam Abbatiam S. Salvatoris de la Placa, et Magistram Capellaniam S. Luciae cum omnibus, et singulis illarum, utriusque earum annexis, et pertinentiis eidem D. Hieronymo Zaffarana absque tamen nostri juris patronatus praejudicio, seu derogatione aliqua, et sine regressu, vel pensionis reservatione libere, et licite resignare, cedere, seu transferre, cui quidem resignationi, cessioni, seu renunciationi de dictis Abbatia, et Magistra Capellania sic faciendae, Nos tamquam Reges, et Patroni praedicti nunc pro tunc et e contra assentimur, auctoritatemque nostram interponimus pariter, et decretum, nec non eumdem D. Hieronymum Zaffarana, in cujus favorem ipsa resignatio fiet, ad istas Abbatiam, et Magistram Capellaniam tamquam habilem, idoneum, et sufficientem in casu praedicto eligimus, nominamus, et praesentamus: Beatissimum propterea Dominum Nostrum Papam humiliter deprecantes, ut nostram hujusmodi praesentationem, et assensum benigne admittere, et acceptare dictasque Abbatiam, et Magistram Capellaniam eidem D. Hieronymo Zaffarana conferre, instituere, et providere dignetur: Reverendum insuper Christo Patrem Archiepiscopum Messanensem, ejusque in Spiritualibus, et Temporalibus Vicarium Generalem, et Officialem, aliasque quasvis Personas Ecclesiasticas ad quas spectet, requirimus, et hortamur .... Illustri vero Proregi, et Capitaneo Generali nostro, caeterisque demum universis, et singulis Officialibus, et Subditis nostris in dicto Regno constitutis, et constituendis dicimus, et mandamus .... quatenus nostram ejusmodi licentium, assensum, decretum, et praesentationem tenentes, et inviolabiliter observantes quasvis Bullas, rescripta, et provisiones Apostolicas super praemissis vel ad effectum praemissorum omnium, vigore hujusmodi nostrae praesentationis, et assensus expediendas, et omnia, et singula in eis contenta, dum tamen in ipsis de dicto Regio jure patronatus, et praesentatione nostra expressa fiat mentio, nullumque inde nobis, vel dicto juri patronatui nostro praejudicium generetur, aut subsequi possit, omnino exequantur, et compleantur, ac exequi, et compleri faciant juxta illarum seriem, et tenorem etc. Dat.*

Digitized by Google

in Oppido nostro Brusellis supradicti Ducatus Brabantis die ultimo mensis Aprilis anno a Nativitate Domini 1549 = Yo el Rey = Perrenotus vidit Dominus de Corbea Progenerali Thesaurario, et Conservatori Siciliae; Vidit Medicis Regens solvit uncias tres, et in plus fuerit in exequtoriis Prado pro taxatore = S. C. et Catholica Majestas mandavit mihi Didaco de Vargas =

Ex literis exequutorialibus, quae habentur in Reg. Prot. R. S. ann. 1549, et 1550 fol. 24 retro.

CXL.

Paulus III. Hier. Zaffarana confert Officium Mag. Capellani regii S. Luciae.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei = Dilecto Filio Hieronymo Zaffarana Abbati Monasterii S. Salvatoris de Placa Ordinis S. Basilii Mess. Dioecesis salutem, et ap. benedictionem. Solicitae considerationis indagine, prout pastoralis Officii cura requirit circa statum Ecclesiarum, Monasteriorum omnium salubriter dirigendum operosae diligentiae studium libenter impendimus, ut Ecclesiis, et Monasteriis ipsis ne diutinae vacationis subjaceant detrimentis de celeris, et salubris provisionis remedio succurratur: Cum itaque sicut accepimus nuper dilectus Filius Clemens May Clericus Barchiononensis Officium Capellani Regis Magistri nuncupati S. Luciae in Plana Milatii Regni Siciliae, *ac Monasterium S. Salvatoris de Placa Ordinis S. Basilii nullius, et Messanensis respective Dioecesis, quae de jure Patronatus pro tempore existentis Regis Siciliae exercebatur, atque Officium videlicet tunc exercebat, et possidebat; Monasterium vero praedictum ex concessione, et dispensatione Apostolica in Commendam obtinebat per certum Procuratorem suum ad id ab eo specialiter constitutum in manibus nostris coram Notario publico, et testibus fide dignis extra Romanam Curiam Officium videlicet resignaverit, ac Commendae hujusmodi cesserit; Nos, quibus de hujusmodi resignatione, et cessione per publica documenta manu Notarii publici subscripta extitit legitime facta fides, resignationem, et cessionem hujusmodi, quatenus rite admissae non fuerint, apostolica auctoritate admittentes etc. teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, etc. ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, Tibi, Charissimi in Christo Filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, et Charissimae in Christo Filiae JoannaeSiciliae Regum ad hoc, expresse accedente consensu, officium quod quandoque per Clericos Seculares quandoque vero per Regulares, aut alias prout pro tempore existenti Siciliae Regi placet obtineri, et exerceri consuevit, cum omnibus, et singulis illis juribus . . . . . . quibus alii* Magistri Capellani Regii Sanctae Luciae hujusmodi in loco S. Luciae vel alibi per Regem Siciliae pro tempore existentem pro tempore deputati hactenus gavisi, et potiti fuerunt dicta auctoritate concedimus, et assignamus, teque in Capellanum Regium Magistrum nuncupatum creamus, et deputamus, etc. *teque ipsi Monasterio in Abbatem praeficimus, curam, regimen, et administrationem ipsius Monasterii Tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo: Quo circa Ven. Fratri nostro Episcopo Niciensi, et dilectis Filiis Antonello de Lignamine Canonico Ecclesiae Messanensis, ac Vicario Ven. Fratris nostri Archiepiscopi Messanensis in spiritualibus generali per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra Te ad dictum Officium, ejus-*

Digitized by Google

que liberum exercitium jurisdictionis, privilegia, pertinentias, facultates, et indulta praedicta, ut est moris admicti; nec non tibi in adipiscenda possessione, seu quasi regiminis, et administrationis, ac bonorum dicti Monasterii auctoritate nostra assistentes faciant tibi a dilectis Filiis conventus obedientiam, et reverentiam debitas, et devotas, nec non a Vassallis, et aliis Subditis dicti Monasterii consueta servitia, et jura ab eis Tibi debita integre exhiberi contra Detentores, auctoritate nostra Apostolica, postposita appellatione, compescendo non obstantibus fel. recordationis Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris nostri, et aliis Apostolicis Constitutionibus etc. Dat. Romae apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicae 1549 tertio decimo Kalendas Iulii 15 Indictionis. Dominicus de Torres.

Ex literis exequutoriis in registro Proton. R. S. ann. .. Indictionis 1549, et 1550 fol. 24 retro.

CXLI.

Status Reg. Capellae Palatinae ex Regia Visitatione Iacobi de Arnedo.

De Servitiis.

Superius diximus, quod elapsis temporibus exercebantur servitia, et ministeria praedictae Ecclesiae per duodecim Canonicos, totidemque Correndatos, et duas Dignitates de redditibus Curiae viventes: nunc enim autem exercetur per unum Capellanum tantum, qui singulis diebus tenetur celebrare loco, et nomine Cantoris praedictae Ecclesiae, qui pro illius substentatione dat uncias sex in quolibet anno. Canonici vero, et Correndati etsi hactenus nomine maneant, vix in die S. Petri ad Capellam, seu Ecclesiam praedictam etiam coacte accedunt, quoniam solum habent ex Tonnariis Solunti, et S. Georgii paucos pisces, quos dividunt inter se, ita ut quilibet eorum in toto anno consequatur utilitatem tarenorum trium.

Quare Sua Cath. Majestas Caesarea aliquos redditus poterit assignare dictis Canonicis, et Sacerdotibus, ut valeant ministeria praedictae Capellae perficere secundum Institutionem suorum Praedecessorum: nam vere dolendum est, quando Ecclesia ita pulcherrima, tot tantisque reliquiis decorata, quasi derelicta habeatur.

Ex Officio Conservatoris Reg. Patrimonii.

CXLII.

Actus visitationis Ecclesiae S. Luciae, factae per Jacobum Arnedo Reg. Visitatorem.

Capellania major hujus Regni Siciliae. Cujus Capellanus in praesentiarum est Rev. D. Hieronymus de Zaffarana Siculus.

Habet redditus infrascriptos.

Inprimis Universitas Terrae Sanctae Luciae solvit quolibet anno unc. viginti, et quinque ex quodam pacto, seu conventione, ut inquit dictus Reverendus Capellanus, quae fuit facta antiquitus inter Capellanum majorem, et Universitatem pro decimis, quas dicta Universitas tenebatur solvere quolibet anno praedicto majori Capellano ... ℥. 25.

Item jure Visitae solvit quilibet Sacerdos tar. unum, et gr. decem singulis annis.

Item pro quolibet mortuo habet Capellanus major tar. unum.

Item pro quadam portione terrae existente in Contrata di li terri forti, confinante cum terris Universitatis, et via publica quolibet anno sal. unam frumenti.

Item est notandum, quod praedicti redditus cum aliis extraordinariis, quos consequitur ex ordinaria jurisdictione, quam habet in spiritualibus rebus praedictae Terrae Sanctae Luciae sunt locati, seu ingabellati Rev. Presbytero Francisco Trifiro de Terra Sanctae Luciae pro unciis quatraginta, et sex; et tar. viginti quatuor quolibet anno, ut patet in actis Notarii Thomae Barlachi de dicta Terra anno 1551 . . . . ℥ 46 24

Praedictus Capellanus major habet jurisdictionem praedictae Terrae Ordinariam in spiritualibus, sicut quilibet Praesul ex antiqua observantia, et solum tenetur tres unc. solvere Capellanis Matris Ecclesiae, et Universitas tenetur, ut intelleximus, de necessariis rebus pertinentibus ad cultum divinum Ecclesiarum praedictae Terrae providere, sed super hac re nullam potuimus invenire scripturam, nec etiam de redditibus Capellaniae majoris.

Ex libro Visitationis existente in officio Illustris Conservatoris Regii Patrimonii h. S. R.

CXLIII.

Abbas S. Luciae tamquam Capellanus major sedet in generalibus Regni Comitiis.

De Brachio Ecclesiastico.

Reverendus Archiepiscopus Panormitanus, et pro eo Rever. Episcopus Mazariensis.

Reverendus Archiepiscopus Messanensis, et pro eo Rever. Bartholomaeus Centelles,

Rever. Regius Capellanus Regni, et pro eo Ven. Paulus Finaglia.

Rever. Commendator Sac. Domus Mansionis Panormi, et pro eo Spect. Alphonsus Ruiz etc. etc.

Tom. II, Mem. dei Parlamenti ad ann. 1556 p. 280.

CXLIV.

Actus Regiae Visitationis Ecclesiae S. Luciae factae per Jacobum de Arnedo.

Capellania major hujus Regni Siciliae, cujus Magister Capellanus in praesentiarum extitit Multum Rev. D. Hieronymus de Zaffarana Siculus.

Praedictus Capellanus major habet jurisdictionem Terrae S. Luciae Ordinariam in Spiritualibus, sicut quilibet Praesul in sua Dioecesi ex antiqua observantia, qui, ut a multis intelleximus, solum tenetur ℥ tres solvere Capellanis majoris Ecclesiae, et populi tenentur de necessariis rebus pertinentibus ad divinum cultum Ecclesiarum praedictae Terrae providere; Verum super hac re nullam potuit invenire scripturam de transactione, seu pacto, quam fecit

Universitas cum Capellano majori super illius redditibus.

Habet redditus infrascriptos.

Inprimis Universitas Terrae Sanctae Luciae solvit quolibet anno un. 7 viginti quinque ex quodam pacto, seu conventione facta, ut ajunt, inter Capellanum majorem, et Universitatem super Baglia dictae Terrae, sed Reverendus Capellanus praetendit, quod tota Baglia ad ipsum pertinet, quoniam pro tota Baglia facta fuit conventio, et ut veritas appareat, fuit injunctum Juratis Universitatis, quod poena 9 *mille Fisco Regiae Monarchiae applicanda teneantur dictam conventionem obstendere, quam dicunt in eorum posse existere* . . . . 9 25 . .

Item jure Visitae solvit quilibet Sacerdos tarenum unum, et gr. decem singulis annis.

Item pro quolibet mortuo habet Capellanus major tarenum unum.

Item pro quadam portione Terrae existente in contrada di li terri forti confinante cum terris Universitatis, et via publica annuatim salma una frumenti.

Item est notandum, quod praedicti redditus cum aliis extraordinariis, quos consequitur ex ordinaria jurisdictione, quam habet in spiritualibus rebus praedictae Terrae Sanctae Luciae sunt locati, seu ingabellati Reverendo Praesbytero Francisco Trifiro de Terrae Sanctae Luciae pro unciis quatraginta sex, et tarenis viginti quatuor quolibet anno, ut patet in actis Notarii Thomae Barlachi de Civitate Messanae anno 1557 XV. Indict. (1) 9 46 24

Ex libro Visitationis existente in Officio Illustris Conservatoris Regii Patrimonii hujus S. R.

CXLV.

Capitulum Regiae Visitationis Ecclesiae S. Petri Terrae Calaxibettae factae per multum Spect., et Rever. Dominum Jacobum de Arnedo.

Canonicatus Ecclesiae S. Petri Parochialis Terrae Calaxibettae de jure patronatus regio, cujus in praesentiarum existit Rev. Dom. Fridericus de Termine in eadem Terra faciens residentiam. Multum Spect., et Rev. Dominus Jacobus de Arnedo S. T. Doctor Capellanus Suae Majestatis, ac generalis Visitator in hoc Siciliae Regno, dictam Ecclesiam. S. Petri 10 Aprilis primae Indictionis 1558 visitavit, ipsamque invenit valde ornatam, et in ea per Sacerdotes dictae Terrae optime, ac diligenter officia divina exequuntur.

Ex libro Visitationis in Officio Conservatoris R. P.

CXLVI.

Praevia Regis nominatione Gregorius XIII. confert Petro Mauriques Capellaniam magistram, seu majorem alias regiam nuncupatam Terrae S. Luciae . . . . . quae inibi officium existit.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Petro Mauriquez de Butiron Capellano Magistro, seu Majori alias Regio nuncupato Terrae San-

(1) Jacobus Arnedo bis Ecclesiam S. Luciae visitavit, anno videlicet 1552, et 1557.

ctae Luciae in plana Milatii Messanensis Dioecesis, salutem, et Apostolicam Benedictionem. Vitae, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque sicut accepimus Capellania Magistra, seu Major *alias Regia nuncupata* terrae Sanctae Luciae *in plana Milatii Messanensis Dioecesis, quae de jure Patronatus charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ratione Regni Siciliae, cujus ipse Philippus etiam Rex existit, esse dignoscitur; et quam quondam Hieronymus Zaffarana ipsius Capellaniae Capellanus Magister, seu Major alias Regius nuncupatus, dum viveret obtinebat per obitum ejusdem Hieronymi, qui extra Romanam Curiam, dum diem clausit extremum, vacaverit, et vacet ad praesens; nos tibi, quem praefatus Philippus Rex nobis ad hoc per suas literas nominavit, seu praesentavit etc. praemissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excomunicationis, et interdicti, etc. ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes* Capellaniam praedictam, quae inibi officium existit, et quandoque per Clericos Seculares quandoque vero per Regulares, *aut alias* prout pro tempore existenti Regi Siciliae placet, consuevit, *ac cujus fructus, redditus, et proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera secundum comunem existimationem, valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, etc. cum omnibus, et singulis juribus, jurisdictionibus, privilegiis, praeeminentiis, facultatibus, et indultis, et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, seu concedimus, et assignamus, ac de illa etiam providemus, teque in Capellanum* Magistrum, seu Majorem alias Regium nuncupatum dictae terrae *eadem auctoritate creamus, et deputamus; quo circa Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchae Alexandrino, et Archiepiscopo Messanensi, ac Decano Ecclesiae Messanensis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, te, vel Procuratorem tuum nomine tuo in corporalem possessionem Capellaniae, ac jurium, necnon jurisdictionum, et pertinentiarum praefatarum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detemptore, facientes te, vel pro te Procuratorem proefatum ad Capellaniam hujusmodi ut est moris admitti, tibique de illius proventibus, juribus, et redditibus, et obventionibus universis integre responderi, contradictores eadem auctoritate nostra appellatione postposita compescendo non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris nostri, aliisque apostolicis constitutionibus etc. Dat. Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae 1574 pridie Idus Februarii = Pontificatus nostri anno tertio.*

Ex literis exequutoriis exscriptis in lib. Merc. ann. 1575, et 1576 penes Officium Ill. Conservatoris.

CXLVII.

Capitulum Regiae Visitationis Ecclesiae S. Petri Calaxibettae factae per Ill., et Rever. Dominum D. Petrum Manriquez.

Canonicatus in Ecclesia Parochiali S. Petri Civitatis Calaxibettae de regio jure potronatus, cujus Canonicus in praesentiarum existit Rev. D. Andreas Patania nuper electus per Excellentiam Ill. Dom. Proregis,

Ill., et Rev. Dom. D. Petrus Manriquez Abbas Roccadiae, et Capellanus major Sacrae Caesareae Majestatis in hoc Siciliae Regno, ejusque omnium Visitator Ecclesiarum de regio jure patronatus per totam Vallem Nethi in dicto Regno, postquam die 28 Julii 7 Ind. 1579. Ecclesiam praedictam visitavit, matura consideratione praehabita, ac circumspectis omnibus necessitatibus, prout melius visum fuit expedire in honorem, et gloriam Omnipotentis Dei, decorem, et augmentum ipsius Ecclesiae, infrascriptas ordinationes inviolabiliter observandas statuit, ut infra.

Praefata Ecclesia est valde ornatu jocalibus, et ornamentis, et per Sacerdotes ejusdem Civitatis maxima cum diligentia servitur, et Missae majores diebus Dominicis, et festivis cantantur, et aliae missae lectae celebrantur, vespera, et divina officia decantantur. praedictus Canonicus habet suum dignitatem adnexam cum dicta Ecclesia parochiali S. Petri, cujus ipse est legitimus Beneficiatus.

Ex libro Visitationis adservato in Officio Conservat. Reg. Patrim.

CXLVIII.

Actus regiae visitationis Ecclesiae S. Luciae factae per S. Th. D. et Capellanum regium Franciscum de Puteo.

Capellania Major hujus Regni Siciliae in Terra S. Luciae, cujus hoc tempore est Major Capellanus Ill., et admodum Rev. D. Petrus Manriquez Hispanus, ut patet ex praesentatione Regis Catholici die etc. et institutione Reverendissimi Archiepiscopi Messanensis etc.

De servitiis Divini Cultus.

Capellanus major praedictus habet in Terra S. Luciae, et eidem Terrae subjectis Jurisdictionem Ordinariam in spiritualibus, sicut quilibet Praelatus in sua Dioecesi in omnibus, temporalem vero etiam in Personis Ecclesiasticis, atque ita ex antiquo tempore observatur, quod obligat Capellanum majorem, ut Praelatum hujus Dioecesis ad residentiam. In majori autem Ecclesia dictae Terrae Sanctae Luciae, quam solus Dominus Visitator, ut fieri consuevit, visitavit servitia divini cultus exequuntur per Sacerdotes Saeculares, qui in horas, et caetera Ecclesiae, ministeria incumbunt, Missas quotidie quinque celebrant, et quinque plures, ut retulerunt, diebus autem Dominicis, et Festis Missam decantatam, et in solemnitatibus majoribus, vesperas, matutinum, primam, tertiam, et Completam, singulis autem Sabatis per totum annum Missam decantatam de Beata Virgine, et vero Vigilias, quas vocant laudes, quolibet etiam die Lunae Missam decantari solent pro Defunctis a quinque annis hinc: in die autem SS.mi Corporis Jesu Christi, et per totam Octavam omnes horas Canonicas decantant.

De Redditibus Ecclesiae.

Inprimis super Baglia Terrae S. Luciae ℈ 22 quolibet anno.. ℈ 22 .. .. ..
Item petium Terrae in Territorio Sanctae Luciae in Contrata de Santa Catarina, ex qua quando seminatur percipitur Salma una, et tumula octo tritici.

Digitized by Google

Item ab haeredibus quondam Magnifici Francisci de Pactis super Praedio in Controta di lo Valluni, di la Butti, et loco quondam Pauli Cortina in supradicta contrata tar. 3 . . . ℈ . . 3 . .

Item ab haeredibus quondam Magnifici Antonini Pagano super Praedio in contrata Sanctae Mariae del Piano tar. 3 10 . . ℈ . . 3 10

Item a Francisco Sangrandi super quadam Domo in Terrae Sanctae Luciae tar. 4 . . . . ℈ . . 4 . .

Item ab haeredibus Pauli Florello super quodam praedio in contrata di lo Canali di la Petra Territorio Sanctae Luciae . . ℈ . . 10 10

Item a Francisco Zerilli, et Magistro Petro Rizzo super quodam petio Terrae in contrata di S. Antonio Territorio dictae Terrae ℈ . . 3 10

Et praeterea Capellanus major consequitur jura, quae ex administratione jurisdictionis spiritualis percipiuntur.

De Residentia Capellani majoris in Ecclesia.

Inter caetera, quae Majestas Regis Catholici in hoc Regno Sanctae Apostolicae Sedis legati districte praecipit in hac Visitatione extat, quod Dominus Visitator curet, quod quilibet ex Praelatis, Abbatibus, et caeteris resideat in sua Ecclesia, ejusque Ministeria personaliter curet, et sic omnis ejus Successor; Ideo inter praecipuas ordinationes ordinatur, quod Praelatus hujus Ecclesiae, ejusque Ministeria personaliter curet, et sic omnis ejus Successor in perpetuum, sub poena amissionis fructuum durante tempore, quo non resederit, contenta in Ordinatione, quae nuper facta est in hoc Regno de mandato Illustrissimi, et Excellentissimi Domini Proregis extra Ordinationem ejusdem Majestatis Catholicae.

Ex libro Visitationis existente in officio Illustris Conservatoris Regii Patrimonii h. S. R.

CXLVIII.

Exemplum Collationis Cantoriae sacri Regii Palatii Panormi, cum adjecta conditionali praesentatione.

Philippus etc.

Cum obitu Reverendi admodum in Christo Patris Cardinalis Lomellini Beneficium Cantoriae Ecclesiae Sancti Petri Palatii nostrae felicis Urbis Panormi vacare censeatur, quod de nostro jure Patronatus esse dignoscitur, velimusque id alicui personae idoneae, ac de nobis benemeritae providere, prae caeteris, qui se nobis obtulere, tu devote nobis dilecte Joannes Antoni Viperane Capellane noster ex praedicta nostro ulterioris Siciliae Regno in mentem venisti, de cujus vita, virtute, morum honestate, et sufficientia plene confisi, tenore praesentium de certa scientia, regiaque auctoritate nostra, et consulto, ex gratia speciali, maturaque nostri sacri supremi Consilii accedente deliberatione, dictum beneficium Cantoriae *praemisso modo vacans tibi dicto Joanni Antonio Viperano cum omnibus, et singulis juribus, annuo redditu proventibus, et emolumentis praeeminentiis, praerogativis, honoribus, et oneribus, et aliis ad dictum beneficium spectantibus, et pertinentibus, prout, et quemadmodum dictus Cardinalis Lomellinus illud habuit, tenuit, et possedit,* conferimus, concedimus, commendamus, vel te de illo instituimus, et si opus est, praesentamus, praesentatumque exhibemus. *Admodum Reverendum propterea in Christo Patrem Archiepiscopum Panormitanum, ejusque in spiritualibus, et*

temporalibus Vicarium Generalem, Canonicos, sive aliam quamcumque personam Ecclesiasticam, ad quam spectat, exhortantes ut dictum Beneficium tibi conferant cum omnium jurium plenitudine; mandantes insuper Illustri Principi Locumtenenti, et Capitaneo Generali nostro, coeterisque omnibusque, et singulis Officialibus, et Subditis nostris mojoribus, et minoribus in dicto nostro ulterioris Siciliae Regno, et praesertim Capitaneo, Praetori, Judicibus, et Juratis, probis hominibus, et Universitati dictae Urbis Panormi, quatenus te praedictum Joannem Antonium Viperanum in possessionem dicti Beneficii ponant, et inducant etc. Dat. in Olissipone die 17 mensis Julii anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo primo. Yo el Rey.

Ex literis exequutorialibus in Reg. Proton. R. S. anno 8. Indict. 1581, et 1582 fol. 61 retro.

CL.

Forma literarum, quibus Curia Archiepiscopalis Joannem Viperano Sacri Palatii Cantorem instituit.

Nos D. Caesar Marullus etc.

Admodum Reverendo D. Joanni Viperano Filio in Christo Dilecto salutem. Vitae, ac morum honestas, aliaque laudabilia virtutum, et probitatis merita, quibus apud nos fide dignorum testimonio comprobaris, nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est quod in praesentiarum vacat, et vacare dignoscitur Beneficium Cantoriae Ecclesiae Sancti Petri Palatii hujus Urbis Panormi de jure regio Patronatus, cujus nominatio, et praesentatio ad Sacram Catholicam Majestatem spectat, et quia tu per praefatam Catholicam Majestatem fuisti in dicto Cantoria nominatus, et in Cantorem praesentatus vigore Regiarum Literarum hujusmodi nominationis datarum Olissippone die 12 mensis Julii anno a Nativitate Domini 1581 cum suis literis exequutorialibus Dat. Messanae 16 Octobris X. Indict. 1581 nobis praesentatus auctoritate ordinaria confirmandus, et instituendus. Idcirco tenore praesentium auctoritate propria ordinaria, qua hac in parte fungimur, te in Cantorem dictae Ecclesiae Sancti Petri Palatii ejusdem Urbis Panormi, sic ut praemittitur vacans, substituimus, et quatenus opus est in Cantorem praedictae Cantoriae facimus, creamus, et nominamus, cum omnibus, et singulis juribus, redditibus, proventibus, et emolumentis, honoribus, et oneribus, et aliis ad dictum Beneficium legitime spectantibus, et pertinentibus, accepto prius a te solemni juramento solito, et consueto. Mandantes per has easdem, Reverendis Canonicis ejusdem Ecclesiae, et eorum cuilibet quem tu elegeris, quatenus te in actualem, realem, vacuam, liberam, et expeditam possessionem Beneficii ejusdem Cantoriae ponat, et inducat, positumque, et inductum te manuteneat, et defendat. Stallum in choro tradi faciat, et in fratrem ab ipsis Canonicis, et Clero recipi faciat, ac de redditibus, et introitibus ipsius integre, et indiminute satisfacere curet, amoto quovis illicito Detentore; Contradictores, et Rebelles quoscumque per Censuras Ecclesiasticas, et alia juris remedia necessaria, et opportuna compescendo, quoniam nos irritum, et inane decernimus, si secus super his contigerit, attentari. In cujus rei testimonium etc. Datum Panormi die 8 Novembris X. Ind. 1581.

D. Caesar Archiepiscopus Panormitanus.

Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Panormitanus

mandavit mihi Joseph Faraonio Mag. Not.

Ex regestis M. Curiae Archiepiscopalis h. U. Pan. de anno 1581.

CLI.

Miserrimus palat. Capellae status quo tempore eam invisit Regius Visitator Franc. de Puteo.

De Servitiis divini cultus.

Haec Ecclesia est parochialis sacri regii Palatii Urbis Panormi, et est pulcherrima, et ornatissima tota constructa ex labore mosayco, quam aedificare curavit Rex Rogerius primus, et eam ipse, atque alii multi Successores in Regno bonis pluribus dotaverunt, ut habetur ex privilegiis. Instituta autem fuit cum duabus dignitatibus videlicet Cantoris, ac Thesaurarii, duodecim Canonicis, duobus Personatibus, videlicet Subcantoris, et Magistri Scholarum cum quatuor Clericis pueris, et duodecim Sacerdotibus, quos vocant Correndatos: Ii omnes olim in ea divina officia exequebantur, ut in Ecclesiis Cathedralibus fieri solet. Dicti autem Ministri pro eorum substentatione plusquam tria millia ducatorum annui redditus consequebantur de redditibus Curiae, super proventibus veterum gabellarum Secretiae Panormi, et quadraginta aliarum Civitatum, et Oppidorum Regni. Nostra verò aetate ne assem quidem de eisdem redditibus gabellarum percipiunt, neque etiam Ecclesiae ministeria, ut solebant exercent, sed remanserunt iidem Ministri quodammodo solo nomine, nec redditus percipientes, nec Ecclesiae ministrantes, sed tantum accedunt ad Vesperas, et Missam decantatam dierum Festorum S. Petri 29 Junii, die 21 Februarii, et primo Augusti, atque etiam in die Ascensionis Domini ad solam processionem, quae ex eadem Ecclesia exire consuevit, et emolumenta, quae inde percipiunt, hoc tempore tantum sunt quadraginta unius piscis Tunni, quorum viginti sunt quinquaginta rotulorum, et reliqui quadraginta, ex quibus habet quinque Cantor, et reliqui triginta sex pisces distribuuntur inter reliquos ex Capitulo, et Clero, et Beneficiatos Ecclesiarum eidem Capellae subjectarum. Unde vero, et qua causa tantum Ecclesiae detrimentum evenerit, scire certo non potuit, antiquitate enim temporis latet, sed tota Ecclesiae cura remansit penes Cantorem, qui dum non residet, ponit in Ecclesia Sacerdotem, quem antiquitus vocabant Vicarium generalem in spiritualibus, nunc autem Capellanum, qui curam ejus gerit in administratione Sacramentorum, et celebratione Missae quotidianae, et consequitur a Cantore pro stipendio uncias duodecim singulis annis.

Sciendum est, quod praedicti Ministri Ecclesiae, qui ut dictum est, gaudent quoad modum solo nomine, accesserunt ad Dom. Visitatorem dicentes, et supplicantes in scriptis, quod ipsi prompti sunt ad Ecclesiae ministeria perficienda juxta ejus institutionem, modo eis assignentur iidem redditus, quos olim ad vitae substentationem, eorum praedecessores consequebantur, quibus Dominus Visitator respondit, quod de omnibus certiorem faceret suam Cathol. Majestatem, et interim pro servitio Ecclesiae providebitur ut convenit, sicut jam fecit, et expectatur responsio Consultationis.

Ex libro Visitationis adservato in Officio Conservatoris R. P.

CLII.

Hieronymus Reggio tamquam Capellanus Regni major inducitur in possessionem jurisdictionis in Palat. S. Petri Capellam.

Die trigesimo Octobris 14 Indictionis Millesimo quingentesimo octuagesimo quinto.

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi, in quo est nostra solus, vita, et resurrectio Amen. Notum sit omnibus, et singulis, quod Magnifici, et Reverendi Dominus D. Antonius de Ferrariis, et U. J. D. D. Philippus de Zuccaro, D. Bartholus Seullus, et Philippus de Conte Joanne Capellani, et Canonici Regii Ecclesiae Regalis S. Petri in sacro Regio Palatio hujus fel. Urbis Panormi mihi infrascripto Notario cogniti coram nobis Notario, et Testibus infrascriptis repraesentantes totum Capitulum dictae Regolis Ecclesiae, stante privilegio nominationis concesso, et facto per Suam Catholicam Majestatem Regis, et Domini nostri Philippi in personam Illustris, et admodum Reverendi Domini D. Hieronymi de Regio Magistri in Theologia, et U. J. Doctoris, et ejusdem Domini Regis Capellani Majoris, seu Magistri Capellani nuncupati Regni Siciliae vigore dicti Privilegii dati . . . . Bullarum Apostolicarum dotarum Romae apud Sanctum Petrum Primo May 13 Indictionis 1585 Pontificatus Domini nostri Domini Sixti Papae Quinti anno primo, ac literarum exequutorialium Excellentissimi Domini nostri Proregis hujus Siciliae Regni datarum Ponormi die 15 praesentis mensis Octobris Capitulariter congregati intus Thesaurum, sive Sacrestiam Sanctoe Regalis Ecclesiae virtute praesentis actus, et omni alio meliori modo, et remedio, ac sponte imposuerunt, et imponunt, immiserunt, et immittunt, ac induxerunt, et inducunt in veram, realem, actualem, et corporalem possessionem jurisdictionis dictae Ecclesiae Regalis Divi Petri in dicto Regio Palatio, et super ipsum Capitulum Regium dictum Illustrem, et Admirabilem *Dominum, et admodum Reverendum D. Hieronymum de Regio Magistrum in Theologia, et U. J. Doctorem, ac Domini nostri Regis Capellanum Majorem, seu Magistrum Capellanum nuncupatum Regni praedicti Siciliae etiom mihi Notario cognitum praesentem, volentem, et acceptantem, eumque acceptaverunt, et acceptant in eorum Superiorem, ac legitimum, et competentem Judicem, prout, et quemadmodum caeteri Majores, seu Magistri Capellani Regis, et Regni praedicti Siciliae fuerunt, et consueverunt habere virtute antiquorum privilegiorum ejusdem Regiae Capellae, et precise literarum observatorialium ipsorum factarum per bon. mem. Regis Martini. Dat. Cataniae die . . . . In quibus etiam fit mentio de Institutione Capellani Majoris in praedicto Regno Siciliae, ac omnium aliorum actorum, et scripturarum, et hoc per solitum, consuetum, et expressum juramentum possessionis fieri solemniter, et porticulariter, ut moris est, praestitum per ipsum Illustrem, et admodum Reverendum Dominum D. Hieronymum in manibus dicti Reverendi, et Regii Capituli corum Nobis Notario, et alia significantia dictom veram, realem, et corporalem possessionem dicti Officii Majoris, seu Majoris Capellaniae Regis in Regno praedicto juxta formam Sacrorum Canonum, et Sacri Concilii Tridentini. Unde ut in futurum appareat, factus est praesens actus possessionis, sua die, loco, et tempore valiturus.*

Digitized by Google

Praesentibus ibidem pro Testibus Venerabili Presbytero Antonino Falcone Presbytero Joanne Fontana Magistro Notario, Jacobo Scarfelletta, et Nobile Hieronymo Arinacio Civibus Panormi.

Ex actis quondam Notarii Octavii Sferlazzo Pan. quae habentur in Archivio Collegii Notar. Pan.

CLIII.

Regiae Monarchiae Judex, et Regius Visitator D. Emmanuel de Quero, et Torillo constituit, ut in Palatina Capella preces pro Rege fundantur.

De Oratione facienda pro S. C. et R. Majestate, et Prole Regia.

Cum satis congruum, et decentius sit, ut nobis benefacientibus . . . . . . vel quantum potest retributionem reddere, et quia praef. Cath., et Reg. Majestas solvi jussit, et mandavit scutos tresmille, et quingentos quolibet anno pro effectu supradicto, quia dos dotata per Seren. Regem Rogerium districte sciri non potest, prout diximus, justum est, ut pro ea, et prole regia orare debeamus. Ideo vi praesentis et merito salutaris obedientiae . . . . praecipimus, et in visceribus Charitatis Domini nostri Jesu Christi monemus, et hortamur, quatenus quotidie in celebratione omnium Missarum tam lectarum, quam cantatarum maxima cordis devotione orare debeatis divinam Majestatem pro S. C., et R. Majestate, pro Seren. Principe ejus Filio prole, et Familia Regia, ejusque Praedecessoribus, et Successoribus in dicto Siciliae Regno, ac pro dicto Seren. Rege Rogerio, et omnium Auxiliatorum in debellatione Saracenorum ab hoc Regno, et juxta formam primae institutionis dictae C., et R. Ecclesiae addendo illi orationi, quae in dies occurrit ibidem, et famulos tuos Sixtum Papam, Philippum Regem nostrum, et Principem nostrum cum prole regia, et Succ. et in fine cujuslibet Completorii dicatur Psalmus 129 De profundis, vel requiem aeternam, vel illa Oratio Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes, cum duabus orationibus sequentibus Deus veniae largitor etc. et Fidelium Deus omnium Conditor etc. pro venia supradictorum Auxiliatorum.

Ex libro Visitationis in officio Conservat. R. P.

CLIV.

Pan. Archiepiscopus bona cum venia palat. Capituli ordines confert in regia S. Petri Capella, ne adversus exemptionem ipsius Capellae praejudicium oboriatur.

Sua Excellenzia ha mandado escriva a V. S. que por esta vez sin prejudicio de la esenzion d' esta Real Capila de S. Pedro, permitta V. S. y el Cabildo de hazer ordines en ella el Sabado de estas temporas al Señor Arzobispo D. Diego de Haedo por aversele pedido mi Señora su Señoria Illustrissima, para poder vierlas den la Tribuna, V. S. mandarà se aga assi. Palermo.

Ex Archivio palat. Capellae.

Digitized by Google

CLV.

Obitu Hier. Reggio M. Capellanus a Rege eligitur, et Rom. Pontifici ad bullas collationis obtinendas commendatur Joannes de Espinar.

Nos Philippus etc. Cum obitu quondam D. Hieronymi Reggio intelleximus vacare Capellaniam Majorem, sive Magistram Sanctae Luciae in Plana Milatii in nostro ulterioris Siciliae Regno, quae de nostro jure patronatus esse dignoscitur, velimusque ejusdem administrationi personam non solum idoneam, et sufficientem, sed etiam de nobis benemeritam, ac dictae dignitati maxime convenientem sufficere, occurrit devotus nobis dilectus licentiatus Joannes de Espinar Tribunalis Sanctae Inquisitionis dicti Regni Fisci Patronus, quem ad dictam Capellaniam obtinendam elegimus, pro ut tenore praesentium de certa scientia, Regiaque auctoritate nostra, deliberate, et consulto maturaque Sacri nostri Supremi Consilii accedente deliberatione, dictum licentiatum Joannem de Espinar ad dictam Majorem, seu Magistram Capellaniam Sanctae Luciae in Plana Milatii obtinendam tamquam idoneam, sufficientem, et benemeritum personam eligimus, nominamus, et praesentamus. Beatissimum propterea Dominum nostrum Papam humiliter deprecantes, ut nostram hujusmodi electionem, nominationem, et praesentationem benigne admittere, et acceptare, dictamque Majorem, seu Magistram Capellaniam dicto licentiato Joanni de Espinar conferre, et providere, ac ipsum de ea instituere dignetur tamque personam per nos legitime praesentam cum omni juris plenitudine; nos enim concessioni, collationi, institutioni, et provisioni sic, ut praefertur, faciendae, assensum, et beneplacitum nostrum legitime plenimode impendimus, ac cum praesentibus adhibemus, per quas admodum Rev., ac Rev., Ven., et dilectos nostros Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos, Abates etc. et praesertim Messanensem Archiepiscopum hortamur: Ill. vero Proregi, seu Praesidi, et Capitaneo Generali nostro in dicto Regno, Mag. Justitiario, Praesidibus nostrae M. R. C. Patrimonii etc. sub nostrae gratiae, et amoris obtentu, poenaque ꝙ mille nostro inferendarum aerario dicimus, praecipimus, et jubemus eadem nostra regia auctoritate, ut nostram hujusmodi electionem, nominationem, et praesentationem, omniaque, et singula praecontenta tenentes firmiter, et observantes quasvis bullas, rescripta, et provisiones apostolicas super praemissis, vel effectu praemissorum, omniumque, et singulorum expediendas, dum tamen in ipsis de nostro jure patronatus, ac de hac nostra praesentatione fiat mentio, nullumque inde nobis, seu illi generetur praejudicium, exequi, et compleri faciant juxta illarum seriem, continentiam, et tenorem etc. Datum in Oppido nostro Matriti die 24 mensis Decembris anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo septimo = Yo el Principe; Vidit Comes Mirandae; Vidit Comes Generalis Thesaurarius; V. Saladinus Regens; V. Scudero R.; V. Lanz R.; V. Ribera R.; V. Celestris R.; V. Mainoldus R.; V. Constantius R.

Dominus Rex, et ejus nomine Dominus Princeps mandavit mihi Martino de Gante; solvit ꝙ unam: Atienca pro tax.

In Reg. Conserv. ex lib. Mercedum ann. 1598, et 1599 fol. 102.

CLVI.

Capellaniam majorem, seu Magistram S. Luciae Hier. Reggio obitu vacantem confert Clemens VIII. Joanni de Espinar.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei = Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Messanensis in spiritualibus Generali salutem, et apostolicam benedictionem = Dignum arbitramur, ut congruum in illis reddat se Sedes Apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur; Cum itaque, sicut accepimus, perpetua Capellania Regia major Regni Siciliae nuncupata in Ecclesia Sanctae Luciae Terrae ejusdem Sanctae Luciae in plana Milatii nullius Dioecesis *provinciae Messanensis, quae de jure patronatus carissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ratione Regni Siciliae, cujus dictus Philippus etiam Rex existit ex privilegio apostolico, cui non hactenus in aliquo derogatum esse dignoscitur, et quam quondam Hieronymus Regius perpetuus Capellanus Regius major dicti Regni nuncupatus in dicta Ecclesia, dum viveret, obtinebat, per obitum ejusdem Hieronymi, qui extra Romanam Curiam, diem clausit extremum, vacaverit, et vacet ad praesens; nos volentes dilectum Filium Joannem de Espinar Rectorem Ecclesiae Sancti Michaelis Mazariensis Dioecesis asserentem se ex Dioecesi Messanensi oriundum, ac Procuratorem, et Advocatum Fiscalem Officii Inquisitionis hereticae pravitatis dicti Regni existere, ac secundo dictam Ecclesiam,* quae sine cura est, personalemque residentiam non requirit, *ac cujus fructus, redditus, et proventus centum ducatorum auri de Camera secundum communem existimationem valorem annuum non excedunt, obtinere, necnon ad dictam Capellaniam, ut praedicitur, vacantem a praedicto Philippo Rege intra legitimum tempus praesentatum fuisse apud nos, de vitae, ac morum honestate, aliisque probitatis, et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, ipsumque Joannem a quibusvis excomunicationis, suspensionis, et interdicti etc. ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes discretioni tuae, cum, ut dictus Joannes etiam asserit, Venerabilis Frater noster Archiepiscopus Messanensis dictae Terrae Ordinarius vicinior existat per apostolica scripta mandamus, ut, si per diligentem examinationem praedictum Joannem ad hoc idoneum esse repereris super quo conscientiam tuam oneramus* Capellaniam praedictam, quae sine cura est, *ac cujus, et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus viginti quatuor ducatorum similium secundum existimationem praedictam valorem annuum, ut dictus Joannes similiter asserit, non excedunt, et cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, et pertinentiis suis eidem Joanni intra triginta dies, postquam praesentes literae tibi praesentatae fuerint auctoritate nostra conferas, et assignes, inducens per te, vel aliquem, seu alios, ipsum Joannem, vel Procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem etc. Dat. Ferrariae anno Incarnationis Dominicae* 1598 *nonis Octobris; Pontificatus nostri anno septimo.*

Ex literis Exequutoriis exscriptis in lib. Merc. ann. 1598, et 1599 fol. 102 penes Officium Ill. Conservatoris.

CLVII.

Obitu Jo. de Espinar in majorem Capellanum S. Luciae Rex eligit, et S. Sedi praesentat Simonem Rao, et Grimaldi.

Nos Philippus Dei gratia Rex Castellae, Aragonum, Legionis, et Insulae Siciliae, Hierusalem etc. Cum obitu quondam licentiati praedicti de Espinar, intellexerimus vacare Capellaniam majorem sive maximam Capellaniam in plana Milatii in nostro Siciliae Regno, quae de jure nostro Patronatus esse dignoscitur; volumus, ejusdem administrationi personam idoneam, et sufficientem, sed etiam de nobis benemeritam, ac dictae dignitati maxime convenientem sufficere: occurrit Ven. nobis dilectus D. D. Simon Rao, et Grimaldi Capellanus noster, quem ad dictam Capellaniam obtinendam eligeremus, prout tenore praesentis de certa scientia, regiaque auctoritate nostra deliberate, et consulto, maturaque nostri Supremi Consilii accedente deliberatione dictum D. D. Simonem Rao, et Grimaldi ad dictam majorem, seu maximam Capellaniam S. Luciae in plana Milatii obtinendam tamquam idoneam, et benemeritam personam eligimus, nominamus, et praesentamus. Beatissimum propterea Dom. nostrum Papam humiliter deprecantes, ut nostram hujumodi electionem, nominationem, et praesentationem benigne admittere, et acceptare, dictamque majorem, seu maximam Capellaniam D. D. Simoni Rao conferre, et providere, ac ipsum de ea instituere dignetur, tamquam personam per nos legitime praesentatam, cum omni juris plenitudine: nos enim concessioni, collationi, institutioni, et praesentationi, sicut praefertur faciendae assensum, et beneplacitum regium plenimode impendimus, ac cum praesentibus adhibemus; per quas admodum Rev., Ven. dilectos nostros Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos, Abbates etc. ad quos spectat, et praesertim Mess. Archiepiscopum hortamur, Ill. vero Viceregi, seu Praesidi, et Capitaneo generali nostro in dicto Regno, Mag. Justitiario Praesidibus M. R. C. etc. sub nostrae gratiae, et amoris obtentu, poenaque ꝯ mille nostro inferendarum aerario, dicimus, praecipimus, et jubemus eadem nostra regia auctoritate, ut nostram hujusmodi electionem, nominationem, et praesentationem, amniaque, et singula in ea contenta tenentes firmiter, et observantes, quasvis Bullas, et scripturas, et provisiones apostolicas super praemissis ad effectum praemissorum omnium, et singulorum expediendas, dum tamen in ipsis de dicto jure patronatus, ac de hac nostra praesentatione fiat mentio, nullumque inde nobis, seu illi generetur praejudicium, exequi, et compleri faciant juxta illarum seriem, continentiam, et tenorem etc. Datum Vallis Oleti die XV. mensis Augusti anno a Nativ. Domini 1602 = Yo el Rey.

Ex literis Ill. Dom. D. Vincentii de Neapoli Pact. Episcopi ad Palat. Capitulum infra exhibendis.

CLVIII.

Clemens VIII. Capellaniam majorem R. S. in Ecclesia S. Luciae nullius Dioecesis, cuique cura jurisdictionalis tantum immineat, obitu Jo. de Espinar confert Simoni Rao, et Grimaldi.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei etc. Ven. Fratribus Mess., et Pan. Archiepiscopis, ac Episcopo Pactensi salutem, et Apost. benedictionem. Devotionis, et familiaritatis obsequia, quae dilectus Filius Mag. Simon Rao de Grimaldis Rector Ecclesiae S. Michaelis loci de Scopello Mess. dioecesis U. J.

D., et in utraque signatura Referendarius, familiaris, Nobis, et apost. Sedi hactenus impendit, et adhuc solicitus, sedulusqe impendere non desistit, nec non scientia, vitae, et morum honestas, atque laudabilia probitatis, et virtutis merita, quibus personam suam tam familiari experientia, quantum etiam testimoniis sincere percepimus, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque sicut accepimus perpetua Capellania major Regni Siciliae nuncupata in Ecclesia S. Luciae Terrae ejusdem S. Luciae in plana Milatii nullius Dioecesis Provinciae Messanensis *de jure patronatus dilecti in Christo Filii nostri Philippi Hispaniae Regis Cath. Regni Siciliae, cujus etiam Philippus ipse Rex existit, ex privilegio apostolico, cui hactenus in aliquo derogatum non esse dignoscitur, et quam quondam Jo. de Espinar perpetuus Capellanus major nuncupatus in dicta Ecclesia S. Luciae, dum viveret, obtinebat, per obitum ejusdem Joannis, qui extra Rom. Curiam diem clausit extremum, vacaverit, et vacet ad praesens; Nos eidem Simoni continue commendato, quem idem Philippus Rex adhuc per suas literas praesentavit, quique, ut asserit, ex Civitate Messanae oriundus, ac ejusdem Philippi Regis Capellanus existit . . . . praemissorum obsequiorum, et meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ipsum Simonem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque eccles. sententiis, censuris, et poenis etc. harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, devotioni vestrae per apost. scripta mandamus, quatenus vos, vel tu, aut unus vestrum per vos, vel alios Capellaniam praedictam,* cui cura jurisdictionalis *tantum imminet, ac cujus et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera secundum existimationem praedictam valorem annuum, ut dictus Simon asserit, non excedunt . . . . dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui speciale jus quaesitum, cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, et pertinentiis suis, eidem Simoni conferre, et assignare auctoritate nostra curetis; inducentes eumdem Simonem, vel Procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Capellaniae, ac annexorum, juriumque, et pertinentiarum etc. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1603 Idus Decembris Pontificatus nostri anno duodecimo.*

Ex literis Episcopi Pactensis Vincentii de Neapoli infra referendis.

CLIV.

Regius Visitator Philippus Jordi jurisdictionem in Capellam sacri Palatii Reg. Mon. Judici attribuit.

Idem Reverendissimus de Torre, ad quem hodie tamquam Judicem exemptorum jurisdictio in Regiam Capellam, ejusque Ministros spectat, pro sua auctoritate agat, ut praedicta sua, et nostra Decreta pro Dei Omnipotentis, et S. C. M. servitio debite executioni demandentur = Chori disciplinam tam pie ac religiose a Dominatione sua Reverendissima in Tabella ad formam redactam in Sagristia, ac loco conspicuo apponi faciat, ac jubeat, Tabellam aliam pro distributione horarum, quibus ad praescriptum suarum ordinationum Divina officia congrue singulis diebus pro temporum varietate persolvantur, ac perpetuo celebrentur edi praecipiat, ut sic Divinus cultus augeatur, ac sacra Ministeria in hac Capella Regia Majoris Religionis decore emineant.

Ex libro Visitationis in Officio Conservatoris.

CLX.

Sententia Tribunalis R. Mon. quae attribuit Parocho, et Praelato S. Luciae ℈ 600 singulis annis ab Uuiversitate solvendas.

In Dei nomine, Amen.

Providendus est processus summarie, et de plano juxta formom rithus pragmaticoe, et omni alio meliori modo, et remedio vertens in Tribunali Regioe Monarchiae inter D. Simeonem Rau, et Grimaldi Sanctissimi Domini nostri PP. in utraque signatura referendarium, et verum Parochum, et Praelatum ordinarium Terrae Sanctae Luciae, ejusque dioecesis, Capellanum Majorem S. C. M. in hoc Siciliae Regno, actorem ex una, et Thomam de Patti, Joseph Monforti, Marcum Sisilli, et Mortium Trovato Juratos, et Ascanium Carrozza Sindaeum praedictoe Universitatis Sanctae Luciae, et Andream Trovato Sindacum, et Procuratorem electum tam ab universitate, quom a singulis, et ad hanc causam tam Juratorio, quam Sindicatorio nomine, quam nomine, et pro parte omnium, et singulorum Civium, ac nomine proprio eorum, et uti uuiversos, et uti singulos, et omni, et quocumque alio nomine meliori, et modo conventos ex altera, in causa petictionis decimarum praesentium praeteritarum, et futurarum, reolium, et personolium, privotorum, et obligatarum inter eos vertente, et hoc stante sententia, seu interloquutoria lata per dictum Tribunal die 13 Decembris nonae Indictionis 1604. pp. per quam fuit provisum, quod cousa remaneat in dicto Tribunali petictionis ex parte dicti de Rau, et Grimaldi actoris dictis nominibus per dictum Tribunal Regiae Monarchiae summarie, et de plano juxta formam novae Pragmoticae, et omni alio meliori modo, remedio, non obstare ipsi D. Simeoni actori dictis nominibus aliquam exceptionem majorem, vel minorem, praescriptionem longi, et longissimi temporis, transactionis, quietactionis, pacto de non opponendo, juris jurandi, litis finitae, vel alium quemcumque impedimentum litis ingressae, quo declarato habitis pro nullis, et invalidis, et quatenus opus est pro rescissis quibuscumque assertis actis transactionis, et aliis forte factis in praejudicium ipsius Ecclesiae, et contra formom canonis, et enormem, et enormissimam laesionem ipsius de Patti, Monforti, Sisilli, et Trovato, et Carrozza, et Andreae Trovato propriis, et dictis nominibus tam uti universi, quam uti singuli, et omni alio meliori modo, et nomine nec non totus Populus, et gentes praedictae Terrae Sanctae Luciae ejusque Dioecesis utriusque sexus Ecclesiastici, et Saeculares, pauperes, et divites prout singuli condemnentur, et cogantur solvere, et tradere ipsi actori dictis nominibus totas, et integras decimas primitias, et oblactiones reales, et personales, praeteritas, praesentes, et futuras super omnibus eorum bonis mobilibus, et stabilibus, animalibus, facultatibus, et aliis rebus fructum, et redditum reddentibus temporibus debitis, congruis, et opportunis una cum omnibus damnis, interesse, et expensis passis, et patiendis, foctis, et faciendis usque ad sententiam diffinitivam legitime transactam in rem judicatam, etiam impensis ipsius liquidatis, et liquidandis ex processu vel extra, etiam post sententiam omni meliori modo, et ex porte conventorum, imo per dictum Tribunal Regiae Monarchiae actorem condemnari ad omnes expensas litis, et extra in processu, vel extra legitime liquidandas, et ab asserta inepta, et indebita petictione dicti actoris omnino absolvi, et penitus liberari debere, juribus, rationibus, copitibus, et causis in processu deductis, et declaratis, et aliis ex utraque parte

Digitized by Google

tam in voce, quam in scriptis dictis, et allegatis.

Jesus

Provisum est per Nos Licentiatum D. Joannem de Torres Osorio Abbatem Terranae, et Judicem ordinarium Tribunalis Regiae Monarchiae in hoc Siciliae Regno pro S. C. M. quod declaretur, pro ut nos declaramus, non obstare transactionem, consuetudinem, sive praescriptionem isti actori quo ad partem decimarum sibi competentium ratione congruae sustentactionis, quo declarato conventi condemnentur, et cogantur solvere dicto actori nominibus in processu uti eorum ordinario, et patrono pro ejus congrua sustentactione, ac mercede laboris in animarum cura, et Sacramentorum administractione *impendendi* ℈ *sexcentas quolibet anno super omnibus possessionibus, et praediis existentibus in Territorio praedictae Universitatis, ac fructibus eorum etiam industrialibus, inclusis in dicta summa* ℈ *22 solitis solvi per dictam Universitatem, quas* ℈ 600 *uti possit dictus actor juribus omnibus, ac privilegiis, quae pro exactione integrarum decimarum sibi de jure competerent, compellendo dominos seu possessores praedictorum praediorum per edicta publica in diebus tribus Dominicis, vel festivis promulganda tam in Ecclesia Parochiali quam in aliis Ecclesiis Sacramentalibus dictae Terrae, sub poena ei, et Successoribus bene visa revelare quolibet anno fideliter integre, et indiminute numerum, pondus, vel mensuram, aut quantitatem fructuum a quolibet praedio perceptorum, antequam in horreis vel domibus dicti fructus sint reconditi, et super dictis revelactionibus, et informationibus super hoc recipiendis per dictum actorem ejusque Successores taxari debeant taxa ab unoquoque ipsorum solvenda, dicta taxa fieri, et existimari debeat quolibet anno per dictum actorem, ejusque successores, aut alias personas per eos eligendas in tantum, quod licitum sit Syndaco, qui pro tempore erit alienae personae per Juratos, et Syndacum, et Consortem dictae Terrae, sive Universitatis eligendae supradictae taxae intervenire, et quod etiam licitum sit dictis Juratis, et Syndaco dictas* ℈ *600 solvere dicto actori, ejusque Successori quolibet anno tertiatim, vel temporibus quibus dicti fructus perciperentur, antequam in dictis horreis, seu domibus colligantur, et tali casu dictus actor, ejusque Successores teneantur acceptare praedictas solutiones, et nullam possint inferre molestiam dictis dominis, et possessoribus pro praedict.* ℈ *600 exactione, et recuperactione, et praedictae* ℈ *600 solvi debeant ab hodie in anthea una cum interusuriis dictarum* ℈ *22 legitime debitis, et non exactis per dictum actorem, a caeteris autem dicti Conventi absolvantur, et liberentur expensis hic inde compensatis. Hanc nostram etc.*

Praesentata Panormi die 12 Februarii quintae Ind. 1607 in Judicio. Francisus Rubino Mag. Not.

CLXI.

Confirmatur in Tribunali Concistorii praefata sententia Reg. Mon.

Jesus

Provisum est per nos Judicem Ecc. in causa cum voto, et consilio supradicto, quod sententia praedicta die quo supra lata per dictum Tribunal Regiae Monarchiae quatenus concurrit cum praesenti confirmetur, et quatenus non

concurrit corrigatur, nihilominus facta relactione S. E. juxta formam provisionum obtentarum per ambas partes existentium penes Regiam Secretariam diebus etc. et nihilominus declaretur, pro ut nos declaramus, non obstare transactionem, consuetudinem, nec praescriptionem isti actori, quo ad partem decimarum competentium ratione congruae sustentactionis; quo declarato conventi condemnentur, et cogantur solvere dicto actori nominibus in processu uti eorum ordinario, et Parocho pro ejus congrua sustentactione, ac mercede laboris in animarum cura, ac Sacramentorum administratione *impendendi ℈ 600 quolibet anno super omnibus possessionibus, ac praediis existentibus in Territorio praedictae Universitatis, ac fructibus eorum etiam industrialibus, inclusis in dicta summa ℈ 22 solitis solvi per dictam Universitatem, quas ℈ 600 praedictus actor percipere, et exigere debeat a Dominis, et possessoribus dictorum praediorum pro ratha fructuum quolibet anno percipiendorum; Ita quod dicta ratha decimam partem non excedat, et in exactione, et consequutione dictarum ℈ 600 uti possit dictus actor juribus, actionibus, et privilegiis, quae pro exactione integrarum decimarum sibi de jure competerent; dictos Dominos, seu possessores dictorum praediorum, per edicta publica in diebus tribus Dominicis, vel festivis promulganda tam in Ecclesia Parochiali, quam in aliis Ecclesiis Sacramentalibus dictae Terrae, sub poena ei, ejusque successoribus benevisa revelare quolibet anno fideliter, integre, et indiminute numerum, pondus, vel mensuram, aut quantitatem fructuum a quolibet praedio perceptorum, antequam in horreis, vel domibus etiam dicti fructus reconditi, et super dictis relactionibus, aut informactionibus super hoc recipiendis per dictum actorem, ejusque successores taxari debeat quolibet anno per actorem, ejusque successores, aut aliam personam per eos eligendam, ita tamen quod licitum sit Syndaco, qui pro tempore erit, vel aliae personae per Juratos, et Cons. dictae Terrae seu Universitatis eligendae, praedictae existimationi, seu taxiae interesse, quam etiam sit in electione dictorum Juratorum, et Syndaci dictas ℈ 600 solvere dicto Actori, ejusque Successoribus quolibet anno tertiatim, vel temporibus, quibus dicti fructus percipiuntur antequam in dictis horreis, seu domibus recolligantur, et tali casu dictus actor, ejusque successores teneantur acceptare praedictas solutiones, et nullam possint inferre molestiam dictis Dominis, et possessoribus praedictarum ℈ 600, et praedictae ℈ 600 solvi debeant actori a die litis contestatae, et ad ejus instantiam tentatae, et prosequutae; a caeteris vero dicti conventi absolvantur, et liberentur pro ut nos absolvimus, et liberamus, salvis juribus eisdem conventis, sique sibi competunt contra quasvis personas habitantes extra territorium dictae Universitatis, quae possideant praedia, loca, territoria, seu quasvis alias terras existentes in dicto Territorio contribuendi in solutione praedicta, expensis hinc inde compensatis.*

Hanc nostram.

Praesentata Panormi 13 *Julii* 9 *Ind.* 1611 *in Judicio.*

Ex actis Curiae CC. DD. extracta est Messanae die 8 *Aug.* 9 *Ind. ann.* 1711.

Collat. salv.

Vincentius Gentile pro Mag. Not.

In Archivio Reg. Capellae.

CLXII.

Mandat Pact. Episcopus tamquam Delegatus Apost. Palatino Capitulo, ut palat. Capellae, et Ecclesiarum ei adnexarum possessionem tradant Simoni Rao uti Capellano majori.

Nos D. Vincentius de Neapoli Dei, et Apost. Sedis gratia Episcopus Pactensis, Regius Consiliarius, et Delegatus Apostolicus in causa, omnibus, et singulis Personis Ecclesiasticis, ac admodum Reverendo Capitulo Imperialis, et Regalis Capellae, et Ecclesiae Apost. S. Petri Sacri Regii Palatii fel. Urbis Pan., cui, vel quibus praesentes praesentatae fuerint salutem, et Spiritus Sancti gratiam. Nuper pro parte Rev. Domini Simonis Rao, et Grimaldi Praelati S. Luciae, et Regii Capellani Majoris hujus Siciliae Regni fuerunt tamquam Delegato nobis exhibitae, et praesentatae quaedam Apostolicae literae cum duabus Viceregiis exequutoriis, quarum tenor talis est. Philippus etc. Vicerex etc. . . . . Tenor vero Apostolicar. literarum ut sequitur. Clemens etc. . . . . Et licet fuerint alias emanatae literae subdelegatoriae Rev. D. D. Francisco Carrobba commoranti in Terra S. Luciae, pro tradenda dicto Rev. D. Simoni Rao possessione Ecclesiae S. Luciae, pro ut habuit, quum non fuerit hactenus ab ipso capta possessio omnium assertorum jurium, et pertinentiarum suarum extra servitium Dioecesis, et jurisdictionem praedictam Ecclesiae S. Luciae, nec alicui subdelegato ad hoc commissum fuerit, ut eum in praefatorum, et annexorum, et pertinentiarum possessionem immitteret, et ob id non fuerunt exequutae integraliter praefatae Apostolicae literae, cum inter caeteras pertinentias velit praedictus de Rao capere possessionem praedictae Imperialis, et Regiae Capellae, et Ecclesiae Principis Apostolorum S. Petri S. R. Palatii fel. Urb. Pan., et annexar. sub poena, quia ut ipse asserit Ven. Ecclesiae S. Luciae annexa, veluti Regius Capellanus Major, seu Magister Regni, et prout caeteri hujus Regni Siciliae Regii Capellani Majores, seu Magistri ceperunt, et praecipue ejus praedecessor D. Hieronymus de Reggio die XXX. Octobris XIII. Ind. 1685 vigore Bullarum Apostolicarum dat. Romae apud S. Petrum primo Maii XIII. Ind. 1585 Pontificatus Xisti PP. V. anno primo, ac exequutorialium Exc. Proregis dat. Pan. die XV. praedicti mensis Octobris ejusdem anni, ut ex actis possessionis celebratae in actis die quo supra Not. Octavii Sferlazzo Civ. Pan. constat. Propterea vobis dicimus, et per praesentes exprese mandamus, quatenus vos, vel quilibet vestrum Imperialem, et Regiam Capellam, et Ecclesiam supradictam Principis Apostolorum S. Petri Sacri Regii Palatii fel. Urb. Pan., ac omnes alias Ecclesias eidem Capellae subjectas cum annexis, et omnibus juribus, et pertinentiis suis praedicto Rev. D. Simoni Rao conferre, et assignare auctoritate Apostolica curetis, dummodo non sit in ea, vel qualibet de annexis, et subjectis alicui legitime, et specialiter jus quaesitum; inducentes eumdem Rev. D. Simonem, vel suum Procuratorem ejus nomine in realem, corporalem possessionem praefatae Imperialis Capellae, ac Ecclesiarum sibi subjectarum, et annexarum usque in praesentiarum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illegitimo, et illicito detentore, ac facientes praedictum de Rao, vel pro eo Procuratorem suum ad Imperialem Capellam hujusmodi, et suorum annexorum, ut moris est, admitti, juxta formam, seriem, et tenorem praedictarum bullarum Apostolicarum, et earum clausulas de verbo ad verbum, facientes omnia, et quaecumque prout in illis jacent observare, contradictores praefata auctoritate Apostolica, appellatione postposita, compescendo non ob-

Digitized by Google

stantibus quibuscumque. Dat. in nostro Palatio Pactarum die XXVIII. Septembris XIII. Ind. 1616.

Vincentius Episcopus Pactensis.

De mandato Illustrissimi, et Reverendissimi Domini.

Hieronymus Cafarellus Mag. Not.

In Arch. Reg. Capellae Panorm.

CLXIII.

Actus Archiep. Curiae pro servanda aequalitate inter duo Capitula Metropolitanum, et Palatinum in solemni supplicatione, quae indicta fuerat in gratiarum actionem pro captis septem Turcarum Triremibus.

Die 26 Septembris XII. Ind. 1613. Cum sit celebranda solemnis processio obtentae victoriae a Triremibus hujus Regni Siciliae, in qua Capitulum Clerus, et omnes Religiones intervenire debeant ad effectum gratias reddendi Deo, Beataeque semper Virgini Mariae, prout est ordinatum hoc fieri cum omnibus solemnitatibus ad hunc effectum ordinatis; et quia principium processionis est ab Ecclesia D. Petri Regii Palatii, Illustriss. Dominus Cardinalis voluit, quod in dicta processione interveniant Canonici, et Clerus Regii Palatii modo, et forma, ut concordatum est cum Illustriss. Dom. Card. Archiepiscopo, videlicet: Minor Canonicus Regii Palatii cum Minore Majoris Ecclesiae, Secundus cum Secundo, Tertius cum Tertio, et sic successive, ita ut ordo incipiat a Minoribus, et successive subsequatur: et circa vestimenta Canonici Palatii induant ea vestimentorum genera, quae induunt eorum socii majoris panormitanae Ecclesiae, quibus associantur, et Cantor Regii Palatii incedat ultimus ad sinistram Cantoris majoris pan. Ecclesiae, nec ullus alius Canonicus nec a dextris, nec a sinistris interveniat; et quod ex causa dictae ordinatae processionis nullum intelligatur, nec sit praejudicium generatum, nec generandum utrique parti, sed semper sit remotus omnis consensus ab actu in praejudicialibus, et non aliter, nec alio modo. Unde de mandato Illustriss. Domini Cardinalis factus est praesens actus hodie die quo supra, suis die, loco, et tempore valiturus. Unde etc. Scribatur Bissus Vicarius generalis.

Ex Officio Curiae Archiepiscopalis.

CXLIV.

Obitu Simonis Rao, et Grimaldi Antonius Franco Capellanus major S. Luciae a Rege nominatur, cum formulis praesentationis directae ad S. Pontificem.

Nos Philippus Dei gratia Rex Castellae, Aragonum legionis, utriusque Siciliae, Hierusalem etc. Cum obitu quondam Doctoris D. Simeonis Rao intellexerimus vacare Capellaniam Majorem, sive Magistram S. Luciae in Plana Milatii in nostro ulterioris Siciliae Regno, quae de nostro jure patronatus esse dignoscitur, velimusque ejusdem administrationi personam idoneam, et sufficentem etiam de nobis benemeritam, ac dictae dignitati maxime convenientem sufficere, occurrit Venerabilis nobis dilectus Doctor D. Antonius Franco Capellanus noster, quem ad dictam Capellaniam obtinendam eligeremus pro ut tenore praesentium de certa scientia, Regiaque auctoritate nostra deliberate, et consulto, maturaque sacri nostri supremi Consilii accedente deliberatio-

Digitized by Google

ne dictum Doctorem D. Antonium Franco ad dictam Majorem, seu Magistram Capellaniam S. Luciae in Plana Milatii obtinendam tamquam idoneam, sufficientem, et benemeritam personam, eligimus, nominamus, et praesentamus cum reservatione quatuorcentum Scutorum annuae pensionis personae, aut personis a me nominandis. Beatissimum propterea Dominum nostrum Papam humiliter deprecantes, ut nostram hujusmodi electionem, nominationem, et praesentationem benigne admictere, et acceptare, dictamque Majorem, seu Magistram Capellaniam dicto Doctori D. Antonio Franco conferre, et providere, ac ipsum de ea instituere dignetur tamquam personam per nos legitime praesentatam cum omni juris plenitudine. Nos enim concessioni, collationi, institutioni, et provisioni sic (ut praefertur) faciendas assensum, et beneplacitum nostrum Regium plenimode impendimus, ac cum praesentibus adhibemus, per quas admodum Reverendos, ac Reverendos, Venerabiles, et dilectos nostros Archiepiscopos, Episcopos etc. dicti nostri ulterioris Siciliae Regni, ad quos spectat, et praesertim Messanensem Archiepiscopum hortamur Illustri vero Proregi, seu Praesidi, et Capitaneo Generali nostro in dicto Regno Magistro Justitiario, Praesidibus etc. sub nostrae gratiae, et amoris observantia, poenaque ꝯ mille nostris inferendarum Aerariis dicimus, praecipimus, et jubemus eadem nostra Regia auctoritate, ut nostram hujusmodi electionem, nominationem, et praesentationem, omniaque, et singula praecontenta tenentes firmiter, et observantes quasvis Bullas, et Rescripta, et provisiones Apostolicas super praemissis, vel ad effectum praemissorum omnium, et singulorum expediendas dum tamen in ipsis de dicto jure Patronatus, ac de nostra praesentatione fiat mentio, nullumque inde nobis, seu illi generet praejudicium exequi, et compleri faciant juxta illarum seriem, continentiam, et tenorem etc. In cujus rei Testimonium praesentes fieri jussimus nostro communi Negotiorum praedicti nostri ulterioris Siciliae Regni sigillo a tergo munitas dat. in Aranjuez die XII. mensis Novembris anno a Nativitate Domini 1616. Yo el Rey. Vidit Comes Delemos. Vidit Guintana Puegna R. Vidit Cacinus R. Vidit Carolus de Tapia R. Vidit Montoya de Cardona R. Vidit D. Philippus de Harò R. Vidit Marius Cannizzaro R. Dominus Rex mandavit mihi Laurentio Aguirre R. solvit ꝯ duas Atienca pro taxatione in Privilegiorum Siciliae XIII. fol. 176.

Hujus exemplar cum literis exequutoriis datis Pan. die 22 Aprilis 1617 habetur in Archivio Reg. Capellae.

CLXV.

Ad Regis praesentationem Paulus V. S. P. obitu Simonis Rao Capellanum majorem R. S. in Ecclesia S. Luciae nullius Dioecesis instituit Antonium Franco.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis Filiis Magnifico Dominico Pinello in utraque Signatura nostra Referendario, ac Vicariis Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscopi Messanensis, et Episcopi Pactensis salutem, et Apostolicam benedictionem. Literarum scientia, vita, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita super quibus dilectus Filius Antonius Francus Presbyter perpetuus Beneficiatus in Ecclesia Castri Suessani Aversanae Dioecesis Utriusque Juris Doctor apud Nos fide digno Testimonio Nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque sicut accepimus perpetuam Capellania major Regni Siciliae nuncupata in Ecclesia

Digitized by Google

Abbatia nuncupata S. Luciae ejusdem S. Luciae in Plana Milatii nullius Dioecesis Provinciae Messanensis, quae de jure Patronatus Carissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ratione dicti Regni, cujus Ipse etiam Rex existit, ex Privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, et quam quondam Simeon Rao de Grimaldis in dicta Ecclesia S. Luciae perpetuus Capellanus major nuncupatus in utraque Signatura nostra Referendarius dum viveret, obtinebat; per obitum ejusdem Simeonis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit, et vacet ad praesens, nos praefato Antonio, qui a dilectis Filiis examinatoribus in Urbe Deputatis examinatus, et idoneus repertus fuit, et ut asserit ex Civitate Neapolitana oriundus, ac praefati Philippi Regis Capellanus existit etc. praemissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ipsumque Antonium a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis etc. harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios Capellaniam praefatam, cui cura praeter quam jurisdictionalis non imminet, *ac cujus, et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus septingentorum ducatorum similium secundum extimationem praefatam valorem annuum, ut dictus Antonius etiam asserit non excedunt, etc. cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, et pertinentiis suis eidem Antonio conferre, et assignare auctoritate nostra curetis, inducentes ipsum Antonium, vel Procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Capellaniae, et annexorum, juriumque, et pertinentiarum praedictarum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, facientes Antonium, vel pro eo Procuratorem praefatum ad Capellaniam hujusmodi, ut est moris, admitti; de illius, ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra praefata appellatione postposita compescendo, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris nostri, et aliis Apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscumque etc. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae 1616 3 Idus Februarii, Pontificatus nostri anno XII.*

Hujus exemplar cum Viceregiis exequutoriis sub die 22 Aprilis 1617 extat in Archivio Reg. Capellae.

CLXVI.

Card. Doria Pan. Archiep. declarat, omnes Palatii familiares, extra Palatium obeuntes, ad Reg. Capellam tamquam parochianos pleno jure spectare.

Die 22 Octobris 1 Indictionis 1617. Quia Superioribus diebus quidam ex Familia Excellentissimi Domini Proregis hujus Siciliae Regni, qui Domicilium in Regio Palatio constitutum habebat, sicut et ceteri de ejus Familia, qui in eodem Palatio degunt, et alimentis, ac stipendio ipsius Excellentissimi Domini Proregis vivunt in morbum incidit, et ut commodius curaretur transtulit se in Domum quamdam constitutam, et deputatam a dicto Excellentissimo Domino ad hunc effectum tantum, ibique fuerunt illi ministrata Sacramenta, Sanctissimi scilicet Viatici, et extremae Unctionis per Magistrum Capellanum Cathedralis Ecclesiae, in cujus Parochiae Regione sita est praedicta

Domus, et moris est Parochorum hujus Urbis in similibus, pro faciliori Sacramentorum administratione omnibus Infirmis, etiam ratione domicilii subditis aliis Parochiis, dum degunt in suis Parochiis, licet non habeant ibi constitutum domicilium Sacramenta supradictae necessitatis administrare, qui quidem infirmus vita functus est in eadem Domo, unde dubitatum fuit ad quem Parochum pertineret jus sepeliendi supradictum defunctum: Ideo Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus D. Joannettinus Doria S. R. E. Cardinalis, et Archiepiscopus Panormitanus virtute praesentis actus declaravit, et declarat, supradictum jus sepeliendi spectare, et pertinere ad Curatum Capellae Regii Palatii: Idemque de cetero in similibus servandum, quia non fuit mutatum domicilium, sed casu quo convaluisset rediturus statim erat ad suum proprium domicilium in dicto Palatio constitutum.

Unde ut in futurum appareat factus est praesens actus de mandato praedicti Illustrissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi, redactus, et registratus in actis M. C. Archiepiscopalis Panormi die, quo supra, suis die, loco, et tempore valiturus Unde etc.

Ex actis Curiae Archiep. de anno 1617.

CLXVII.

Can. Gaspari Ariano Beneficiali S. M. de Itria facultatem tribuit E. S. Regis uti Patroni nomine, ut de eadem Ecclesia demolienda cum Senatu paciscatur.

Die 23 Maii 3 Ind. 1620.

Fuit provisum, et mandatum per Excellentiam Illustrissimi Domini D. Francisci de Castro Proregis, et Capitanei Generalis pro sua Catholica Majestate in hoc Siciliae Regno, ad relationem Joannis Baptistae Magliolo Regiae Aulae Porterii, ad instantiam Ill. Senatus Panormi petentis ab Excellentia sua licentiam diruendi Ecclesiam S. M. de Itria, subtus Regium Palatium, et prope moenia de Itria hujus Urbis Panormi, ad effectum faciendi stratam, per quam itur ad novam portam faciendam in dicto loco in frontispicio stratae magnae, per quam itur versus plateam de Ballarò, stante maxima utilitate dictae Ecclesiae, et ejus Beneficialis, et stante quod tractatur in publico beneficio, et utilitate Quarterii Albergariae, et totius ipsius Urbis: et quod dignetur etiam praefata Excellentia sua tamquam Patronus pro sua Catholica Majestate ipsius Ecclesiae *dare licentiam D. Gaspari de Ariano Canonico Pan. Ecclesiae, et Beneficiali praedicto consentiendi, ac quiescendi, et se contentandi de dicta diruitione ejusdem Ecclesiae, et stantiarum existentium in ea pro dicto effectu transeundi, et exeundi per dictam novam portam stante supradicta maxima utilitate dictae Ecclesiae. Quod utique habeat licentiam. Unde etc.*

Ex M. S. Canonici Mongitore existentibus in publica Bibliotheca h. Urbis.

CLXVIII.

Canonicis Palatinis Seren. Princeps Philibertus de Emmanuelo pannum in amplo seamno concedit.

Die nono Martii 1624.

Sua Altezza Serenissima per la conservazione dell' Autorità Reale, e per decoro delli Canonici della Cappella Reole di S. Pietro il Palazzo, e come quelli, che godono l' istesse immunità, fronchezze, e libertà, che conseguita il Copitolo della Matrice di questa Città, e per altre cause l' animo di Sua Altezza Serenissima digne moventi in virtù del presente atto a relazione dello Spettabile D. Paolo Gisulfo Protonotaro, e Regio Luogotenente in detto Ufficio comanda, che detti Canonici possino, e liberamente vagliano nel banco dove sedono ad ufficiare, ed altre usare ponno, siccome usa detto Capitolo. Unde ec.

Ex Pirro in Not. Reg., et Imperial. Capellae S. Petri.

CLXIX.

Ob mortem Antonii Franco, Vincentius Firmatura eligitur, et nominatur ad majorem Capellaaiam S. Luciae.

Nos Philippus Dei gratia Rex Castellae, Aragonum Legionis, utriusque Siciliae, Hierusalem etc. Cum obitu quondam Doctoris D. Antonii Fronco Capellani nostri intellexerimus vocare Capellaniam Majorem, sive Mogistram Sanctoe Luciae in Plana Milotil in nostro ulterioris Siciliae Regno, quae de nostro jure Potronatus esse dignoscitur, velimusque ejusdem administrationi personam idoneam, et sufficientem etiam de nobis benemeritam, ac dictae dignitati maxime convenientem sufficere inter caeteros, qui in mentem veniret, occurrit Venerobilis nobis dilectus Doctor D. Vincentius Firmotura Referendarius utriusque signaturae Beatissimi Domini nostri Papae, et Capellanus noster, quem ad praememoratam Capellaniam obtinendom merito eligeremus ob ejus eximias animi, et corporis dotes necnon literarum peritiam vitae, morumque integritatem, et alia, quibus praeditus existit, pro ut tenore praesentium de certa scientia, regiaque auctoritate nostra deliberate, et consulto, maturaque sacri nostri Supremi Consilii occedente deliberatione te dictum Doctorem D. Vincentium Firmatura ad dictom Majorem, seu Magistram Capellaniam Sanctae Luciae de Plana Milatii *obtinendam tamquam idoneom, sufficientem, et benemeritam personam eligimus, nominamus, et praesentamus cum reservotione quatuorcentum scutorum annuae pensionis veteris ex fructibus, et redditibus dictae Capellaniae solvendorum D. Henrico Saureulx Capellano nostro: Beatissimum propterea Dominum nostrum Papam humiliter deprecantes, ut nostram hujusmodi electionem, nominationem, et praesentationem benigne admittere, et acceptare, dictomque majorem, seu magistram Capelloniam dicto Doctori D. Vincentio Firmatura conferre, et providere, ac ipsum de ea instituere dignetur tamquam idoneam personam per nos legitime praesentatam cum omni juris plenitudine. Nos enim concessioni, collationi, institutioni, et provisioni, sic ut praefertur faciendae assensum, et beneplacitum nostrum plenimode impendimus, ac cum praesentibus adhibemus per quos admodum Reverendos, et Reverendos, Venerobiles, et dilectos nostros Archiepi-*

scopos, Episcopos etc. seu Praesidi, et Capitaneo Generali nostro etc.

In cujus rei Testimonium praesentes fieri jussimus nostro communi negotiorum praedicti nostri ulterioris Siciliae Regni sigillo a tergo munitas. Dat. Matriti die 24 mensis Martii anno a Nativitate Domini 1628. Yo el Rey. Vidit Comes de Monte R. Vidit Relenzuele. Vidit Brandelinus R. Vidit de Neapoli R. Vidit Carr. R. Vidit Jorrezilla R. Dominus Rex mandavit mihi D. Inico de Aguirre per mandado d' esse Mag. tome la razon a 20 de Marzo 1628 D. Juan de Castillo solvit 9 duas Aguirre pro taxatione. In Privileg. Siciliae 5 fol. 236.

Ex literis exequutoriis in Reg. h. S. R. Proton. ann. 12 Indict. 1628, et 1629 fol. primo.

CLXX.

Canonici palat. Capellae Mozzectae, ac Rocheti usum ex bulla Urbani VIII. obtinent.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem ad ea, quae Ecclesiarum quarumlibet, praesertim Collegiatarum, Imperialique, et Regia denominatione, et titulo condecoratarum, ac personarum Ecclesiasticarum in illis Altissimo famulantium, decori, et ornamento divini cultus celebritate peramplius consulitur, libenter intendere, ac in iis sui Pastoralis Officii partes favorabiliter impartiri, pro ut locorum, et personarum hujusmodi, circumstantiis debite pensatis, ad devotionis Christi fidelium propagationem, nec non Altissimi laudem, et gloriam prospicit, in Domino salubriter expedire; exhibita siquidem nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum Cantoris, et Canonicorum Imperialis, et Regiae Capellae intra septa Regii Palatii Civitatis Panormi, sic petitio continebat; quod cum dicta Capella, quamdudum de anno Domini millesimo centesimo trigesimo secundo clarae memoriae Rogerius, Regni Siciliae Primus Rex, post varios labores, bellicosque sudores, non sine propriae suae, et suorum, vitae discrimine perpessos, victricibus ejus armis, debellatis, et generose fugatis, ac etiam trucidatis immanissimis hostibus Fidei Catholicae, dictum Regnum, ac partem Italiae, et Trinacriae ea tempestate occupantibus, et devastantibus Saracenis, eodem Regno in pristinum statum restituto, laudabilem, et apud Principes Christiani nominis gloria claros receptum morem, quo sive occupatis, et acquisitis novis, sive pristinis recuperatis Provinciis, et Regnis, sese ad propagandam in primis Sanctae Romanae Ecclesiae Religionem convertere, templa Altissimo erigere, destructa reparare, eaque multa supellectile ornare, ac possessionibus locupletare solebant, laetari cupiens pro parte victoriae gratiarum actione, ad Dei Omnipotentis gloriam, Beataeque semper Virginis Mariae, et totius Curiae Coelestis laudem, et honorem, intra septa Palatii Urbis hujusmodi, auctoritate Sedis Apostolicae, ac de communi Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Principum, Comitum, et aliorum Procerum, totiusque Cleri, et Populi, ejusque Regni Consilio, eleganti, et egregia structura fabricari curavit, illamque sua pulchritudine, et elegantia, ac rerum, et materiarum praestantissimarum apparatu, caeterisque omnibus in dicto Regno existentibus Ecclesiis merito praeferendam, Beato Petro Apostolorum Principi summa devotione dicavit, amplissimisque Privilegiis decoravit, Parochialis, et Ecclesiae Collegiatae Insignis dignitate, et denominatione, de consensu, et generali Consilio Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Panormitanae ad instantiam ejusdem Roge-

rii legitime assumpserit, ac tam ratione horarum Canonicarum, ac missarum, quae inibi decantantur, quàm etiam aliarum functionum peragendarum, ad instar ejusdem Ecclesiae Panormitanae, ex Apostolica auctoritate erecta, successive ab Imperatoribus, et aliis dicti Regni Regibus locupletissime dotata; nec non praebendis, feudis, terris, locis, pagis, domibus, vineis, decimis, tonnariis, terragiis, et licet temporum injuria, et antiquitate amissae fuerunt, Primitiis, ac multis Sanctorum, et Sanctarum reliquiis sacris; nec non diversis privilegiis tam latine, quam graece conscriptis; aliisque exemptionibus, etiam ab eadem Sede, et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris confirmatis, ac sub vigili custodia in illius Archivio custoditis, et obseratis donata, et jam una Cantoriae dignitate, et duodecim Canonicatibus, eadem Apostolica auctoritate erectis, illius Capitulum facientibus, nec non pro ejus Clero, Subcantore, Magistro Scholarum, et octo Correndatis, et sex Diaconis, duobusque Sacristis, et sex pueris Clericis, et duobus Organistis, nec non viginti Musices peritis eisdem Regiae Capellae inservientibus decorata fuerit, et ad eam ejusdem Regni Proreges cum Magistratibus, Titulis, ac nobilibus dicti Regni pro tempore concurrere soleant, multaeque aliae tam in Civitate praedicta, quam per totum hujusmodi Regnum consistentes Ecclesiae, tamquam ejus suffraganeae, ad hoc ut ipsa, ne quid illius Majestati deesset, et aequalis Cathedrali foret, per Sedem Apostolicam praedictam assignatae reperiantur, ejusque Cantor, et Canonici praedicti omnes eodem habitu, quo Dignitates, et Canonicatus, et praebendas in dicta Ecclesia Panormitana obtinentes uti soliti fuerunt, similiter uti, et gestare, omnesque in sollemnioribus Processionibus; ac etiam Funeralibus Defunctorum, ex antiquissima, hactenusque pacificae observantiae consuetudine, aeque simul, et pari passu incedere, et in Synodalibus Conciliis eodem modo assidere, ac Cruces similes aequis passibus, ita ut semper, et ubique locorum aequalitas inter eos servetur; cum hoc tamen, ut dignitates obtinentes, et Canonici dictae Ecclesiae Metropolitanae primum dextrum videlicet, ac Cantor, nec non Canonici dictae Regiae Capellae sinistrum latus obtineant, pro ut sententia Judicis competentis, servatis servandis, lata desuper definitum fuit, ab inde citra pacifice deferre consueverint; Dignitates vero, et Canonicatus, et Praebendas in dicta Ecclesia Panormitana obtinentes, ex indulto felicis recordationis Pauli Papae V. Praedecessoris nostri, eis ad instantiam dilecti filii nostri Joannettini, ejusdem S. R. E. Cardinalis ab Aurea nuncupati, dictae Ecclesiae Panormitanae concessione, ac dispensatione Apostolica praesulis, concessit Rocchettum, et Mozzettam violacei coloris holoserico, et rubro colore suffultam, et consutam, ut ad praesens deferunt, ac propterea moderni Cantor, et Canonici Imperialis, et Regiae Capellae hujusmodi in plena, quieta, et pacifica praemissa possessione existunt, nequa disparitas inter eos, et Dignitates, et Canonicatus, et praebendas in dicta Ecclesia Panormitana obtinentes praefatos adsit, plurimum cupiant sibi, ut infra, per nos provideri; quare pro parte modernorum Cantoris, et Canonicorum Capellae hujusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ejusdem Capellae decori, ac venustati consulere, aliasque in praemissis ad petitionem providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem modernos Cantorem, et Canonicos, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, sub quibus quomodolibet innodati existant ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, nostrarum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus in-

Digitized by Google

cinati, Cantorem videlicet, et Canonicos dictae Capellae, ut ex nunc in posterum perpetuis futuris temporibus ipsos, eorumque successores ipsius Capellae Cantores, et Canonicos, pro tempore existentes, Rocchettum, et Mozzettam ejusdem violacei coloris, similiter holoserico, ac rubro colore suffultam, ac consutam, ad instar dignitatem in dicta Metropolitana Ecclesia obtinentium, ac illius Canonicorum hujusmodi, ac pro ut illis per eumdem Paulum praedecessorem concessum, fuit, in omnibus locis, et actionibus, in quibus dignitates in dicta Ecclesia Metropolitana obtinentes, et ejus Canonici illis utuntur gestare, et deferre; ac etiam Bidellum similiter ad instar dictae Metropolitanae Ecclesiae habere, et retinere, illisque etiam uti libere, et licite possint, et valeant, apostolica auctoritate, sine tamen aliquo dignitates, Canonicatus, et praebendas in dicta Metropolitana Ecclesia obtinentium, vel cujusvis alterius praejudicio, tenore praesentium concedimus, et indulgemus; decernentes Cantorem, et Canonicos Capellae hujusmodi pro tempore existentes, aut eorum singulas personas desuper, a quoquam quavis auctoritate fungente, sub quovis praetextu, quaesito colore, vel ingenio, causa, vel occasione molestari, et inquietari, perturbari, aut impediri posse, sicque per quoscumque Judices ordinarios, Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam Delegatos, et Vicelegatos, aut Nuncios Apostolicos judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane quid quid secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus praemissis, ac nostrae, et Cancellariae Apostolicae Regula de gratiis ad instar non concedendis, nec non quibusvis Apostolicis Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, dictaeque Ecclesiae Panormitanae, et Capellae Regiae juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, Indulti, et Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, Idibus Aprilis, Pontificatus nostri anno decimo.

In supplemento ad notitiam Reg., et Imp. Capellae S. Petri Abb. D. Rochi Pirri.

CLXXI.

Mandat E. S. Card. Doria Pan. Archiepiscopo, ut ad Reg. Monarchiae Judicem remittat cum processu Can. Sacri Palatii Antonium Rossi, ne Palat. Ecclesiae privilegia violentur.

Eminentis.° Rever.° Sig.°

Haviendose me dado noticia los dias passados de que un Sacerdote se hallaba indiciado de cierto delitto grave sin nombrarle ni determinarme quien fuesse yo di orden a los ministros paraque le buscalen lentregassen luego en manos deles de la Corte eclesiastica de V. Em. R. como Sacerdote y persona que sin difficultad gozaba del fuero dela iglesia, hasse sabido despues que este Sacerdote se lama Don Antonio Rossi y es uno de los Canonicos de la Capilla Real de S. Pedro de este Palacio y che hecho istancia ante mi y e nel Tribunal de la Monarchia paraque le remita al Juez de a quel Tribunal como esento de la Jurisdicion Ordinaria de V. Em. R. y per proceder yo en esto co-

nel acierto que de ce en todo y sin agrabio de las Jurisdiciones de su Mage. como legodo alatere y de V. Em. R. como Arzobispo desta iglesia y he querido reconozer los razones de una y otra parte cossi he visto les papeles, que por parte de V. Em. R. se me han presentado y les que se han sacado de los Archivos a fabor de la excepcion de la Capilla Real y de sus ministros y haviendo bien considerado los y la materia me hallo obligodo a scribir V. Em. R. este paroque tenga porbien de dar orden paraque el preto como Cononico de la Capilla Real de S. Pedro de esso Palacio Real se remita luego al Juez de la Monarchia con todas las notus que sele huviexen puesto per qualquiera causa y con los autes Originales que se huvieren hecho contra el sin que en esto oja dilecion parque escusen otros medios. Quero d'esser escutar todo lo posibile con las Cortes Ecclesiasticas y particolarmente con la de V. Em. R. a quien tanto deseo servir Dios que la Eminentissima Rev. persona de V. Em. R. muchos años. Palermo a 6 de Settembre 1633. Eminentiss. Revmo Sig. beo las manos a V. Em. R. su . . . Servidor el duque de Alcalada.

Concuerda con el villette Original en Palermo a 6 di Settembre de 1633. Juan Antonio de Herrera.

Ex Reg. actorum Reg. Mon., et Ap. Legat. ann. 2 Ind. 1633, et 1634 fol. 93.

CLXXII.

De mandato E. S. praecedentis Chirographi exemplar ad R. M. Judicem transmittitur, ut illud in Curiae suae acta referat.

Habiendo visto el memorial y reconocido los papeles que V. M. me dio, y tambien lo que alega por si la Corte Arcobispal en el puncto del Conocimiento de la causa de D. Antonio Rossi Canonico de la Capilla Real de San Pedro d'este Palacio: he resuelto se escriba al Cardinal un Papel cuja copia embiera a V. S. Juan Antonio Herrera mi Secretario, en que le abiso haga luego la remision del preso con las notas, y processo original. V. S. lo tenga entendido, y haga se registre en los autos del Tribunal este Villette, paraque en ningun tiempo se pueda alegar este caso por acto positivo de Jurisdicion de la Corte Arcobispal, y para adelante le tenga entendido como se a mantenido la Jurisdicion de la Monarquia, y exemption d'esta Capilla Real. Guarde Dios a V. S. Pal. a 6 de Settembr. 1633.

El Duque de Alcala.

Ex Reg. actorum Reg. Mon., et Apost. Legat. ann. 2 Ind. 1633, et 1634 fol. 93.

CLXXIII.

Privilegium Petri Arch. Pan. confirmat Palat. Capellae Card. Doria.

Jannettinus Doria Tituli S. Petri in Monte Aureo S. R. E. Presbyter Cardinalis Archiepiscopus Panormitanus.

Cum in anno millesimo centesimo trigesimo secundo, ad petitionem Serenissimi Rogerii Italiae, et Siciliae Regis Petrus Archiepiscopus Panormitanus Praedecessor noster cum suo Capitulo Ecclesiam S. Andreae sitam juxta murum Panormitanum cum suo Coemeterio concesserit Capellae Regiae, et Ecclesiae Collegiatae Apostolorum Principi dicatae in Regio Palatio (quod tunc

Digitized by Google

Castellum nuncupabatur) pariterque eamdem Regiam Capellam Parochiali dignitate munierit, quo magis decorata resplenderet; adjiciens ei in Parochiam, et pro finibus ejus totum praefatum Castellum cum universo Regali Palatio, et omnibus ibidem degentibus, Capellanis quoque, et Clericis omnibus praedictae Regiae Capellae, nec non omnibus Castellanis cum domesticis suis, ut patet per privilegium eodem anno expeditum, quod originale servatur in Archivio ejusdem Ecclesiae, quodque vidimus, et deligenter inspeximus: quoniam vero Canonici praedictae Regiae Capellae asserunt ex praefato privilegio ipsis concessam esse Parochiam, et animarum curam; ac propterea defuncto Cantore, ipsis competere deputationem Vicarii Parochialis, quinimmo ejusdem possessionem obtinere; volentes nos majori obsequio invictissimo Regi nostro Philippo Quarto ea, qua par est, gratitudine, et devotione inservire, et maximum propensi animi nostri affectum, et observantiam hac in re, pro ut in caeteris aliis, erga Regiam Catholicam Majestatem ostendere; praedictum privilegium Petri Archiepiscopi Praedecessoris nostri confirmamus, approbamus, et nostro munimine corroboramus, ac proinde Parochiam, et curam animarum Collegio, et Canonicis praefatae Regiae Capellae, quatenus opus est, de novo concedimus. Panormi die decimo Septembris 1634 Ind. III.

Jannettinus Cardinalis Doria Archiepiscopus Panorm.

CLXXIV.

De mandato E. S. sublato Can. Sebast. Falsone, cujus oscitantia Capellanus Ecclesiae Cathedralis intra Palatium Sacramenta administraverat, Josephus Mezzatesta Can. a Palat. Capitulo Curatus eligitur.

Al Juez dela Monarquia D. Pedro de Neyla.

Hallandose el Duque mi Señor antes d' ayer en Palermo, Vrō, que haviendo pedido en Palermo el SSmo Sacramento para un enferm por nō hallarse en Casa el Curà de S. Pedro Setruso de la M. Iglesia, y dize S. E. que V. S. considere, si supuesta la esencion, que el Señor Cardinal tiene de adquirir, y exercer Jurisdicion en la Capilla, y lo que ha pasado con S. Em. en estos dias, pueda Causar algun perjuicio a la de su Magd. que est de crear, que en el Arçobispato nō se descuydaran de notar esso acto para possession, y ne sarà bien que acà, se hagan alcun en contrario, y entretanto conviene, que V. S. advierta al Curà de Palacio de que este en Cuidado de que nō succedà otra vez per ningun caso, y tambien dize S. E. que V. S. dispenga la execucion delo que tratò con S. E. ultimamente en el Jardin de lo Duque de S. Juan en razon de la nueva elecion de Curà, Dios guarde a V. S. Monreal a 2 de Novembre 1634.

Juan Miguel, Igun de Salana.

Respuesta.

Ayer que se contaron dos de Noviembre se paso en execucion lo que S. E. se sirvio de resolver en el Jardin del Duque de S. Juan cerca la elecion de Curà, y en su conformedad se nombrò al Canonico D. Joseph Mezzatesta, removiendo el Canonico Falzon, al qual tengo preso en Casa por haver hecho a quel descuido, del qual tambien he hecho, se resiban informaciones para que conosce de la remocion iudicialmente, y se haga acto como conviene, paraque conoce del Derecho, y possession de la Capilla, y la causa

Digitized by Google

por que vino el Capellan dela Cathedral a administrar dentro del Palacio, y estava con las espuelas para yr a dar quenta esa parte d'esto, y ablar en otros particulares, y me ocacian de intimar un Sacro Consiglio para 21 horas, y assi lo de fare para Manaña: Guarde Dios a V. S. como deseo. Palermo 3 de Novembre 1634.

D. Pedro de Neylas.

S. E.
Pasianbien.

Ex Archivio Palat. Capellae.

CLXXV.

Siculae Triremes proprios habebant Capellanos, et Capellanum majorem.

In Dei nomine amen.

Providendae sunt scripturae via appellationis devolutae a Tribunali Regiae Monarchiae ad Curiam causarum delegatarum dictae Regiae Monarchiae; sententiae latae per dictum Tribunal die 2 Octobris 7 Ind. 1638 vertentes inter Don Dominicum dell' Arco Capellanum majorem triremium hujus Regni, *appellantem ex una, et Don Hieronymum Danieli Beneficialem Parochialis Ecclesiae S. Joannis de Tartaris h. U. appellatum ex altera, petitionis ex parte dicti dell' Arco sententiam praedictam die quo supra latam, corrigi, emendari, et revocari debere, qua correcta, emendata, et revocata per dictam Curiam causarum Delegatarum dictae Regiae Monarchiae ab indebita petitione contra eum facta per dictum de Danieli ad omnes expensas condemnari juribus, rationibus, capitibus, et causis in dictis scripturis contentis, et declaratis, et aliis in voce dictis, et allegatis, et ex parte dicti de Danieli, immo sententiam praedictam die quo supra latam confirmari debere, qua confirmata per dictam Curiam causarum delegatarum dictae Regiae Monarchiae dicatur, quod sepultura facta quandam D. Angeli Aloi in Ecclesia collaterali Hospitalis S. Joannis Leprosorum extra moenia h. U. intelligatur facta absque praejudicio ipsius Don Hieronymi, et quod dictus dell' Arco cogatur restituere quartam partem cerae funeralis facti in obitu dicti de Aloi, et quod deinceps, et ex nunc in antea dictus dell' Arco nominibus praedictis, nec alii Capellani dictarum regiarum triremium possint, nec valeant ire ad sepeliendum mortuos dictarum triremium morientes in terra absque praesentia dicti de Danieli Beneficialis, seu ejus Capellanorum ejusdem Parochialis Ecclesiae, dictusque dell' Arco ad omnes expensas factas, et faciendas condemnari debere in processu, vel extra legitime liquidatas, vel liquidandas, etiam juribus, rationibus, capitibus, et causis in dictis scripturis adductis, et declaratis, et aliis in voce dictis, et allegatis, et hoc per Rev. Don Andream Buscaino Judicem Ecclesiasticum in causa datum per S. Em. cum voto, et consilio Tribunalis Concistorii S. R. E., et causarum delegatarum vigore memorialis penes Reg. Secretarium die etc.*

Jesus

Provisum est per nos Judicem Ecclesiasticum in causa, qui supra cum voto, et consilio praedicto, quod sententia praedicta die quo supra lata per dictum Tribunal Regiae Monarchiae, quatenus concurrit cum praesenti confirmetur, et quatenus non concurrit, corrigatur, et nihilominus procedat petitio-

expensis primi, et secundi judicii tantum hinc inde compensatis.

Hanc nostram etc.

Pronunciata Pan. die vigesima prima Julii 7 Ind. 1639 in judicio.
Cornacchia pro Mag. Not. Leonard.

Ex actis existentibus in Officio Tribunalis M. R. C.

CLXXVI.

Viceregiae ordinationes de electione Capellani Sacramentalis Palat. Capellae in absentia Cantoris ad Capitulum spectante sine interventu Ordinarii.

Con ocasion de las faltas intolerables que se refirieron a Su Ex.ª aver hecho D. Joseph de Mediatesta Canonigo de la Capilla Real de Palacio y Capellan della en el officio de tal Capellan, y de haver nombrado en su lugar D. Roque Pirri Canonigo mas antiquo de dicha Coplila a D. Pedro de Montenegro Prebendado della con pretesto de tocarle por la dicha antiquedad, y la duda que desto resulta de si le pudo o no nombrar fue servido Su Ex.ª de que se me remitiesen todos los papeles tocantes a la dicha Capilla, y de mandar que yo oyese al dicho D. Roque Pirri, y alos de mas Canonigos cerca dello, y que provesese lo que fuese de justicia, y mas del servicio de nuestro Senor sin otra atencion por que eso mismo era de lo que S. Ex.ª era mas servido a nion propria de su Christiandad y mucha rectitud, y haviendoles oydo todo lo que quisieron informar, y visto dichos papeles me ha parecido lo siguiente.

Lo primero, che el dicho nombramiento de Capellan toca y partenece al Chantre de dicha Capilla por immemorial costumbre, si bien al principio se concedio el privilegio de ser Parrochia al mismo Capitolo de dicha Capilla Real.

Lo segundo, que estando vaca la dignidad de Chantre, y occurriendo necessidad de nombrar Capellano toca el hazerbo al mismo Capitulo.

Lo tercero que conforme a esto no puede haver caso en que pueda tocar dicho nombramiento al Canonigo mas antiquo, y que assi no pudo tocar al dicho D. Roque Pirri con el dicho pretesto sino o al Procurador del dicho Chantre o al dicho Capitulo en el dicho caso de necesidad.

Lo quarto, que toda via aunque esto sea ansi ninguno puede ser nombrado que no tenga primero la aprovacion de S. Ex.ª per las razones justissimas, que Su Ex.ª pondero para esto fuera de ser aun conforme a derecho.

Lo quinto que el nombrado esta obligado a vivir dentro de Palacio por las mismas razones que ausi mismo se ponderaron, que tambien estan aprovados por derecho.

Lo sesto, que se dicho Capillan no cumpliere con esta obligacion, y con las demas de su oficio podra ser privado de dicha Capellania procediendose contra el a la dicha privacion conforme a lo dispuesto por derecho, pero ya se vee, que el mayor castigo será la indignacion justa de Su Ex.ª con que ninguno avrà que no se deva dar por privado de dicha Capellania si advertido y repreendido no se enmendare en lo que huviere Faltado.

Lo septimo que hoy lo esta por mi dicho D. Joseph Media Testa y le he intimado lo suso dicho con orden de S. E., el qual (haviendole oydo sus escusas) parece que es digno de algun perdon por lo passado, con la qual y con la protesta de la enmienda que hace para a delante parece deve ser to-

Digitized by Google

lerado en dicho officio salvo en todo el beneplacido de S. Ex.ª

Lo octavo que es preciso anular dicho nombramiento hecho en persona de dicho D. Pedro de Montenegrò por dicho D. Roque Pirri para que no pare perjuycio a nadie a quien tocare: y tambien la aprovacion que el S. Cardenal ha hecho de dicho nombramiento, y licencia que se ha publicado quediò para poder usar dicho Officio, atento no le tocava ni toca a Su Em., y que el Capellan legitimamente nombrado no necesita mas que de estar aprovado para administrar los Sanctos Sacramentos sin otra licencia del ordinario. En cuya conformidad y en la meyor forma, que puedo, y a lugar de derecho le devo anular, y anulo todo y dey por ninguno y de ningun valor, ni efetto y mando que se borre y canzele en virtud de este decreto paraque alora ni nunca pueda para perjuycio alguno, ni tener necessidad de la el qual asi fuere nombrado, y por este dicho decreto, o auto y en virtud de dicha Orden de S. Exc. assi lo proveo, mando y firmo de mi nombre, en Palermo a 19 de Junio 1640.

D. Gaspar de Criale y Arcé.

Ex Archivio Palat. Capellae.

CLXXVII.

Exemplum liberae Collationis simul et praesentationis ad Reg. Canonicatum Civitatis Calaxibettae.

Nos Philipppus etc.

Cum intellexerimus in Ecclesia nostra Urbis Calaxibettae praedicti nostri ulterioris Siciliae Regni, vacare Canonicatum per obitum D. Julii la Porta, et Bellomo, qui de nostro jure patronatus existit, ejusque proinde praesentatio ad nos tamquam ipsius Patronum pertinet, et spectat; velimusque ad eumdem virum probum, et idoneum assumere, et nominare, inter caeteros, qui nobis propositi fuerunt, tu devote nobis dilecte Dom. Bartholomaee Ransulla dignior occurristi, quod de vita, morumque honestate plene nobis constiterit: Tenore igitur praesentium de certa scientia, regiaque auctoritate nostra deliberate, et consulto dictum Canonicatum tibi cum omnibus, et singulis juribus, redditibus, proventibus, emolumentis, praeeminentiis, praerogatlvis, honoribus, et oneribus, ac aliis ad dictum Canonicatum spectantibus, et pertinentibus, prout dictus D. Julius la Porta, et Bellomo illum habuit, et possedit, conferimus, et concedimus, vel te de illo instituimus, et si opus est praesentamus, *et praesentatum exhibemus: Rev. propterea in Christo Patrem Episcopum Catan. vel ejus in spir. Vicarium, vel Officialem exhortantes, ut dictum Canonicatum tibi conferant cum omnium jurium plenitudine. Mandantes insuper Ill. Proregi Locumtenenti, et Capitaneo generali nostro, caeterisque etc. quatenus te praefatum D. Bartholomaeum Ransulla in possessione dicti Canonicatus ponant, et inducunt, positumque, et inductum manuteneant, et defendant contra cunctos, et stallum in Choro, et locum in Capitulo, ut moris est praestent, ac de juribus, redditibus, et emolumentis dicti Canonicatus respondeant, et faciant per quos decet respondere, contrarium nullatenus tentaturi ratione aliqua, sive causa, quatenus dictae Eccl. personae nobis morem gerere, caeteri autem Officiales, et Subditi nostri praedicti gratiam nostram charam habent, ac praeter iras, et indignationis nostrae incursum, poenam ℈ mille nostris inferendam aerariis*

Digitized by Google

cupiunt evitare. In cujus rei testimonium praesentes fieri fecimus, et jussimus nostro communi negotiorum praefati ulterioris Siciliae Regni sigillo a tergo munitas. Dat. Caesaraugustae die 27 M. Julii anno a Nativ. Domini 1645. Yo el Rey.

V. Comes de M. V. Cusanus Regens. V. Caracciolus R. V. Neglia R. V. Potenquanus R. Nihil quia duplic. Messanes.

Ex actis Reg. Curiae Causarum Civilium Civitatis Calaxibettae sub sub die 12 Julii 15 Ind. 1647.

CLXXVIII.

Ad Capellaniam majorem S. Luciae obitu Doctoris Vincentii Firmatura, Rex nominat U. J. D. Martinum la Farina.

Nos Philippus Dei Gratia Rex Castellae, Aragonum Legionis, utriusque Siciliae, Hierusalem etc. Cum obitu quondam Doctoris D. Vincentii Firmatura Capellani nostri intellexerimus vacare Capellaniam Majorem, seu Magistram Sanctae Luciae in Plana Melatii *in nostro ulterioris Siciliae Regno, quae de nostro jure Patronatus esse dignoscitur, velimusque ejusdem administrationi personam idoneam, et sufficientem, etiam de nobis benemeritam, ac dictae dignitati maxime convenientem praeficere inter caeteros, qui nobis in mentem venerunt, occurrit Venerabilis nobis dil. D. Martinus la Farina de Madrigali Sacrae Theologiae, ac Caesarei, Pontificiique juris Doctor S. Officii Regni Siciliae Consultor, et noster Honorarius Capellanus, ad praememoratam Capellaniam obtinendam merito elegerimus, ob ejus generis et scientiarum splendorem, linguarum peritiam, vitae integritatem, atque eximias animi virtutes, corporisque dotes, quibus ornatus in comitiis Regni Siciliae nobis reique publicae operam navavit; deinde gentilium suorum exemplum sequutus Capellae Regiae per multos annos non solum in Matritensi Curia sedulo inservit, verum etiam in expeditionibus in Cathaloniam tum etiam in Aragonium, et Valentinum Regnum, quo pro celebrandis Comitiis, et inauguratione fuimus profecti, nullis parcendo sumptibus, ac laboribus, suum impigre munus implens, nostram sequutus est personam: pro ut tenore praesentium de certo scientia, Regiaque auctoritate nostra deliberate, et consulto maturaque sacri nostri Supremi Consilii accedente deliberatione dictum Doctorem D. Martinum la Farina* de Madrigali ad dictam Majorem Capellaniam Sanctae Luciae in Plana Melatii *obtinendam tamquam idoneam, et sufficientem, et benemeritam personam eligimus, nominamus, et praesentamus. Beatissimum propterea dominum nostrum Papam humiliter deprecantes, ut nostram hujusmodi electionem, nominationem, et praesentationem benigne admittere, et acceptare, dictamque Majorem, seu Magistram Capellaniam dicto Doctori D. Martino la Farina de Madrigali conferre, et providere, ac ipsum de ea instituere, dignetur, tamquam personam per nos legitime praesentatam cum omni juris plenitudine, nos enim concessioni, collationi, institutioni, et provisioni sic ut praefertur faciendae, assensum, et beneplacitum nostrum Regium plenimode impendimus, et cum praesentibus adhibemus: Per quas admodum Rev. ac Rev., et dil. nostros Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos, etc. Datum Matriti die vigesima quinta mensis Septembris anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo = Yo el Rey = Vidit Comes de Monterus R. S., vidit Agras R., vidit Salamanca R., vidit Caimus R., vidit Merlinus R. Dominus Rex mandavit mi-*

hi Hieronymo de Lecama solvit ℈ *duas Mesones pro taxatione in Privilegiorum Regni Siciliae fol: 121.*

Ex viceregiis exequutoriis in Officio R. S. Proton. lib. 1 de ann. 1648, et 1649 fol. 398.

CLXXIX.

De mandato E. S. Consultor Bened. de Trelles sententiam refert suam de jure Capellani majoris.

Remito a V. S. de orden del Segnor D. Juan el Papel encluso, que se ha dado a S. A. sobre la execution de la de su Magestad, paraque sea admitido el Abad de Sancta Lucia per Capellan Major del Reyno, conforme se ha observado en Flandres, en Portugal, y en Napoles, residendo S. A. en a quel Reyno; paraque V. S. enforme, y refierà a boca lo que conviene executarse en la materia, Dios guarde a V. S. muchos annos Palermo 1 de Noviembre 1660. Juan Baptista Arespaco.

Abbatia S. Luciae, et Capellania Major hujus Siciliae Regni ab anno 1250 a Friderico imperatore, ac Siciliae Rege unitae, antiquis temporibus ob Regum in eodem Regno praesentiam, Praelatis, Episcopis, et Archiepiscopis conferebantur, qui Regibus eo in munere inservientes, Majoris Capellani vices gerebant, usque dum Siciliae Regno Aragonio annexo, regibusque, ut plurimum absentibus, passim id munus prisco excideret honore; ex quo quidem tempore Abbatibus conferri consuevit; quorum primus Joannes de Stefano Parci Abbas Cisterciensis ordinis circa annum 1424 enumeratur. Exinde igitur variis Abbatibus, virisque Ecclesiasticis Majoris Capellani dignitas, ac Sanctae Luciae Abbatia collata legitur; qui ne dum munia Capellani obibant, sed et judicium, in alios Regiae Capellae Ministros ferebant, usque ad annum 1587, quo assumpto ad id munus atque Abbatiam D. Hieronymo Riggio, atque ad residendum in propria Ecclesia coacto, jurisdictio in Capellanos Regiae S. Petri Capellae Judicibus Regiae Monarchiae cessit, ac Magistri Caeremoniarum munus pro libito a Proregibus fuit collatum. Constat id ex variis Chirographis a Comitibus de Alba, et Olivares Proregibus anno 1590, et 1595 emanatis; hinc regulariter Domini Proreges Caeremoniarum Magistros sibi deligebant, jurisdictio in Regiam Capellam, ejusque Ministros per Monarchiae Judices exercebatur, atque S. Luciae Abbates Majores Regni Capellani propriae Ecclesiae regimini addicti, ab exequendis suae dignitatis muniis abstinuere. Ex hac itaque serie, atque enarratione clarissime apparet, quae sint officia Majoris Capellani propria, ea quidem omnia, quibus in Belgio, Hispania, et Neapoli Majores Capellani fruuntur: Magistri nempe Caeremoniarum, ac Iudicis Ordinarii in omnes Regiae Capellae Ministros; haec sunt etc. Panormi die 20 Maii 1661. Benedictus de Trelles.

Apud Pirrum Siciliae sacrae T. II. p. 1340.

CLXXX.

Juxta consultum Bened. de Trelles conceditur Abbati Sanctae Luciae, ut coram E. S. Capellani majoris jura explicet.

S. E. me manda dezir a V. S. que en todas les funciones publicas, en que se allarà S. E. assista como Capellan mayor exerciendo todo lo que como Capellan mayor, y Abad de S. Lucia; advertiendo, que en qualquiera Yglesia, o parte, que S. E. haga funciones publicas, se entiende, es Capella Real; y tiene por bien, que V. S. goze de todas las preheminencias, y prerogativas, que por esta razon le pertenezen; guarde Dios a V. S. muchos annos. Palermo a 1 de Septembre 1655. D. Franc. de Siranpa a D. Martin la Farina, que Dios guarde Abad de S. Lucia.

Apud Pirrum Sicil. sacr. Tom. II. p. 1369.

CLXXXI.

Actus provisionis Tribunalis R. Mon. pro jurisdictione Cantoris, vel Majoris in Choro Reg. Capellae.

Fuit provisum, et mandatum per Ill., et Rev. D. Emmanuelem Monge Judicem Tribunalis Regiae Monarchiae hujus Siciliae Regni, quod nullus ex Canonicis, nec alius quicumque jurisdictionem exerceat in personatos Praebendatos, et alios Minores, et inferiores Regias Capellae Divi Petri in Regio Palatio hujus felicis Urbis; et in Choro aliisque solemnibus, et Ecclesiasticis functionibus ejusdem Regiae Capellae Cantor, seu major tantum, et non alius ex dictis Canonicis, qui Canonicalibus insignitus actu praesens extiterit, habeat jurisdictionem dumtaxat arcendi a Choro ipsius Regiae Capellae praedictos, et quemlibet eorum in Choro delinquentes dum praedicta celebrantur, et non extra; non intendentem jurisdictionem Cantori coarctare quam habet in Ecclesia tamquam superior, et unica dignitas ejusdem Regiae Capellae, et hoc ad evitanda scandala pro bono regimine justitiae praedictae Regiae Capellae, ac sub poena ♃ viginti Fisco dicti Tribunalis applicanda vice quolibet fuerit contraventum.

Fuit de mandato Illmi, et Revmi de Monge que el Rev. Chantre muestre como tiene tal jurisdicion fuera Choro. Palermo 11 Giugno 1679.

Ex Archivio Regiae Capellae.

CLXXXII.

Obitu Martini la Farina ex regia nominatione Simon Impellizzeri a Clemente X. instituitur S. Luciae Abbas, et Capellanus major.

Clemens Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis antiquiori Canonico Ecclesiae Syracusanae, et Venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscopi Messanensis, et Episcopi Syracusani Vicariis in spiritualibus generalibus salutem, et Apostolicam benedictionem. Vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, super quibus dilectus filius Simon Impellizzeri Clericus Messanensis, seu alterius Civitatis vel Dioecesis, apud nos fide di-

Digitized by Google

gno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, *sicut accepimus*, Capellania Major, sive Magistra Regni Siciliae, ac Abbatia nuncupata in Ecclesia etiam Abbatia nuncupata S. Luciae in plano Milatii nullius Dioecesis provinciae Messanensis, *quae de jure Patronatus carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici ratione Regni Siciliae, cujus ipse Carolus etiam Rex existit ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, et quam quondam Martinus la Farina perpetuus Capellanus in dicta Ecclesia dum viveret obtinebat, per obitum dicti Martini, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit, et vacet ad praesens, nos eidem Simoni, quem praefatus Carolus Rex ad dictam Capellaniam, ut praefertur vacantem nobis per suas literas praesentavit, praemissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ipsumque Simonem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios* Capellaniam praefatam, cui cura jurisdictionalis tantum imminet, *quaeque in nulla Cathedrali, aut Collegiata Ecclesia dignitas existit, ac ejus, et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus viginti quatuor . . . . . . ducatorum auri camerae secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Simon etiam asserit, non excedunt cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus, et pertinentiis suis eidem Simoni conferre, et assignare auctoritate nostra curetis, seu curet inducentes praefatum Simonem vel Procuratorem suum in corporalem possessionem Capellaniae, ac annexorum jurium pertinentiarum praefatarum, et defendatis inductum, amoto exinde quocumque illicito detemptore, et facientes Simonem, vel Procuratorem praefatum ad Capellaniam hujusmodi ut moris est admittere sibique de illius ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, et proventibus, juribus, aut obventionibus universis, et singulis integre responderi, etc. Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dom.* 1670 *quarto Calendas Augusti Pontificatus nostri anno primo.*

Ex Archivio Regiae Capellae.

CLXXXIII.

Exemplum electionis Vicarii generalis Exercitus pro administratione Sacramentorum, cum Eccl. jurisdictione in causis Civilibus, Criminalibus, et mixtis.

Per quanto la Santitad de Innocencio decimo en virtù de sus bulas tiene concedida facultad al Rey nuestro Señor, que Dios guarde, de poder nombrar Vicarios generales en sus Regales exercitos para la administrazion de los Sacramentos, y de la jurisdizion Ecclesiastica en todas las causas profanas, Civiles, Criminales, y mistas, que en qualquier modo pertenecean al fuero Ecclesiastico y tocan, y pertenuen al Ordinario, o Juez diochesano en cuja exeouzion, y observancia S. M. està en uso y posecion de eligir, y nombrar los dictos Vicarios generales en los Exercitos de sus dominios, como tambien lo han hecho, y azen sus Virreys y Capitanos generales, por l' autoridad absoluta, que S. M. les comunica, y concede por sus titulos; Hal-

Digitized by Google

Panormi die quinta Iunii 1739.

Quia per Illmum, et Excmum Dominum D. Bartholomaeum Corsini Principem Cismanni, Proregem, et Capitaneum Generalem hujus Siciliae Regni fuit emanatum infrascriptum Chirographum tenoris sequentis videlicet = Hallandose enterado el Rey del recurso, quae han echo el Chantre y Canonigos de la Capilla de S. Pedro de este Real Palacio acerca el perjuicio, que suponen les hà inferido el Arzobispo de esta Capital, haziendo asistir los Canonigos de la Cathedral con el uso de las insignias Canonicales en la funcion de ponerse dicho Preladò el Habito del Real Orden de S. Gennaro, seme insinua de su real encargo en carta de 23 del pasado por via de la Segreterla de Estado y del Despacho Ecclesiastico, que si bien non se puede considerar perjuicio a la exemption, que gozan el Real Palacio y la Capilla, por razon de que el citado Arzobispo era era Delegato en esta function, y devia ser inescusablemente asistido de sus Canonigos, que la funcion no fue publica, ne se celebrò en la Real Capilla de S. Pedro sino privadamente en un Quarto de Palacio, que el expresado no levantò la Cruz; que es de la jurisdicion, que los Canonigos no compareçieron pubblicamente en Palacio con las insignias Canonigales; sin embarga queriendo S. M., que por la via de V. S. se haga, y registre un Acto, en el qual prevenga, que con la function enunciada, aunque celebrada privadamente, y con las circumstantias expressadas, no se entienda el minor perjuicio a las prerogativas, y exempciones de la Real Capilla; y que jamas pueda alegarse por exemplo; insieguendo yo su real orden, prevengo a V. S. de esta soberana resolucion, paraque en su cumplimiento disponga se haga, y registre el referido Acto en la forma expresada, que S. M. hà mandado. Dios guarde a V. S. m. a. Palermo y Junio 4 de 1739 = El Principe Corsini = Señor Protonotario del Reyno Principe di Valdina = Ideo in executionem ejusdem praeinserti Chirographi fuit provisum, et mandatum per praefatam E. S. quod utique per hujusmodi privatam functionem peractam in S. R. Palatio a Revmo Archiepiscopo Panorm. cum assistentia Canonicorum suae Ecclesiae Metropolitanae cum circumstantiis in eodem memorato praeinserto Chirographo expressatis, nullum intelligatur inductum, generatum, et conceptum praejudicium aliquod praerogativis, et exemptionibus dictae Regiae Capellae S. Petri Sacri Regii Palatii, eisdemque Cantori, et Canonicis dictae Regiae Capellae, et quod nunquam actio haec in posterum adduci, et alligari possit in exemplar, et non aliter. Unde de mandato praefatae E. S., et in executionem dicti praeinserti Chirographi factus est praesens actus suis die, loco, et tempore valituris.

Papè Protonot.

D. Petrus Battaglia R. Coadjutor Off. Protonotarii.

CXCIX.

Magistri Caeremoniarum Palat. Capellae viceregio decreto praecaeteris addicuntur sacris quibuscumque functionibus extra Cathedralem coram E. S. celebrandis.

Panormi die vigesimo tertio mensis Novembris 1740.

Cum de ordine Excellentiae Suae per viam Officii Prothonotarii hujus Siciliae Regni fuit sub die 25 Aprilis tertiae Indictionis 1740 emanatus infrascriptus actus Viceregius hujusmodi sub tenore videlicet =

Panormi die vigesimo quinto Aprilis tertiae Indictionis 1740. Quia occasione Regalis Capellae detentae ab Excellentia Sua in Ecclesia Venerabilis Monasterii Sanctae Mariae Immaculatae Conceptionis hujus Urbis sub die 20 praesentis mensis Aprilis causa Monachatus Filiae Illustris Principis Rammaccae Missam solemnem celebravit Rev. Sacerdos D. Antoninus Lucchese, qui in hac functione usus fuit pro Magistris Caeremoniarum duobus Presbyteris, quando uti debebat pro tali munere illis duobus Adjutoribus Magistri Caeremoniarum Excellentiae Suae ad hunc effectum deputatis, pro ut semper servatum fuit, et per errorem illi assistentiam praebuerunt insimul cum istis in Missa praedicta, ideo ne in futurum actio haec adduci posit in exemplar, praefata Excellentia Sua vi praesentis actus providet, et mandat, quod hujusmodi assistentia praestita a dictis duobus Presbyteris, uti Magistris Caeremoniarum in celebratione dictae Missae solemnis, et celebratae in praesentia Excellentiae Suae a dicto Rev. de Lucchese in Ecclesia dicti Venerabilis Monasterii nequaquam adduci posit in exemplar pro aliis Capellis in posterum detinendis, quoniam processit ex errore, et non aliter.

Unde de mandato praefatae Excellentiae Suae vivae vocis oraculo dato mihi D. Ignatio Papè Duci Jampillerii, Prothonotario, et Logothetae hujus Regni Siciliae factus est praesens actus suis die, loco, et tempore, valiturus. Cumque de proximo erit detinenda Regalis Capella in Ecclesia Venerabilis Monasterii Sanctae Catharinae de Cassaro hujus Urbis sub die 25 praesentis mensis Novembris, ob quam Rev. D. Joseph Stella Archidiaconus, et Vicarius Generalis M. C. Archiepiscopalis hujus praedictae Urbis Rogatus fuit ad solemniter celebrandum coram dicta Excellentia Sua, et ab eodem Rev. de Stella praetenditur in hujusmodi functione uti pro Magistris Caeremoniarum duobus Presbyteris Vivanderiis Matricis Ecclesiae hujus Urbis, quando uti debebit tantum illis duobus Adjutoribus Magistri Caeremoniarum Excellentiae Suae ad hunc effectum deputatis, prout observatum fuit et servari debet, ideo praefata Excellentia Sua vi praesentis actus providet, et mandat quod supradictus praeinsertus Actus Provisionalis intelligatur, et sit factus pro omnibus, et quibuscumque Sacerdotibus, Abbatibus, et Canonicis, extra Cathedralem celebrantibus, et aliis in qualibet Dignitate constitutis, et non aliter. Unde de mandato praefatae Excellentiae Suae vivae vocis oraculo dato mihi D. Ignatio Papè Ducis Jampillerii Prothonotario, et Logothetae hujus Siciliae Regni factus praesens Actus, redactus, et registratus in Officio Regni Siciliae Prothonotarii, suis die, loco, et tempore valiturus.

Papè Prothonotarius

Petrus Battaglia Regius Coadjutor.

Digitized by Google

CC.

Benedicti XIV. P. M. constitutio super jurisdictione, et facultatibus Capellani majoris Regni Neapolitani.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Convenit providae Apostolicae Sedis benignitati facilem se, et liberalem ostendere in gratiis, et favoribus elargiendis Christianis Principibus, qui ex praeclaris majorum suorum meritis, et suarum virtutum ornamentis, pietate erga Deum, devotione, et obsequio erga hanc Sanctam Sedem in conspectu omnium splendere noscuntur, piisque eorum votis libenter annuere, quae ad Dei gloriam, et quietem, ac tranquillitatem sacrorum ministrorum procurandam conducunt, eorum praesertim, qui sacro suarum Capellarum servitio adscripti in Regiis Aulis versantur, ut Christi fidelibus ibidem commorantibus, vel inservientibus Sacrosanctae Ecclesiae Sacramenta administrent, eosque verbo, et exemplo ad pietatem, et religionem instruant, atque informent.

Sane dilectus Filius noster Trojanus tituli S. Caeciliae S. Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis de Acquaviva nuncupatus pro parte carissimi in Christo Filii nostri Caroli Siciliae, et Hierusalem cum tota terra citra Pharum Regis Illustris, et Hispaniarum Infantis Nobis nuper exposuit, quod a tempore, cujus memoria non exstat, ad Capellae Regiae Capellanum Majorem in toto Regno Neapolitano pro tempore existentem non solum cura spiritualis Regiae Familiae, consanguineorum, affinium, ac omnium personarum in Curia, seu Aula Neapoli existente commorantium, ipsamque Curiam sequentium pertinet; sed et in quibusvis Civitatibus, Oppidis, et locis, in quibus Rex pro tempore existens Regiaque familia residere contigerit continue, vel ad tempus, curam animarum familiae Regiae, omniumque, et singularum personarum tam ex propriis Regnis, et Dominiis originem habentium, quam extraneorum cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, et praeeminentiae existentium, tam Ecclesiasticorum, quam saecularium, (Archiepiscopis et Episcopis exceptis,) et insuper omnium militum, et Officialium, aliarumque personarum cujuscumque ordinis, et gradus in castris, arcibus, seu fortalitiis, exercitibus, nec non triremibus, navibus, ratibus, aliisque hujusmodi maritimis lignis Regio famulatui inservientium, et militantium, exercere, earumque Rector in spiritualibus nuncupari, easque corrigere, et visitare, ac in easdem omnimodam jurisdictionem ordinariam, omnia et singula alia, quae Archiepiscopi et Episcopi, ac alii locorum Ordinarii in Dioecesibus suis de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet facere, et exercere consueverunt, idem Capellanus in praenominatas personas non solum in Regia Capella, et Palatio, sed in omnibus aliis supranominatis ac designatis locis exercere, vel per se, vel per alios Ministros, et Capellanos a se deputatos solet.

Cum autem ex hujusmodi facultatum usu, et exercitio plura dubia, quaestiones, et dissidia inter Archiepiscopos, et Episcopos Regni Neapolitani, et praedictum Capellanum Majorem exorta fuerint, quae adhuc vigent, et graviora in diem non sine fidelium scandalo timeri possunt, nomine praedicti Caroli Regis pro eximia sua pietate hujusmodi mala congrua adhibere remedia cupientis supplicavit, ut omnes et singulas facultates, jura, et praerogativas in quascumque personas, et in quibusvis locis, Capellano Majori totius Regni Neapolitani pro tempore existenti ex antiqua et immemorabili consuetudine, vel etiam ex indulto, et privilegio Sedis Apostolicae, vel alia

quacumque ratione competentes, nostrae confirmationis robore communire, easque nominatim, et expresse designare, earumque terminos, et limites praescribere, et definire, et quatenus opus sit, de novo rursus concedere, et elargiri dignaremur, atque alias salubriter providere ad tollendas omnes controversias, et dissensiones abolendas, prout in Domino conspicimus expedire.

Nos, qui de praemissis omnibus sufficienter instructi sumus, supplicationibus praedicti Caroli Regis humiliter Nobis a praedicto Cardinali de Acquaviva porrectis inclinati, et laudabili ejus desiderio, et commendabili pro pace, et concordia inter sacros ministros retinenda, fovendaque studio satisfacere volentes, eumque gratiis, et favoribus prosequi singularibus cupientes, etiam omnium disputationum, et jurgiorum causas prorsus eliminare, ac periculis, quae exinde fidelium animabus imminere possunt, opportune occurrere; et praeterea dirigentes considerationis nostrae intuitum ad personam Venerabilis Fratris nostri Coelestini Archiepiscopi Thessalonicensis moderni Capellani Majoris in toto Regno Neapolitano, ejusque successorum, quos a provida dicti Caroli Regis, et Hispaniarum Infantis, suorumque in praedicto Regno successorum vigilantia, et prudentia ei non absimiles electum iri minime dubitamus, in ejus, eorumque probitate, zeloque Divini cultus, et in rebus Ecclesiasticis peritia, ac scientia, recte ac prudenter hujusmodi facultatibus, Indultis, Privilegiis, Gratiis, et Concessionibus ad decorem domus Dei, et animarum salutem usuros esse, minimeque in subversionem Ecclesiasticae disciplinae, et perturbationem Episcopalis jurisdictionis abusuros, certo confidimus, et in Domino obsecramus. Propterea abrogatis in futurum, et penitus submotis quibuscumque, quae contra et praeter praesentium tenorem hactenus quomodolibet observata, vel praetensa fuerunt, ex certa scientia, et matura deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, adhibito etiam nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, tenore praesentium volumus, et decernimus.

I. Ut Regia Capella in Regali Palatio Neapoli existens omnia, et singula jura, et praerogativas, excepto tamen jure asyli, quibus publicae Ecclesiae fruuntur, habeat, ac potiatur, in eoque liceat Divina Officia, horasque Canonicas ad Breviarii, ac Missalis Romani regulam, et formam, Romanumque morem, et usum recitare, et Missam per unam horam ante auroram, et unam post meridiem celebrare, seu recitari, et celebrari facere; in eaque Sacram Eucharistiam in Sacra Custodia, seu Tabernaculo decenter, et cum debito honore, et veneratione retinere; illamque pro gratiarum actione, vel ad Divinam opem implorandam, vel pro alia quacumque necessaria causa, et in Festo Corporis Christi, et per totam ejus octavam publicae fidelium venerationi exponere, et in uno ejusdem octavae die circum eamdem Capellam processionaliter deferre; in quinta autem, et sexta Feria majoris hebdomadae Sacrum Domini Nostri Corpus, in Sacra Custodia, seu urna reponere, et pro Religioso Ecclesiae more monumentum, sepulturamque ejusdem Christi Domini, luminibus adhibitis, repraesentare. Praeterea non solum in eadem Regia Capella, sed in omnibus Capellis Castrorum, seu Fortalitiorum Sacra Olea, et tempore navigationis Oleum extremae Unctionis in Regiis triremibus, et navibus bellicis congruo honore, et reverentia servare, et custodire.

II. Insuper ut dictus Carolus Rex, ejusque in Regno Neapolitano Successores facultatem habeant nominandi, et eligendi Sacerdotem Saecularem, vel Regularem ab Episcopo suo approbatum, et in Romanae Ecclesiae communione viventem, qui munera Capellani Majoris in toto Regno Neapolita-

Digitized by Google

no fungi, et pro majore officii sui decore, habitu, seu veste Praelatitia, quam in Romana Curia Praelati, sive Regulares, sive Saeculares gestare solent, pro sua conditione ac statu uti, absque tamen gestatione Crucis in pectore more Episcoporum, nisi sit in eadem Episcopali dignitate constitutus, possit, et insuper ab omni ordinaria jurisdictione exemptus, dumtaxat Nobis et Sedi Apostolicae immediate subjectus existat. Tum etiam ut eidem Carolo Regi, ejusque in Regno Successoribus, vel eorum Proregibus, vel per se ipsos, vel per dictum Capellanum Majorem alios inferiores Capellanos, et Scholares eligere, et deputare liceat pro servitio tam Regiae Capellae, quam pro indigentia Hospitalium, Militum, et Classiariorum, Regiorum castrorum, seu arcium, exercituum, triremium, navium, aliorumque hujusmodi Lignorum maritimorum actu, et revera Regi inservientium, dummodo tamen personae eligendae se de nullo crimine inquisitos esse, testimoniales literas suorum respective Ordinariorum, ac Superiorum exhibeant. Hujusmodi vero omnes Clerici, et Sacerdotes Regio servitio adscripti, eo durante, a Locorum Ordinariorum jurisdictione prorsus exempti, solum praefato Capellano majori subjecti sint, quemadmodum per praesentes exemptos, et respective subjectos esse declaramus. Itaque idem Capellanus Major omnes, et singulas controversias, lites et causas tam civiles, quam criminales, seu mixtas, atque etiam beneficiales, exceptis tamen causis haeresis, tum omnes causas excipimus a Sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus Summo Pontifici privative reservatas, contra dictos Capellanos, Clericos, et Scholares dictae Capellae in ea actu servientes, nec non in dictis Castris, Arcibus, seu Fortalitiis, aliisque locis constitutos Clericos, et Capellanos ibidem et actu inservientes, extra tamen Romanam Curiam, motas, vel movendas, tam in prima, quam in secunda, et tertia instantia audire, cognoscere, fineque debito, omni appellatione remota, pro justitia terminare possit; ita tamen ut a dicto Carolo Rege, ejusque in Regno Successoribus loco Ordinarii Assessoris alii novi Consultores tam in secunda, quam in tertia instantia, singuli in singulis eo modo, qui nunc servari solet, nisi gravitas causae plures in qualibet instantia eligendo exigat, destinentur: et quicumque locorum Ordinarii, aut alii Judices nec eidem Majori Capellano inhibere, nec in praedictos inferiores Capellanos, Clericos et Scholares in eadem Capella actu servientes, ac alios in eisdem Fortalitiis constitutos, et constituendos, et ibi residentes, et actu inservientes Capellanos, et Clericos, tamquam ab illorum jurisdictione prorsus exemptos, et totaliter liberatos, et dicto Capellano Majori dumtaxat immediate subjectos, ullam penitus superioritatem, dominium, et jurisdictionem praedictis respectibus exercere, aut se de illis quomodolibet intromittere valeant; sed praedicti Capellani, Scholares, et aliae personae Ecclesiasticae ejusdem Capellae, et Fortalitiorum, exercituum, triremium, et locorum hujusmodi coram eodem Capellano Majori, seu ab eo Subdelegato Judice dumtaxat in omnibus causis tam motis, quam movendis extra Romanam Curiam de justitia respondere teneantur.

III. Ad hoc vero, ut praefatorum exemptorum numerus in immensum, et plus quam oportet, non augeatur, et nimium praejudicium inferatur jurisdictioni Ordinariorum, eidem Capellano Majori vigore suarum facultatum non liceat alios Clericos, et Capellanos designare, et deputare nisi eos, qui actuali servitio Ecclesiarum, Exercituum, Regiarumque navium necessarii sunt; qui in Castris, seu Fortalitiis totius Regni, ejusque pertinentiis duo, aut tres in uno quoque Castro, seu Fortalitio esse debeant. In Exercitibus autem, Triremibus, Navibus, aliisque Lignis maritimis, quae Regi actu inserviunt,

itemque in Hospitalibus militum, et Classiariorum illi solum, qui non modo actu inserviunt, sed etiam stipendia a Rege percipiunt. In Capella autem Regis, et in Castris, seu Fortalitiis in Civitate Neapolitana existentibus solum Capellani, Scholares, et Clerici, qui actu serviunt; ita tamen, ut Scholarium numerus actu Regiae Capellae inservientium ultra decem, et Ecclesiae Parochiali S. Sebastiani ultra quatuor non egrediatur; omnium autem aliorum Capellanorum, et Clericorum, comprehensis etiam Capellanis honorariis, numerum nonaginta, ita ut omnes Capellani, Scholares, et Clerici Regiae Capellae servitio addicti, Castrorum, seu Fortalitiorum Urbis Neapolitanae, ejusque adjacentium, connumeratis etiam Capellanis honorariis, centum numerum non excedant: praeter quem numerum si eidem Carolo Regi, ejusque Successoribus alios addere necessarium visum fuerit, id speciali dumtaxat ipsius Regis rescripto fiat, in cujus pietate, eorumque Successorum certam fiduciam habemus, si opus fuerit, seligendos fore probos Ecclesiasticos viros, literas testimoniales suorum respective Ordinariorum, ut praefertur, habentes, qui morum probitate aliis aedificationi esse possint, et eo tantum numero, qui ad Divinum cultum promovendum, et ad inserviendum Regiae devotioni, et pietati necessarius omnino, et conveniens reputabitur; et ulterius cujuslibet additorum nota Curiae Archiepiscopali eam requirenti per Capellanum Majorem statim, ac sine ulla mora, et dilatione tradatur.

IV. Praeterea volumus, et constituimus, quod ad eumdem Capellanum Majorem pro tempore existentem pertineat directio, et superintendentia circa celebrationem Divinorum Officiorum, aliarumque Ecclesiasticarum functionum, quae in eadem Regia Capella peragi consueverunt, et tam in ipsa, quam in Ecclesia Sancti Sebastiani, sita in Arce, seu Castronovo, etiamsi Episcopali dignitate non sit insignitus, mitra, annulo, et baculo pastorali, ac aliis Pontificalibus insigniis hujusmodi uti, nec non solemnem benedictionem post missarum, vesperarum, matutinorum, et aliorum Divinorum Officiorum solemnia super populum tuum interessentem impertiri, et ducentorum dierum, si praesens Rex aut Regina fuerit, si autem Prorex, centum dierum de injunctis sibi, aut quomodolibet debitis poenitentiis indulgentiam, et remissionem ab omnibus fidelibus ibi praesentibus vere contritis et confessis consequendam auctoritate Apostolica concedere, et publicare possit: in aliis vero Ecclesiis, nisi coram Rege, aut Regina, aut Prorege, et dummodo Episcopus loci in eadem Ecclesia praesens non adsit, qui per se ipsum ea peragere desideret, ac velit, et insuper in Cathedralibus, et Metropolitanis, nisi ab Ordinario licentia obtenta, Pontificalia exercere nequeat.

V. Liceat autem eidem Capellano in quibuscumque Collegiatis, Parochialibus, et aliis inferioribus Ecclesiis Saecularibus, et quorumvis Ordinum Regularibus, etiam Monialium in eodem Regno constitutis, non autem in Ecclesiis Cathedralibus, seu Metropolitanis, nisi de expressa suorum Ordinariorum licentia, ad quas eumdem Regem, vel Reginam, aut Proregem pro tempore existentem devotionis, aut alia ex causa declinare contigerit, per se, aut alios Capellanos cum Scholaribus, et Capellae praedictae Ministris Divina Officia, et Missas tam privatas, quam solemnes celebrare, aut celebrare facere.

VI. Quotiescumque vero in eadem Regia Capella, et Ecclesia Parochiali Sancti Sebastiani, in aliis autem Ecclesiis cum Rex, aut Regina, aut Prorex praesentes aderunt, et Episcopus Loci in eadem Ecclesia praesens non reperiatur, verbum Dei annunciare opus fuerit, in ejus arbitrio sit, quemcumque velit, et idoneum censuerit, Evangelii Concionatorem accersere sive

Saecularem, sive Regularem, dummodo is ab hujusmodi praedicationis officio, si Saecularis sit, a suo Ordinario, et ab Episcopo loci, si vero Regularis, a suo Superiore Regulari suspensus, et interdictus non fuerit; sed in Ecclesiis, et Capellis ejus jurisdictioni subjectis, in quibus Rex aut Regina praesentes non aderunt, idem Capellanus Major Concionatorem eligat, qui tamen alias per Episcopum, si Saecularis fuerit, si vero Regularis, etiam per ejus Superiorem Regularem ad verbum Dei praedicandum approbatus sit, ac licentiam, vel benedictionem juxta Concilii Tridentini decreta ab ipso Ordinario obtinere teneatur.

VII. Si vero Capellanus Major sit in Episcopali, seu Archiepiscopali Dignitate constitutus, praedictis Scholaribus Regiae Capellae, et Ecclesiae Parochialis Sancti Sebastiani dumtaxat conferre tonsuram, ac deinceps ad omnes Ordines minores, atque etiam ad Ordines majores, seu Sacros juxta Sacrorm Canonum praescripta, et Apostolicarum Constitutionum regulas promovere; sin minus, datis literis testimonialibus super eorum aetate, vita, et moribus, titulo ordinationis, et idoneitate scientiae eos remittere ad proprios Ordinarios ab ipsis promovendos: Si autem non sint Episcopi, aut ordinationes non habeant, a quocumque alio Episcopo in Regno Neapolitano existente, dummodo non sit Episcopus Titularis, et praenominati Scholares habeant omnes, et singulas qualitates Clericis promovendis in Regno Neapolitano praescriptas in novissimis Concordatis inter Sedem Apostolicam, et dictum Carolum Regem, et insuper in supradicta Regia Capella, aut Ecclesia Parochiali Sancti Sebastiani per triennium continuum actu inservierint: praeterea per se, aut alios a se deputatos ejusdem Regiae Capellae Capellanos, Scholares, et Clericos, qui propter violentam manuum injectionem in alios Clericos, citra tamen membrorum mutilationem, aut enormem laesionem, sententiam excommunicationis incurrerint, et hujusmodi sententia ligati Missas, et alia Divina Officia, non tamen in comtemptum clavium, celebrando, irregularitatem aliquam contraxerint, ab eadem sententia excommunicationis, injuncta eis pro modo culpae aliqua poenitentia salutari in forma Ecclesiae consueta absolvere, et super irregularitate praedicta dispensare, omnemque inhabilitatis, et infamiae maculam, sive notam per eos propterea contractam abolere libere, ac licite possit, et valeat, et respective possint et valeant.

VIII. Insuper ut idem Capellanus Major pro tempore existens Regum, Reginarum, ac Filiorum, et singulorum utriusque sexus ipsorum Familiarium, ubicumque Rex, aut Regia Curia, seu Aula fuerit, etiam ruri recreationis causa, qui eis actu inservientes sint, et eorum impensis, uti familiares continui commensales, viventes, et aliorum omnium, qui in Regio Palatio, et viridario, et in navali, seu interiori portus parte, vulgo Darsena, *et in Castris, seu Fortalitiis clausis Neapolitanae Civitatis, ejusque adjacentiis, nempe in castro novo, in castro ovi, et in castris S. Herasmi, Bajae, et Hischiae, et in omnibus aliis locis supra nominatis ejusdem Capellani jurisdictioni subjectis morantur, et degunt, donec, et quousque in iisdem locis commorentur, animarum curam gerat aeque, ac si eorum Rector, et proprius Parochus existeret, et per se, vel alium, seu alios Presbyteros Saeculares, vel quorumvis Ordinum Regulares de Superiorum suorum licentia, praevio tamen examine ab eodem Capellano Majori approbandos, et salva Regi, et Reginae facultate eligendi sibi proprium Confessorium arbitrio suo ex Presbyteris ab eodem Capellano Majori approbatis, supradictorum omnium confessiones audire, eisque Sacramenta administrare etiam in mortis articulo: et tempore interdicti eorum corpora Ecclesiasticae tradere sepulturae, dum-*

Digitized by Google

modo ipsi causam interdicto non dederint, neque per eos steterit, quo minus interdicto pareatur.

IX. Matrimoniis etiam celebrandis, factis tamen prius denunciationibus seu proclamationibus a Concilio Tridentino requisitis, si uterque contrahens in locis praesignatis habitent, et morentur; Si vero mulier ibi domicilium non habuerit, denunciationes, seu proclamationes pro parte mulieris fiant, et matrimonium celebretur in Parochiali Ecclesia, intra cujus fines ipsa mulier commoratur; si autem aliqui ex praedictis Exteri fuerint, capta prius per loci Ordinarium informatione, ac ab eodem decreto gratis obtento, quod inter eos licite matrimonium celebrari valeat, similiter idem Capellanus Major, vel alius, seu alii ab eo deputandi, nulla alterius Parochi licentia requisita, solemniter interesse: insuper filios infantes in iisdem locis natos, necnon Judaeos, seu Turcas, sufficienter tamen prius cathechizatos, quos in eorumdem Regum praesentia ex quavis causa baptizari oportuerit, aut praedicti Reges tenere, seu suscipere voluerint, baptizare; ita tamen, ut baptizatorum, Parentumque, ac Compatrum, et Commatrum, necnon Matrimonio simul junctorum nomina describantur in libro, quem idem Capellanus Major, vel quisque Capellanus curatus in singulis praedictis locis habere, et penes se retinere debeat, ex quo ad omnem Ordinariorum locorum, et partium requisitionem fides, seu attestationes in forma solita tradantur.

X. Capellanos, et Presbyteros juxta numerum, ac modum supra stabilitum, ad audiendas Confessiones pro militaribus copiis tam Regis propriis, quam auxiliaribus, tam in Regno utriusque Siciliae, quam extra, ubicumque ab eis iter faciendum, vel morandum esse contigerit, tum etiam pro servitio triremium, et Regiarum navium, et personarum in eis existentium deputatos, praevio examine, caeterisque servari solitis, approbare, et omnia Parochialia Sacramenta existentibus militibus in actuali itinere, et expeditione contra hostes per eosdem administrari facere. Si autem milites in stationibus sint, praefati Capellani exhibere teneantur literas patentes ejusdem Capellani Majoris super eorum approbatione locorum Ordinariis, seu eorum Vicariis Generalibus, si praesentes adsint; si vero absentes, Parochis, in quorum Parochiis castra, seu stationes militum praedictorum positae sunt, a quibus licentia parochialia munera peragendi impertiri, et nullatenus, iisdem literis inspectis, denegari possit: Matrimonia autem coram Parocho loci cum interventu Capellani militum celebrentur, et quoad alia omnia Sacramenta, et functiones parochiales peragantur a Parochis locorum, dummodo vocati interesse non recusent; Si autem adesse noluerit, liceat Capellano militum easdem functiones obire cum dimidia parte emolumentorum, quae de jure integra ad Parochum loci spectarent; eademque omnia pro militibus stationariis praescripta, quoad milites in castris, seu Fortalitiis Regni non clausis existentes, et proprium Parochum non habentes, omnino serventur.

XI. Eosdem autem milites, ac Officiales tempore tamen actualis expeditionis dumtaxat belli actu existentis contra hostes, a crimine haeresis, apostasiae a fide vel per se, vel per alios absolvere, ea tamen lege et conditione, ut hujusmodi facultas in Italia, ejusque Insulis adjacentibus quoad eos dumtaxat locum habere debeat, qui nati sunt in locis ubi haeresis impune grassatur, nec unquam errores judicialiter abjuraverint, vel Sanctae Romanae Ecclesiae reconciliati fuerint.

XII. Omnibus insuper personis utriusque sexus in militaribus copiis existentibus, dum actualis expeditio contra hostes habetur, tam quadragesimalibus, quam aliis anni temporibus, et diebus, quibus esus carnium, ovorum,

casei, butyri, et aliorum lacticiniorum est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, atque etiam carnibus, excepta tamen quoad carnes hebdomada Sancta, et omnibus diebus Veneris, et Sabbati totius anni, et servata forma jejunii, quatenus pro locorum, temporum, et personarum conditione fieri potest, praescripta in nostris literis novissime editis sub datum Romae die xxx Maii MDCCXLI. utendi, et vescendi licentiam impendere.

XIII. Insuper triremibus, et navibus pro Regis usu ac servitio noviter constructis, tum etiam vexillis, aliisque rebus hujusmodi ad militiam spectantibus benedictionem in forma Ecclesiae solita impertiri.

XIV. Et demum omnibus supranominatis personis utriusque sexus ejusdem Capellani Majoris curae in spiritualibus commissis ab observatione diei festi, si aliquod urgens opus in supradesignatis locis, nempe in Regia Aula, et Palatio, in Castris clausis Civitatis Neapolitanae, in Navali, seu interiori Portus parte, vulgo Darsena, in hospitalibus classiariorum, et militum, aliisque hujusmodi facere necesse fuerit, dispensationem, cum obligatione tamen audiendi Missam, et aliquod aliud pium opus, quoad tempus, et occupatio, et personarum conditio sinet, obeundi, concedere: Illos insuper per se vel per alios Ecclesiasticos Viros probos, et prudentes visitare, et corrigere, atque in eosdem omnimodam jurisdictionem ordinariam, atque omnia alia, quae pro bona animarum curae directione Archiepiscopi, et Episcopi, ac alii locorum Ordinarii in suis respective Dioecesibus facere consueverunt, iis dumtaxat exceptis, quae ad exercitium Ordinis Episcopalis pertinent, quae in Regia Aula tantum, ubi Rex, et Regina, seu Prorex totius Regni moratur, et in Ecclesia Parochiali Sancti Sebastiani ab eo, si sit Episcopus, peragi posse volumus, et constituimus, libere facere, et exercere; iisdemque omnibus, et singulis a quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumvis gravibus, et enormibus, etiam Episcopis, et locorum Ordinariis reservatis, de quibus ore confessi, et corde contriti fuerint, salutari poenitentia pro modo, et gravitate culpae imposita, debitam absolutionem vel per se, vel per alios impendere, et elargiri libere, ac licite possit, et valeat, auctoritate Apostolica, scientia, et potestate praedicta concedimus, et indulgemus.

XV. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quovis etiam quantumvis magno et inexcogitato, et substantiali defectu, etiam ex eo quod super praemissis solemnitates, et alia quaevis servanda, et adimplenda servata et adimpleta minime fuerint, aut ex alio quolibet capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, vel causa etiam tali, quae ad effectum validitatis praedictorum specialiter exprimenda foret, notari, impugnari, aut in jus, vel in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, gratiae, et justitiae remedium impetrari non posse; sed illas semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac perpetuo observari: Sicque, et non aliter per quoscumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi, et definiendi facultate, et auctoritate, ubique, et in quacumque instantia, interpretari, judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, quidquid

secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, necnon in Provincialibus, vel Generalibus Conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus, necnon quibusvis Ecclesiarum, et Monasteriorum, et Ordinum quorumlibet, atque etiam dictae Ecclesiae Neapolitanae, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, Privilegiis quoque et indultis, et literis Apostolicis contra praemissa quomodolibet editis, concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia singularis forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores perinde, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, praesentibus inserti foret, pro plene et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie ad effectum praemissorum scientia, et potestatis plenitudine similibus derogamus, et ad plenum derogatum esse volumus, et declaramus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus denique, mandamus, et decernimus, quod tam ipse Capellanus Major, quam alii supradicti de caetero nullis aliis, praeter quam supra expressis facultatibus, privilegiis, gratiis, et indultis, et quoad personas, res, loca, et casus supra expressos dumtaxat respective uti valeant, nec etiam aliam ipse Capellanus Major, quam supra expressam jurisdictionem, et superioritatem in Ecclesiis, et Capellis, ac personis hujusmodi habere, exercere, vel vindicare, aut praetendere, etiam vigore extensionis, seu comprehensionis, seu etiam rationis Majoritatis, aut sub praetextu cujuscumque privilegii, aut indulti praesertim Leonis X. aut quorumcumque aliorum Praedecessorum nostrorum, seu Regaliae, aut possessionis etiam immemorabilis, et tituli ex ea resultantis, scientia, patientia, et tolerantia quorumcumque Superiorum, et Ordinariorum, etiam Sedis Apostolicae, roboratae, nequaquam possit. Nos enim quascumque alias facultates, exemptiones, privilegia, gratias, et indulta per quoscumque Romanos Pontifices, et praesertim Leonem praedictum, Praedecessores nostros, ac Sedem Apostolicam Capellae Regiae Capellano Majori, aliisque suprascriptis personis hactenus concessa, literasque Apostolicas etiam in forma Brevis, aut sub plumbo, aut alias quomodolibet, et quibusvis clausulis, et conditionibus desuper expeditas, motu proprio, scientia, et potestatis plenitudine paribus perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, et abolemus, ac revocata, annullata, cassa, et abolita esse declaramus, et quamcumque quasi possessionem etiam immemorabilem, et centenariam et ultra improbamus; ita ut nunquam in judicio, aut extra allegari, aut ad effectum aliquem eis suffragari possint: Salvis tamen omnibus juribus, praerogativis, privilegiis, et facultatibus in Scholares, Lectores, aliasque personas Regiae Universitatis Studiorum Neapoli existentis, tum etiam quoad causas, et personas Rectores, seu Possessores nonnullorum Beneficiorum, et Ecclesiarum, vel iisdem Ecclesiis inservientes, quae ad nominationem, seu praesentationem, aut jus patronatus Regium spectant, ab immemorabili tempore eidem Capellano Majori, ut asseritur, competentibus, quae per praesentes neque approbare, neque eis ullatenus derogare intendimus.

Caeterum quia difficile foret, praesentes nostras literas ad singula loca, ubi fortasse opus erit, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu tamen publici Notarii subscriptis, et praedicti Capellani Majoris sigillo munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si fo-

Digitized by Google

rent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, privilegii; indulti, decreti, mandati, declarationis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo pridie nonas Julii, Pontificatus nostri anno primo.

P. Cardinalis Aldrovandus Prodat. = Pro D. Cardinali Passioneo. = Cajetanus Amatus = Visa de Curia = Loco ✠ Plumbi. = N. Antonellus. = J. B. Eugenius.

CCI.

Motus proprius Benedicti XIV. P. M. super nonnullis aliis facultatibus Capellani Majoris R. N.

Benedictus PP. XIV. Motu proprio etc. Cum alias per nostras literas sub plumbo, datas Romae apud S. Mariam Majorem pridie nonas Julii, Pontificatus nostri anno primo, ad supplicationem carissimi in Christo Filii nostri Caroli Siciliae, et Jerusalem cum tota Terra citra Pharum Regis Illustris, et Hispaniarum Infantis, varias, et diversas facultates Venerabili Fratri nostro Coelestino Archiepiscopo Thessalonicensi moderno Capellano Majori, ejusque successoribus concesserimus, inter caeteras, ut Capellanos, et Presbyteros, juxta numerum, ac modum in iisdem literis stabilitum, ad audiendas confessiones pro militaribus copiis tam Regis propriis, quam auxiliaribus, tam in Regno utriusque Siciliae, quam extra, ubicumque ab eis iter faciendum, vel morandum esse contigeret, praevio examine, caeterisque servari solitis, approbare; et omnia parochialia Sacramenta existentibus militibus in actuali itinere, et expeditione contra hostes per eosdem administrari facere; necnon eosdem milites ac officiales tempore actualis expeditionis a crimine haeresis, apostasiae a fide vel per se, vel per alios absolvere: omnibus insuper personis utriusque sexus in militaribus copiis existentibus, tam quadragesimalibus, quam aliis anni temporibus, et diebus, quibus esus carnium, ovorum, casei, butyri, et aliorum lacticiniorum est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, atque etiam carnibus, exceptis tamen quibusdam diebus, et servata forma jejunii a Nobis praescripta, utendi, et vescendi licentiam impendere: iisdemque omnibus, et singulis dispensationem ab observatione diei festi, si aliquod opus faciendum necessario fuerit, concedere: et praeterea a quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis, quantumvis gravibus, et enormibus, etiam Episcopis et locorum Ordinariis reservatis, de quibus ore confessi, et corde contriti fuerint, salutari poenitentia pro modo, et qualitate culpae imposita, debitam absolutionem vel per se, vel per alios impendere, et elargiri libere ac licite possit, et valeat, prout latius in praefatis literis nostris continetur; quarum tenores his pro sufficienter insertis, et expressis haberi volumus. Cum autem postea a praefato Archiepiscopo Thessalonicensi Nobis expositum fuerit, ad opportunam Sacramentorum administrationem, et procurandam animarum salutem pro militibus in actuali expeditione contra hostes existentibus, nonnullis aliis facultatibus, per se vel per alios ecclesiasticos viros exercendis, omnino indigere; Nos animarum saluti, quantum in Domino possumus,

consulere cupientes, motu simili etc. eidem Venerabili Fratri nostro Coelestino Archiepiscopo, ejusque successoribus in dicto Regno utriusque Siciliae Capellanis Majoribus pro tempore concedimus et impartimur infrascriptas etiam facultates, ad nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum duraturas, per se, vel per alium seu alios Sacerdotes probos et idoneos, et juxta formam in praefatis literis nostris praescriptam approbatos, ab eodem Capellano Majori subdelegandos, pro militaribus tamen copiis, tam propriis dicti Regis, quam auxiliaribus, in actuali expeditione contra hostes existentibus dumtaxat; non autem in hibernis, aut praesidiis commorantibus, exercendas: Videlicet absolvendi omnes et singulas personas in iisdem copiis militaribus existentes a quibuscumque eorum peccatis, et delictis, quantumvis gravibus, et enormibus, non solum Episcopis et locorum Ordinariis, sed etiam Nobis et eidem Sedi Apostolicae specialiter reservatis, et reservari solitis: commutandi, relaxandi, dispensandi, et absolvendi respective, prout et in quantum Episcopis et locorum Ordinariis juxta Sacros Canones, et Concilii Tridentini decreta id facere licet et permittitur, quoad vota, juramenta, irregularitates, et censuras Ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones, et interdicta; necnon quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denunciationibus, quae Matrimonii personarum, ad praedictas copias pertinentium, et cum illis commorantium, contrahendis praemitti deberent: concedendi quibuscumque utriusque sexus Christi fidelibus, ad praefatas copias pertinentibus, in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt, necnon in Nativitate Domini nostri Jesu-Christi, Paschatis Resurrectionis, et Assumptionis B. Virginis festis diebus vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem: singulis autem diebus Dominicis, et aliis festivis de praecepto relaxandi iis, qui ejus concionibus intervenerint, decem annos de injunctis illis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta: celebrandi Missam una hora ante auroram, et alia post meridiem, et si cogat necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub dio, et sub terra, et gravissima omnino urgente necessitate, etiam bis in die, si tamen in priori missa ablutionem non sumpserit, ac jejunus fuerit; necnon super Altari portatili, et non integro, seu aliqua in parte fracto, aut laeso, et sine Sanctorum Reliquiis; ac demum, si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali, et irreverentiae, etiam praesentibus haereticis, aliisque excommunicatis: benedicendi quaecumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta, et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad Divinum cultum pro servitio earumdem copiarum dumtaxat necessaria, et pertinentia; exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda erit: reconcilliandi Ecclesias, Capellas, et Coemeteria, ac Oratoria quomodolibet polluta, in illis partibus, in quibus ipsae copiae consederint, si ad locorum Ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta, imo etiam, magna urgente necessitate, ut Missae Dominicis, et aliis festivis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato Antistite non benedicta. Demum celebrandi Missam de Requiem in quocumque altari, etiam portatili, si aliter celebrari non possit, et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictarum copiarum, secundum celebrantis intentionem, a Purgatorii poenis per modum suffragii. Caeterum cum facultates praedictae ad animarum salutem admodum pertineant, praesentes, et desuper conficiendas literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quoquam alio de-

Digitized by Google

fectu notari, vel impugnari posse, sed eas validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, Apostolica auctoritate decernimus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, etiam in universalibus, provincialibus, et synodalibus Conciliis editis, vel edendis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, etiam motu pari ec. concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat. Motu proprio P.

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. et quod aliae dicti Capellani Majoris concessiones, et facultates habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis, et de concessione, et impartitione hujusmodi, aliisque praemissis, ut supra latissime extensis, et quod praemissorum omnium, et singulorum aliorumque necessariorum major, et verior sp. et expositio fieri possit in literis per viam de Curia, ut vocant, si videbitur, expediendis, aut sola praesentis schedulae Motus proprii Nostri signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in judicio, et extra illud, regula quacumque contraria non obstante. Datum Romae apud S. Mariam Majorem IV. *Idus Novembris, anno secundo.*

S. V. Motu proprio concedit Capellano Majori in toto Regno Neapolitano, ejusque successoribus facultates, ad V. S. et Sedis Apostolicae beneplacitum duraturas, pro militaribus copiis in actuali expeditione contra hostes existentibus dumtaxat, celebrandi in casu necessitatis in quibusvis locis; benedicendi paramenta, et alia necessaria ad Divinum cultum; reconciliandi Ecclesias, et Oratoria quomodolibet polluta; absolvendi a peccatis, etiam Summo Pontifici, et Sedi Apostolicae reservatis; commutandi, relaxandi, dispensandi, et absolvendi respective quoad vota, juramenta, irregularitates, et censuras; celebrandi Missam de Requiem in quocumque altari, et per ejus applicationem liberandi animam alicujus pii defuncti a Purgatorii poenis; concedendi plenarias peccatorum indulgentias diversis festis diebus, et praesertim in articulo mortis, omnibus utriusque sexus = N. Antonellus Abbreviator de Curia.

CCII.

Actus Reg. Visitationis factae per Ill. Dom. D. Angelum de Giocchis in Ecclesia S. Luciae.

Administri Divini cultus Ecclesiae S. Luciae olim erant simplices Presbyteri, ut perhibent Regii Visitatores: Simeon vero Impellizzeri Abbas, et Praelatus hujus Ecclesiae ad majorem Ecclesiae splendorem incumbens sua ordinaria auctoritate coetum Clericalem Ecclesiae servitio adscriptum nuncupatum vulgo la Communia *suppressit, et annullavit, Ecclesiam inde praedictam in Collegiatam confirmans, sive erigens, Canonicos duodeviginti constituit, transferens omnes redditus cum oneribus, qui primum erant coetus praedicti Clericalis in Collegium Canonicorum. Tres insuper ex iis constituit Dignitates Archidiaconum, Decanum, et Cantorem, qui omnes Divinis Officiis interesse tenerentur sub poena amissionis distributionum quotidianarum.*

De Capellaniae Majoris, sive Praelaturae S. Luciae origine, et statu.

Olim oppidum S. Luciae, quae primum ad Dioecesim Pactensem pertinebat cum Fridericus Imperator Rex Siciliae Majori suo Capellano eam donaret, ejus jurisdictioni obnoxia evasit. Ecclesia vero tunc Regia Capella constituta fuit, et in Praelatiam attributa Dioecesi subinde erecta, major inde Capellanus, qui primum Beneficialis dicebatur, Abbatis postea titulo fuit insignitus cum potestate ordinaria, et jurisdictione quasi Episcopali. Ea autem de jure patronatus est, cui Abbas, sive Praelatus regia praesentatione praeficitur, unde visitationi, et aliis Regii Potronatus juribus est obnoxia.

Status Majoris Capellaniae modo est ut Abbatem, sive Praelatum ad praesentationem Regiam obtineat, qui in Generalibus Siculis Comitiis locum tenet post Episcopos, et Archimandritam, primusque sedet ante omnes Abbates, et inferiores Praelatos, ejusque redditus ascendunt... Capitulum duodeviginti Canonicorum, quorum tres Dignitates sunt Archidiaconus, Decanus, et Cantor; habet duodecim Mansionarios, sive Canonicos secundarios, et duos Capellanos pro Sacramentorum administratione; parvam habet Dioecesim etc. Porro cura parochialis in Ecclesia majore, et in aliis Ecclesiis parochialibus, et Sacramentalibus Urbis S. Luciae, et Dioecesis, quarum unus Parochus est ipse Praelatus, *exercetur per Vice-parochos, sive Capellanos, qui in catechizandis parvulis in Sacramentorum administratione, et in verbi Dei praedicatione suum explent munus etc.*

Ex actis Visitationis existentibus in Officio Conservatoris.

CCIII.

Statuta Ill., et Rev. Reg. Visitatoris Angeli de Ciocchis circa Ecclesiam, et Canonicatum Ecclesiae S. P. Calaxibettae.

§. 1. *de Statu materiali.*

Cum Rogerius Comes quondam in Saracenico Monte Calaxibettae ad Ennam expugnandam Arcem erexisset, quae suorum Incolarum frequentia Civitas Victoriosa dici meruit, duo in ea Templa, ubi Incolis Sacramenta administrarentur, extruxit, quae B. Petro Apost. et B. Virgini nuncupata, pro sua munificentia ditavit. Petrus inde II. Rex, qui eadem Templa praediis, decimisque locupletavit, eorum Capellanum Regium Rectorem, et Canonicum nuncupari innuit, qui omnium Incolarum unicus Parochus esset.

Hinc is Reg. Canonicatus ad Reg. pertinet praesentationem, subest spolio, Tandis, et donativis regiis, atque exemptus est cum suo Clero, et Ecclesiis a jurisdictione Episcopi Catan. *cujus in Dioecesi existit,* qui pertinent ad Reg. Mag. Capellani Regni jurisdictionem.

Huic vero Reg. Canonico, qui unicus totius Civitatis, et Territorii Calaxibettae Parochus est, omnes suffragantur Ecclesiae, quae etiam de reg. jure patronatus sunt, et ad reg. spectant Capellam.

Ex §. 2. de Statu formali.

Forma Reg. Canonicatus Calaxib. est, ut Reg. Canonicum, qui et Parochus totius Civitatis est, ad reg. praesentationem obtineat: Is modo est D. Matth. Buscemi ad praesentationem Caroli VI. Imper. = Habet administros divini cultus duodecim Presbyteros nomine Canonicorum insignitos cum

um Almutii nigri coloris, qui regii Canonicatus adjutores sunt in administratione Sacramentorum, aliisque ecclesiast. muniis, tenenturque pro Ecclesiae more divinis officiis, ac sacris solemnibus interesse. De eorum vero electione, ac stipendio lis pendet: Iis subinde suffragatur omnis Clerus in Ecclesiae servitio: sunt necnon quatuor Sacristae, quibus praest Sacrista major.

Ex libro Visitationis in Officio Ill. Conservatoris.

CCIV.

Declarat Benedictus XIV. decere, ut Capellanus major tamquam unicus Episcopus Aulae, Episcopali dignitate augeatur, et proprium habeat Territorium, ubi suam exerceat jurisdictionem.

plica a V. M. per altra mercede, giacchè mancandoli detta entrata non può esso Supplicante vivere con detta carica di Cappellano Maggiore, e tanto più incapace di pensione; ricorre perciò con l'umiltà, che deve a V. M., e la supplica, li facci grazia ordinare al Vicerè di Sicilia, li faccia relazione delle cose predette, e fin ad altro ordine della M. V. non si proceda in detta lite, come anco all' Avvocato Fiscale di Palermo, che in nome di V. M. defenda al Supplicante in detta lite, conforme sarà necessario: che il tutto riceverà a grazia particolare. Y considerando lo que el Supplicante refiere nell' inserto memoriale, os encargo, y mando, que sea mantenido en la possession, y que se haviere pleyto en esto negozio, non se publique sentenzia en el sin darne cuenta del y della por este mi conseyo supremo de Italia, y espetar respuesta mia, que tal es mi voluntad. Dat. en S. Lorenzo a 4 Agosto 1618 yo el Rey. Vidit Comes etc.

Ex litteris exequutoriis in Officio R. Cancell. h. R. S. existentibus ann. 2 Ind. 1618 et 1619 fol. 55 retro.

CCLXIII.

De spirituali jurisdictione in Insulam Usticam, illud, quod bullis Pontificiis ab Rege confirmatis, receptisque moribus conforme sit, observandum edicitur.

Ecc. Rev.

Essendosi con Real Dispaccio de' 13 corrente prescritto quanto siegue = A. R. = Il Re ha letto le relazioni della Giunta de' Presidenti, e Consultore, e del Presidente Damiani sulla competenza eccitata tra Monsignor Cappellano Maggiore, e l' Arcivescovo di Palermo per l' autorizzazione del breve Pontificio, ottenuto da D. Giuseppe Favaloro per tenere in Casa sua in Ustica un Oratorio privato, ciascuno dei detti Prelati pretendendo di esser l' ordinario di quell' Isola. E la M. S. di risulta ha comandato che si esegua sul proposito di tali pretensioni, ciò che prescrivono le Bolle Pontificie confermate dai Sovrani Stabilimenti, e che per altro si pratica in tutti i Reali Dominj. = D' Ordine di S. A. R. il Principe Ereditario lo comunicò a V. E. Rev. per intelligenza e governo.

Di V. E. Rev.

E Dmond O Farris.

Fauzalo9 S.te qual Q.r M.e Gen.

A. S. E. Rev.
Mons. D. Alfonso Ajroldi Arciv. di Eraclea, e Cappell. Magg.

Ex actis existentibus in Curia Capellani Majoris R. S.

Digitized by Google

AD LIBROS
DE CAPELLA REGIS SICILIAE
PROLEGOMENA.

§. I

Explicatur etymon vocum Capellae, et Capellani.

Capella, si vim nominis spectes, idem est ac brevior capa, sive palliolum. Capa enim integrum est pallium, seu genus quoddam supremae vestis, et non cujuslibet, sed ejus praesertim, quae caput, ac totum corpus, et una caeteras vestes contegit. Fuit haec dictio priscis incognita Latinis, tametsi eam aliqui a verbo capio ducant, quod uti scribit Isidorus (*lib. X. c. 36*) totum hominem capiat. Sive autem a capiendo, sive aliunde repetatur; quae vestis capa dicta est, non ad mollitiem, et ornatum inventa fuit, sed ad coeli injurias arcendas, eisque accommodata, qui parum urbanae elegantiae studentes, habitum saepe mutare nolebant. Hinc licet antiquitus illâ uti magis expedita etiam laici uterentur; peculiaris tamen fuit Ascetis, et Monachis, uti qui maxime a saeculi moribus, et cultu abhorrebant. Sed vide hac de re Cangium (*in Gloss. v. Capa*)

In compertis est, a S. Martini Turonensis Capella, seu palliolo, regum oratoria capellas, et clericos eisdem addictos, Capellanos dici consuevisse. Nempe sanctissimi Episcopi memoriam, et exuvias veteres Franci summa religione colebant, et a die mòrtis ejus annos numerabant. Sicut enim caeterae Gentes aliis, atque aliis epochis usae sunt; sic olim illi primordio ad annos certa ratione computandos Franci adhaeserunt. Quare apud eos in litium caussarumque forensium disceptationibus schedae ac tabellae aliis obsignatae temporum notis, omni prorsus auctoritate carebant. Vide Bulengerum (*in app. de Offic. Reg. Galliae*), ac Peiratium (*de Orat. Reg. Franc. lib.* 1. *C.* 2.).

Jamverò ipsi francorum Reges Subditos suos uti regia Majestate, sic etiam D. Martini religione superabant. Atque inter praecipuas Sanctorum reliquias ejus Capam in Palatio asservari, et in bellicis expeditionibus, quin immo in ipso cùm hostibus conflictu deferri voluere, utpote Imperii palladium, et certissimum referendae victoriae monimentum. Illam praeterea Episcoporum, et Sacerdotum fidei commendabant, qui et in Aula, et in Castris sacro ministerio erant adscripti. Quare usus, apud quem jus est, et norma loquendi, pedetentim effecit, ut Regum Oratoria Capellae, eisdemque servientes Presbyteri, et Clerici, Capellani dicerentur.

Et sane Capellae vocabulum inde derivatum testatur Monachus Sangallensis his verbis. *De pauperibus supradictis quemdam optimum dictatorem, et Scriptorem in Capellam suam adsumsit: quo nomine Reges propter capam S. Martini, quam secum ob sui tuitionem, et hostium oppressionem jugiter ad bella portabant, Sancta sua adpellare solebant* (*lib.* 1. *de Vita Caroli M.*). Inde ductum quoque Capellani nomen adfirmat Valafridus Strabo ita scribens: *Dicti sunt primitus Capellani a capa B. Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriae in praeliis solebant secum habere: quam*

ferentes, et custodientes cum caeteris Sanctorum reliquiis Capellani coeperunt adpellari (*De reb. eccles. C.* 30). Porro eadem est sententia Honorii (*in Gemma animae C. CXXVIII. et in Serm. de S. Mart.*) cui subscribunt Baronius, Cangius, Thomasinus, Mabillonius aliique plures.

Ex his non modo, unde profluxerint Capellae, et Capellani nomina, perspicuum est, verum etiam, quod Sacellis, et Sacellanis Regiis propria sint. Nam quae primitus Capella audiit, locus ipse fuit seu Sacrarium, ubi Reges Divum reliquias reponi faciebant, et pietatis operibus vacabant: qui vero Capellani adpellati sunt, Sacerdotes fuere, qui in Aula et comitatu Regum sacris operabantur. Quamobrem Capellae nomine, tantum Regiam Capellam, et Capellani vocabulo Capellanum Regium probe intelligeres absque alio additamento.

A R T. II.

Quae sit regiae Capellae propria natura et definitio.

Capellae nomen semel inventum varias, ac multiplices obtinuit significationes. Ut verò quid regia Capella stricte sumpta sit declaretur, statuendum erit, Sacerdotum esse coetum Sacra Regibus administrantium sub ejus auctoritate, qui Regiae totius Aulae dicitur Episcopus. Hoc equidem in Capellae nomine intellexit S. Ludovicus inquiens in suo Testamento: *Libros nostros, quos tempore decessus nostri in Francia habebimus, praeterquam illos, qui ad usum Capellae pertinent, legamus fratribus Praedicatoribus.* Et Helgaldus in Epitome vitae Roberti Regis, ejus Capellam vocat: *Sanctorum Collegium Clericorum.*

Dixi, Capellam Regiam Aulicorum Sacerdotum coetu componi, nulla ipsius sacrae aedis facta mentione, ubi divinis rebus imminent. Ut enim non sistit in parietibus Respublica, quemadmodum dictum perhibetur a Pompeo Senatoribus, et Civibus, qui Urbem desernerant, et Caesaris arbitrio permiserant, sic etiam nec Regia Capella in alicujus Templi vel Sacelli materiatione consistit. Ex aulicis tamen coalescit Sacerdotibus, qui Regi serviunt, eumque comitantur.

Sive in extremos penetrabit Indos,
Sive trans altas gradietur alpes.

Nam Regia Capella est per se ambulatoria, et ubicumque Rex sit, ejusque ministerio uti velit, adstat, non secus atque ubi Rex, ibi Curia, ut ajebat Herodiano teste (*Lib. I. C.* 6.), Pompejanus, et ubi Pontifex ibi Romana Ecclesia, uti scribit Petrus Damianus (*Ep. X. ad Alex. II.*), argumento inde ducto, quod sub persecutione judaica, ubi erant Apostoli, Christi manebat Ecclesia. Probe igitur ac merito Joseph Carafa *notandum est, inquit, cum Peiratio, Capellam Regis proprio, et stricto sensu sumptam non esse sacram aedem ipsam in loco aliquo constructam, sed coetum Clericorum, qui Regi sunt a sacris domesticis. Qua de re ubicumque Rex fuerit, sive in Civitate, sive in Castris, domi forisque, terra marique habet Capellam suam, quemadmodum ubi Rex, ibi Aula.* (*De Capell. Reg. C.* 1. §. 5.)

Dixi praeterea regiam Capellam illius auctoritate regi, qui totius Aulae Regiae dicitur Espiscopus. Siquidem res ipsa postulat, ut cum Regia Capella ex aulicorum Sacerdotum coetu conflетur, non alium ab ipso Aulae Epi-

scopo Antistitem sibi vindicet. Porro Capellanum majorem natura et definitione sua Episcopum esse Aulae, longiori oratione ubi proprius locus erit, explicabitur.

§. III.

De Regiae Capellae divisionibus.

Regia Capella proprio sensu accepta pro coetu Virorum ecclesiasticorum, qui assistunt Regibus, recte dispescitur in ambulantem, et permanentem. Nam vel regiam Curiam sequuntur, inque ara viatica faciunt, vel regiis sacellis aliquo in loco constructis addicti sunt. Ex quo patet, Capellam ambulantem dici a personis, unde coalescit, et permanentem a locis, ubi fixa residet. Veniunt etiam sed minus proprie sub nomine Capellae, sacrae eades alicubi erectae, et inde fit, ut Capellae in materiales, et formales distinguantur.

Priorem nos divisionem, utpote quae rei naturae consonat, libentissime amplectimur. Posteriorem verò tantum non rejicimus, et ea quidem de caussa quod formalis Capella materiali eget Ecclesia, in qua sacris operetur. Sic enim inter se cohaerent, ut qui alteram ab altera velit sejungere, eum necesse sit aut altare sine Ministris, aut Ministros sine altari confingere. Ipsamet Capella ambulans, quae a personis hoc sumit, ut ambulans sit, aram exposcit viaticam, et gestatoriam, super qua rem divinam faciat. Manet igitur Capellas regias per se dispesci in ambulantes, et permanentes; interim in materiales, et formales posse distingui, quatenus earum unaquaeque templa, et altaria in sui usum adsciscat.

LIBER I.

Regiae Capellae Siciliae διατυπωσιν, seu descriptionem exhibet.

Ut quae hoc primo suscepti operis libro dicturi sumus, ex ordine collocentur. Capellam regiam sub triplici aspectu considerabimus; et I. uti Virorum ecclesiasticorum Collegium; II. utpote Aulam, et Militiam sequi paratam, atque adeo datis occasionibus ambulatoriam; et III. uti certis inclusam locis, ac proinde defixam, et permanentem. Ita tribus veluti partibus tota ejusdem libri propria disputatio continebitur.

LIBRI I. PARS I.

De Regia Capella Siciliae utpote Collegio Virorum Ecclesiasticorum.

CAPUT I.

De antiquitate Regiae Capellae Siciliae.

§. I.

Quare cum Sacerdotibus Northmanni Duces in Siciliam advenerint.

Consueverant christiani Imperatores ac Reges adjungere sibi Clericos, et Sacerdotes, quorum ministerio ad complenda Religionis praecepta uterentur. De Constantino M. qui primus omnium Imperatorum Christo nomen dedit, haec

Digitized by Google

habet Eusebius: *In Palatio quamdam veluti Ecclesiam Dei constituit . . . . Praeibat cunctis, qui in Ecclesiam illam erant adscripti, et sacros codices in manus sumens, oracula a Deo edita attento animo meditabatur, posthac solemnes preces cum Aulicorum coetu recitabat* (*In vita Const. lib. IV. C.* 17). Testatur quoque Eusebius, Constantinum M. Diaconos, atque Deo consecratos Ministros vitae gravitate, et reliquis virtutibus ornatos totius domus custodes instituisse (*loc. cit. C.* 18). Addit praeterea Sozomenus, Oratorium portatile ad Castra religiosissimum Principem deferre solitum, et illi Sacerdotes addixisse, qui rem divinam agerent. *In Palatio extruxit Oratorium, et tabernaculum Ecclesiae figuram exprimens cum contra hostes praelio contenderet, secum circumferre consuevit ad eum finem, ut neque sibi in solitudine vitam agenti, neque exercitui deesset aedes sacra, in qua quidem deberent Deum laudibus efferre, et sacra ministeria percipere. Nam Sacerdotes, et Diaconos, qui secundum Ecclesiae institutum, ista munera obirent, tabernaculum assidue secuti sunt* (*lib. I. C.* 8).

Constantini exemplum alii Christiani Principes, et praecipue Francorum Reges imitati sunt. Cum enim S. Martini tunicam, et aliorum Sanctorum reliquias in Palatio adservari et in Castris deportari facerent, Sacerdotes ex consequenti habuerunt divinarum rerum ubique Administros. Nempe solemne fuit Veteribus, ut ubi Sanctorum praesertim Martyrum ossa delitescereot, ibi sacra peragerentur. Quod sane constat ex Concilio Chalcedonensi (*Can.* 6) Aurelianensi II. (*Can.* 13, et Epaonensi, a quo expressis verbis statutum est, non esse collocandas Martyrum reliquias in Oratoriis, nisi Clerici deputarentur, *qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur* (*Can.* 25).

Jamvero Francorum Regum vestigiis sibi esse insistendum arbitrati sunt Northmanni Duces Robertus, et Rogerius, qui Saeculo XI. ad liberandam e Saracenorum tyrannide Siciliam animum adjecerunt. Quippe ipsis Virorum ecclesiasticorum ministerio opus erat, ut a Sacris exorsi propitio Numine pugnam committerent. Accedebat, quod quando Insulam devictis Infidelibus adepti fuissent, nihil magis eos deceret, quam ut oppressae, ac fatiscenti Religioni suppetias ferrent. Et verò sine Sacerdotibus sanctimonia, prudentia, et divinarum rerum usu praestantibus, qui tam grave negotium rite susciperent, aut feliciter explicarent? Ergo inclyti Duces cum delecta non modo Militum, verum etiam sacrorum hominum manu trajecto Messanensi freto in Siciliam adgressi sunt. Quamobrem auspicato dimicaverunt, et vita functo Roberto, Rogerius Barbarorum opes delevit, et avitam Gentis Religionem tanta restituit munificentia, ut probe ac merito scribat Fazellus, Siculos, quod christiani sint, Northmannis acceptum ferre. Nisi enim opportunis auxiliis inclinata Religio exsuscitaretur, prorsus interitura fuisset.

§. II.

A Northmannis repetenda est primaria Regiae Cappellae Siciliae institutio.

Northmannis Ducibus eosdem illos ecclesiasticos Viros, quos profecturi ad bellum saracenicum sibi socios cooptarunt, Castrensis Capellae loco fuisse, nemo ibit inficias. Et sane in Rogerii I. Comitis, et Filiorum privilegiis, quae apud Pirrum legimus, ex recepto jam usu Cappellani vocantur, et is, qui caeteris qua dignitate, qua auctoritate praestabat, Magister dicitur Capellanus (*D I.*).

Haec autem Capella principio mere ambulans suscepti belli cursum in-

Digitized by Google

signesque victorias consequebatur; sed paullo post abiit in ambulantem, et permanentem. Siquidem pientissimi Duces in arcibus, quas expugnabant, et in locis etiam, quae operibus, et praesidio muniebant, Sacella erexerunt, ut Ecclesiae Troinensis, et S. Petri Calaxibettae documento liquet. Inde par fuit, ut Capellanorum pars ibi fixa maneret, pars vero victricia signa sequi pergeret.

Redacta in suam ditionem tota Sicilia Rogerius dum in Christi Religione erectis undique Templis et Monasteriis, institutisque amplissimis Sacerdotiis restauranda operam ponit, Capellam quoque suam amplificare studet. Hinc regiae arces, oppida, palatia sacris aedibus instructa; in aulicorum Sacerdotum numerum adlecti plurimi, quos Insula vel in illis primordiis offerebat idoneos; iis tradita divinarum rerum domi militiaeque administratio, et magis magisque in omnes regias Capellas Capellani Majoris constabilita jurisdictio. Praeterea sic auctam Capellam Rogerius non modo sibi, et suae familiae verum etiam omnibus, qui sui futuri essent haeredes adscripsit, adeoque stabilem et perpetuam in regno fore constituit. Itaque Sicilia regiam Capellam a Northmannis usque temporibus habet insignem, eamdemque et in Aula, et in Castris sacrum ministerium exhibere destinatam.

C A P U T II.

De dignitate regiae Capellae Sicilae.

§ *I.*

Quo loco fuerint in Sicilia Capellani regii sub Northmannis, Suevis, et Aragonensibus.

Apud Francorum Reges ipsimet Capellani sacris addicti, a secretis, et epistolis erant, regiaque diplomata conscribebant, et obsignabant. Pluribus hoc probat Cangius, qui etiam observat, Capellanos dictos fuisse Cancellarios, quod praestantissimum Cancellarii munus exequerentur. Quare cum ex una parte Capellani aliqua scientia, et scribendi peritia egerent, et ex altera nulli ut plurimum inter Nobiles reperirentur litteris exculti, sacrisque initiati; mirum non est, obscurae conditionis homines quandoque in regios Capellanos adscitos fuisse, caeterum probos, et eruditos, uti superius allatum Saugallensis Monachi testimonium evincit. Jamvero Northmanni Siciliae Principes ducti Francorum Regum exemplo, Capellanos habuere non modo sacrorum Ministros, verum etiam in iis maxime rebus, quae Religionem spectabant, Scribas, Notarios, et Cancellarios.

Plenissimam hujus rei fidem faciunt instrumenta plurima, quae in Notitiis Siciliensium Ecclesiarum a Pirro exhibentur. Nam donationem Pan. Ecclesiae factam et a Comite Rogerio confirmatam anno 1087 manu propria signat Raynaldus ejus Capellanus. Privilegio, quod Catanensi Ecclesiae idem contulit Rogerius anno 1092 post Archiepiscopos Tarentinum, et Consentinum, sed ante Gaufridum, et Jordanem Rogerii Filios caeterosque Aulae Magnates subscribit *Geroldus Capellanus Domini Rogerii Comitis* similiter, Aliud privilegium, quo donata est anno 1093 ab eodem Rogerio Mazariensis Ecclesia, datum legitur *per manus Roberti de Urbe, Capellani ipsius, et Cancellarii*. Et illud, quo Liparitanum Coenobium auxit Rogerius anno 1094 exaratum, dicitur *in praesentia Goffridi Melitensis Episcopi, et Fulconis Medici, et Capellani*, qui hanc

chartam manu propria scripsit. Proinde Fulco triplici munere apud Rogerium fungebatur, Capellani nempe, Scribae, et Medici: quod ea tempestate Viri amplissimi rei medicae operam dabant; unde et Romualdus Salernitanus Archiepiscopus, et alii perillustrium Ecclesiarum Antistites medendi artem novisse perhibentur.

Praeterea in favorem Catanensis Ecclesiae Genfridi Principis diploma subsignant anno 1106 *Petrus Magister Capellanus ipsius, et Petrus alius Presbyter, et Stephanus alius Presbyter*. Item diplomati Rogerii II. pro Coenobio S. Luciae de Montaneis subscribunt anno 112... *Guillelmus, et Guannus Domini Comitis* Capellani. Et aliud ejusdem Rogerii jam Regis in gratiam S. Philippi da Agyrio privilegium occurrit anno 1139 e Gualterio illius Capellano litteris mandatum, regio et sigillo communitum. Plures ergo in Northmannorum Principum aula Capellani adfuere, ac tanto in honore, ut Episcopos inter et Proceres illorum diplomata subsignarent, vel ipsi conscriberent, quod eximia Cancellarii dignitate augerentur (*Dipl. I.*).

Mirari proinde haud subit, si quandoque Capellanos suos, Magnos Regni Cancellarios Northmanni Reges instituerint. Pirro teste (*in Chronol. Reg. Sic.*) Robertus de Urbe Capellanus Rogerii Comitis anno 1093 fuit at Magnus Regni Cancellarius. Cui non immerito adjungendi sunt Richardus Palmieri Anglus electus Syracusanus, Cancellarius et Consillarius Guillelmi II. at Orator apud Henricum Anglorum Regem: Bartholomaeus Ophamilius Anglus ejusdem Guillelmi familiaris, Vice-Cancellarius, Oratorque apud Bizantinum Imperatorem, et Episcopus Agrigentinus: Stephanus dictus Cancellarius a munere, quo functus est apud eumdem Regem, cujus erat familiaris, et Archiepiscopus Panormitanus. Nempe hi praeclarissimi Viri, da quibus fuse praedicat Pirrus in notitiis Ecclesiarum Siciliensium e Clero Palatino Northmannorum Principum prodiisse videntur. Uti etiam Sergius Freccia, qui a secretis fuarat Rogerii Regis, Archiepiscopus Sipontinus, et Robaldus a Capellano Guillelmi Regis Archiepiscopus Amalphitanus, quos memorat Ughellius. Nec silentio praetermittendum est, Clericos palatinos aliquando vicario nomina Regnum administrasse. Pirrus enim (*loc. cit.*) Regni Vicerios perhibet sub Guillelmo I. Henricum Aristippum Archidiaconum Catanensem, at Richardum electum Syracusanum; itemque sub Guillelmo II. Romualdum Salernitanum Antistitem Virum doctissimum, Scriptorem rerum a Northmannis gesterum, at magnae apud Margaritam Reginam, et Guillelmum filium auctoritatis.

Aderant quoque in Aula Clerici plurimi, qui sacra facerent in Ecclesia palatina. Ex his multo caetaros antecedebant Canonici, quos auctor est Pirrus (*In Not. r. Cap.*) imperante Guillelmo II. Regis familiares fuisse dictos. Sane in eorum numero fuit Gualterius ille Anglus, cui scripsit Petrus Blesensis, et qui praeceptorem, cancellarium, et consiliarium egit Guillelmi II. tum Pan. Ecclesiae pontificatum tenuit, de quo redibit sermo, cum da Magno disseremus Capellano. Sed et palatinos inter Clericos recensendus est idem Petrus Blesensis Archidiaconus Bathoniensis in Anglia, utpote qui Guillelmum II. puerum litteras docuit, et cujus e Sicilia discessu Guillelmus *ad otium se contulit palatinum*, ut ipsemet scribit (*Ep. 66 et 90*). Is etiam librum composuit de Institutione Episcopi, ut Siculos Antistites, qui neglectis Ecclesiis in Aula versabantur, ad pastoralis vitae rationem traduceret.

Sub Suevis Regibus, iisdemque Imperatoribus non poterat Capellanis Regiis ille dignitatis et honoris locus danegari, quem apud Germanos Imperatores jamdiu obtinebant. Compertum enim est, his plures adhaesisse Clericos Capellanos dictos, genere ac virtute ornatissimos eo praesertim, quod vigentibus inve-

Digitized by Google

situris amplissima inde Sacerdotis consequerentur. Id diserte testantur Guillelmus Tyrius (*lib.* 1 *hist. C.* 13) et Auctor Vitae S. Ottonis Episcopi Bambergensis his verbis: *Multi Nobiles et praestantes Viri Cognati et filii Principum Imperatoris aulam sequebantur, Capellanorum ei ministerium exhibentes spe alicujus Episcopatus obtinendi* (apud Surium die 2 Julii). Ex eo coetu extitere S. Otto Capellanus Henrici IV, S. Anno e Capellano Henrici V. Archiepiscopus Coloniensis, Villigisus e Capellano et Consiliario Ottonis II. Archiepiscopus Moguntinus aliique. Augebatur Capellanorum dignitas, quod ii agerent Imperatorum Cancellarios, ita ut Archicapellanus esset simul Archicancellarius, et inferiores Capellani una essent Cancellarii.

Hinc dubio procul e Capella Henrici VI. Imperatoris, et Siciliae Regis prodiit Gualterius de Paleariis Episcopus primum Trojae in Apulia, dehinc Panormitanus, Consanguineus Imperatoris, ejusque in Regno Siciliae Magnus Cancellarius, cui Innocentius III. Friderici II. pueri tutelam commendavit. Plura de eo Pirrus in Notitia Ecclesiae Pan. et Catanensis. E Capella etiam Suevorum Principum prodiit Philippus Matera Consentinus Consiliarius, et Cancellarius Friderici II. Imperatoris, variisque functus Legationibus tandem Episcopus Marturanensis, uti testatur Ughellius in Episcopis Marturanensibus. Ibi donationem exhibet factam Richerio Episcopo Melphiensi anno 1220 cui Philippus de Matera Scriniarius subscribit. Hoc enim titulo donabantur qui publica Scripturarum scrinia curabant, Epistolas scribebant, instrumenta exarabant, praesertim in Ecclesia Romana, ubi plures erant Scriniarii.

Sed et magnum Regni Cancellarium egisse Phillppum, alia monumenta probant, quae apud Ughellium est legere. Friderici quoque Imperatoris Capellanum laudat Fazellus Rogerium Porcastellum, cujus opera concitatum in se Pontificis animum pacare studuit Imperator. Sic enim Fazellus. *Cum tandem Fridericus per Berardum Pan. Archiepiscopum, Florentinum, et Rheginum Episcopos, et Thaddeum Suessanum M. R. C. Judicem, et Rogerium Porcastellum Capellanum frustra Pontifici omnia ejus acta et improbanti, et execranti reconciliari studet, contemptis omnibus diris, ac Religione ipsa neglecta, obvios intra Romanae Urbis portas utriusque Ordinis cruce signatos in Crucem adegit, discerpsitque, ac jam opprimendi etiam ipsius Pontificis consilio Romam proxime castra admovit* (*Dec. II. lib. VIII. C.* 2). Sane adhaerebant Regibus in expeditionibus Capellani, quorum sapientia et pietate non raro ad pacem conciliandam utebantur. Quare cum Rex Mamfredus immunes voluit ab illationibus Clericos palatinae Capellae, eos, quoque complexus est, qui castra sequerentur (*D. XXVII.*). Coetum hunc Clericorum Suevos Reges plurimum fecisse indicant non solum privilegia multa ab Henrico Friderico, et Mamfredo illis concessa (*Dipl. XVI. XVIII. XXIX.*) sed etiam litterae quaedam Cardinalis Octaviani (*D. XXIV.*), unde apparet Clericos Palatinos ex illustri genere eligi consuevisse.

Quo tempore Carolus Andegavensis imperium tenult Siciliae, duo occurrunt Capellani Regii et una Magni Cancellarii, Joannes de Menileo Cantor palatinae Capellae, ac Magister Guillelmus de Forumvilla Decanus ejusdem Capellae, et anno 1274 Regni Vice-Cancellarius. At longum esset recensere Aragonum Siciliae Regum Capellanos, qui virtutibus et honorum significationibus emicuerunt. Horum plurimi e Coenobiis evocabantur, quod ibi potissimum doctrinae ac pietatis ornamenta splenderent, quae Capellani, Confessarii, Eleemosynarii ac Praeceptores Regum in Aulam primum ac postea in Ecclesias, quibus praeficiebantur, transfunderent.

Cephaleditanus Episcopus M. Juncta Capellanum egerat Petri I. Siciliae

Digitized by Google

Regis, et eo quidem titulo gloriabatur, uti constat ex quadam illius charta anni 1285 apud Pirrum (*in not. Eccl. Cephal.*). *Nos Juncta permissione divina Cephaludensis Episcopus, ac ejusdem Regis Capellanus, et familiaris*. In illum graviter exarsit Honorius IV. quod Jacobum Petri filium una cum Phillippo Squillacensi, et Tancredo Neocastrensi Episcopo Regem inunxerit. Jacobus Nernia ejusdem Ecclesiae Episcopus a sacris fuerat Friderici II. Regis, eique in Episcopatu successit Rogerius de S. Joanne ipsius Friderici, et Petri II. Capellanus. Mazariensem sedem obtinuit Fr. Gregorius, qui fuerat a Sacello, et Consilio Friderici II. ejusque Successor Franciscus de Catania eodem functus est munere in Aula Regis Ludovici; a quo cum Jacobo de Lamia Praefecto domus regiae, ac Roberto de Bonone Petrono regiae Curiae designatus est ad pacis foedera inter Siciliae Regulos concilianda.

Eo e vivis erepto Fr. Rogerius Ordinis Minorum Capellanus Ludovici Regis Mazariensi Ecclesiae praeficitur. Catanensi Episcopatu claruit Fr. Simon de Puteo Ordinis Praedicatorum e Capella, et Consilio Friderici III. quem Gregorius XI. constituerat supremum in Sicilia fidei Vindicem, ut habet Pirrus in Not. Catan. Ecclesiae. Ibidem memoretur Henricus regius Capellanus, et Apocrisiarius pontificius in Regno Siculo, cui ad Melphitanam sedem promoto Urbanus VI. Simonem Catan. Praesulem in eo Apocrisiarii munere subrogavit. Apud eumdem Fridericum Regem exercuit Capellani, et Eleemosynarii munus Fr. Nicolaus Papalla ex Ordine Minorum, deinde Melitensis Episcopus, cujus mentionem faciunt Vadingus (*in Annal. Minor.*) et Pirrus (*in Not. Eccl. Melit.*). Item que apud Mariam et Martinum Reges eodem muneri functi sunt Fr. Joannes de Pino, et Fr. Andreas de Paco ejusdem Ordinis, Melitensi postea donati Sacerdotio, de quibus consule mox laudatos Vadingum et Pirrum.

Itaque Regum nostrorum Aragonensium Capellani saepissime ad Episcopales sedes promovebantur; cum enim nonnisi gravissimi et religiosissimi viri in eum gradum cooptarentur; fieri non potuit, quin iisdem Cathedralium Ecclesiarum regimen committeretur. Qua de causa e Canonicorum Palatinae Capellae Collegio non raro creabantur Antistites: uti Philippus Sanchez, et Ogerius de Verzolo e Cantoribus illius Capellae, Antistites Syracusani; Franciscus de Vitale e Cantore pariter Regiae Capellae, Episcopus Mazariensis, cui Fridericus III. omnimodam potestatem concessit in caussis civilibus, et criminalibus Canonicorum, et Clericorum regiae Capellae; et postremo Bernardus de Figuera dicti Regis Eleemosynarius, Capellanus, Cantor, Ecclesiae palatinae, tum Episcopus Pactensis; ad cujus preces idem Rex Martinus, et Maria Conjux omnia privilegia a Praedecessoribus Regibus Clero palatino indulta confirmarunt eisque nova addiderunt (*D. LXXVIII.*). Constitit ergo sub Regibus Aragonensibus Palatinae Ecclesiae dignitas, et praecipue Cantorum ipsius amplissimus fuit in Aula locus, et spectatissima virtus.

A R T. II.

Quibus honoribus effulserint olim Capellani majores in Regno Siciliae.

Northmannis Principibus, quoniam in comitatu suo plures adhaerebant Clerici, et Capellani; consequens fuit, unum aliquem caeteris praefuisse. Nihilominus ad annum usque 1148 nullis ex monumentis certos eorumdem Principum Capellanos majores exsculpere possumus.

Existimet Pirrus D. Gerlandum primum post ejectos Saracenos Agrigenti Episcopum, Magnum fuisse Capellanum Rogerii Comitis Siciliae, et Calabriae.

Id vero colligit ex diplomate cui Geroldus subscribit: *Ego Geroldus Capellanus Rogerii Comitis similiter*. Potuit equidem Geroldus dici Capellanus, quamvis Capellanorum esset primus praecipuusque. Ita Fulradus saepe dictus est Pipini Capellanus, quem tamen certum est, Archicapellanum fuisse, et Archipraesbytorum Franciae. Quin sub tertia Regum Francorum stirpe, obsoleta jam veteris Archicapellani denominatione, qui sacra Regibus administrabat, Capellanus dicebatur. Geroldum vero non simplicem Capellanum, sed ex Capellanis praecipuum fuisse, conjici potest ex subscriptionis loco, quod nempe post Archiepiscopos Tarentinum, et Consentinum subscribat ante ipsius Comitis filios Gaufridum, et Jordanem, caeterosque Optimates. Siquid vero istiusmodi conjectura valet, pro Geroldo valebit, non autem pro D. Gerlando, qui an idem cum illo sit, uti Pirrus censet, incertum est.

Probabilitate haud caret sua, Robertum illum de Urbe Rogerii Comitis anno 1093 Capellanum et Magnum Cancellarium, Magnum illius extitisse Capellanum, cum haec duo officia, uti diximus, persaepe conjungerentur. Certus inde sed non Rogerii Comitis magnus Capellanus eruitur ex diplomate Gaufridi illius filii, quod anno 1120 subscribunt tres Presbyteri, quos inter primum sibi locum vendicat *Petrus Magister Capellanus ipsius*. Quippe Magistri vox praefecturam denotat, unde in Sicilia qui regio aerario praeerant, Magistri rationum, et qui juri dicundo praeficiebantur, Magistri dicti sunt Justitiarii. Sed in subscriptione Petrus se vocat Magistrum Capellanum ipsius hoc est Gaufridi, non Rogerii Comitis.

Vero similius est apud Regem Rogerium anno 1137 et 1140 Magni Capellani munere functum esse Thomam illum, cujus occurrit mentio in diplomate ejusdem Regis in gratiam S. Guillelmi fundatoris Montis Virginis dato, quod legitur in ipsius S. Eremitae vita a Joanne de Nusco ejus discipulo scripta, atque a Bollando edita die 25 Junii. Hoc enim diploma, cui subscribunt Guillelmus Princeps Taranti filius Regis, aliique Proceres Aulici, dicitur, *datum Panormi per manum Magistri Thomae Capellani Regis octavo Kalen. Septembris, Ind. XV. Incar. dom. anno* 1137. Similia leguntur in alio diplomate dato anno 1140. Itaque nihil probabilius putandum est, quam quod Thomae huic utrumque munus et Magistri Capellani, et Cancellarii demandatum fuerit, quippe cum unum alteri ex usu connecteretur.

Constat vero plenissime ab anno 1148 Rogerio Regi Magnum in Aula Capellanum adfuisse, qui Magister Capellanus dicebatur. Nam constructo prope Palatium pan. insigni Monasterio S. Joannis de Eremitis, Joannem de Nusco Virum pietate eximium illius Abbatem, suum declaravit, constituitque Confessarium Consiliarium et Magnum Capellanum dato diplomate, quod integrum exhibet Pirrus in Not. S. Joann. de Eremitis. Ibi Rogerius ait: *Volentes Abbatem ipsius Monasterii inter caeteros Praelatos Regni nostri aequali speciali dignitatis privilegio gaudere; eumdem, et omnes sibi succedentes canonice in Officio Abbatis, Consiliarios et familiares nostros eligimus: Statuentes ut idem Abbas semper in omnibus Festivitatibus solemnibus tamquam praecipuus Capellanus noster, quem nobis Patrem ordinavimus, et specialissimum Confessorem, ad celebrandum divina in Capella supradicta nostri Palatii Panormitani, Praelatis Regni caeteris praeponatur*. (*D. XI.*) Ut ergo Abbatem de Nusco Rogerius summo honore prosequeretur, caeterisque Regni Praelatis parem faceret, immo speciali praerogativa exornaret; illum Magni Capellani dignitate auxit, et consiliorum suorum voluit esse participem. Quo perspicuum fit, Magnum Capellanum in Aula Regum nostrorum ab ipso rei primordio amplissimum obtinuisse locum honoris, et dignitatis.

Digitized by Google

Illud etiam ex laudato diplomate colligitur, nempe Rogerium non modo Abbati de Nusco, sed omnibus ejus in Abbatiae munere successoribus id privilegium contulisse, ut consilio Regis adstarent, et sacro Aulae ministerio, utpote Capellani majores praeessent. Interim Gualterius ille, qui ex Anglia in Siciliam venit cum Joanna Filia Henrici Regis Anglorum nuptura Guillelmo II. Siciliae Regi, Magni Capellani munus gessit, quamvis a Petro Blesensi in Epist. X. ad eum scripta, nonnisi Capellanus dicatur. Jam enim adnotavimus Summos Capellanos, quandoque simplici Capellanorum titulo nuncupari. Gualterium vero Capellanum non quemlibet, sed ex Capellanis primum, et praecipuum fuisse, oppido patet ex eo, quod quae illi scripsit Blesensis nisi Magno Capellano convenire non possint, uti suo loco probabimus. Is autem genere nobilissimus, ac fortasse Henrici Regis Consanguineus plurimum valuit gratia apud Guillelmum Regem, magnisque honoribus auctus est, nam Regis institutor fuit, cujus rei meminit idem Petrus Blesensis Ep. 66 ad ipsum data his verbis: *Scitis, quod Dominus Rex Siciliae per annum discipulus meus fuit, qui et a vobis versificatoriae, atque litteratoriae artis primitias habuerat, per industriam et sollicitudinem meam beneficium scientiae plenioris obtinuit*. Fuit et Regis Consiliarius, et Magnus Cancellarius, pluribusque donatus Sacerdotiis, pan. tandem Sedem conscendit. Jam habes in Aula Northmannorum Principum Magnos Capellanos genere, doctrina, et pietate praestantissimos, qui Consilio Regis intererant, et Magni Cancellarii munus obibant.

Quod ad Suevos attinet in horum Principum Aula Summum Capellanum adfuisse, tradit Freccia in libro de Subfendis agens de Officio Magni Cancellarii, ubi ait, observasse se, *in processu quodam antiquo sub Friderico II. Capellanum majorem assistentem in Cancellaria, qui praestabat juramentum partibus, siquid ultra quam esset taxatum erogassent, aut promisissent, et ubi in Cancellaria in expeditione litterarum pars opponebat, data Copia duo Judices Magistri Justitiarii sedentes legebant, et si adprobabant, sigillabantur, et per Sigillatorem adsignabantur Capellano*. Et quidem prisci est instituti, ut coram aulico Capellano, quae Regibus debebantur, Sacramenta praestarentur. Res etiam fuit usitatissima, ut Capellanis Aulicis Cancellaria Principis committeretur. Ex hoc itaque receptissimo more Suevi Siciliae Reges iidemque Imperatores Magno suo Capellano Cancellarii munus demandabant.

Sed an Gualterius ille de Paleariis Episcopus primum Trojae, deinde Catanensis, ac denique Panormitanus, cui Papa Innocentius III. Friderici pueri tutelam commendavit, et qui sub Henrico VI. et Friderico Filio egit Cancellarium Regni Siciliae, fuerit una eorumdem Principum Magnus Capellanus, haud satis est exploratum. Sic autem se rem habuisse non dubito, cum apud Germanos Imperatores utrumque Officium Archicapellani, et Archicancellarii conjungi, et ab uno eodemque administrari consueverit, ut alibi diximus.

Aragoniis imperantibus quanta in aestimatione apud Reges fuerint Capellani majores, inde manifestum est, quod nonnisi amplissimis Viris ea dignitas committeretur. Hi enim plerumque episcopalibus fulgebant infulis, uti Bartholomeus Antiochenus ita dictus ab Avo Friderici Imperatoris Filio, qui de Antiochia adpellabatur, Panormitanus Archiepiscopus, et Fr. Peregrinus de Pactis ex Ordine Praedicatorum Pactensis Antistes, Friderici II. ex Aragonia stirpe majores Capellani; tum Philippus Crispo Civis et Pontifex Messanensis, et Fr. Philippus de Ferrerio Carmelita magni nominis Episcopus Pactensis, Capellani majores Regis Martini. Nec deerant, qui in eo dignitatis gradu constituti, ad Episcopales Cathedras mox eveherentur, uti Fr. Petrus

Digitized by Google

de Pernis Ordinis Minorum e Capellano majore Ludovici Regis Pactensis Praesul, et Fr. Ubertinus de Corleone ejusdem instituti e Capellano majore Friderici III. Episcopus etiam Pactensis, ac Liparensis.

Praeterea ipsi Capellani majores persaepe erant Regum a Confessionibus audiendis, sacrisque eleemosynis, et Concionibus. Nam Fr. Guillelmus de Aydone e Dominicana Familia Magister fuit Petri II. Capellanus, et Confessarius (*D. XLII.*) Fr. Simon de Leontino Franciscanus utroque functus est officio apud Fridericum III. Nec a vero plurimum distat, quod Concionatoris aulici munus una persolverit. Claruit enim verbi Dei ministerio, et opus vernacula lingua elucubravit, cui titulus: *Incumenza lu libru di la exposicioni di l' Evangelj dominicali per tuttu l' annu, compostu per Venerandu Frati Ximuni di l' Ordini di li Frati minuri di Sichilia*. Unde Aulam Regiam illum audivisse de rebus divinis verba facientem, non immerito conjicit Mongitorius. Fr. Philippus de Castrojoanne et ipse Ordinis Minorum tum Confessarium, tum Magistrum Capellanum egit Friderici III. Regis (*D. LV.*). A Pirro etiam memoratur Philippus de Ferrerio Pactensis Episcopus utpote Regis Martini Eleemosynarius, nec non utpote Concionator aulicus a Mongitorio, qui sacra eum eloquentia floruisse, deque tempore ac Festis B. M. Virginis et aliorum Sanctorum, sermones coram Siciliae Regibus, ac Proceribus habuisse scribit.

Ne quid vero deesset, a Regibus Aragonensibus gravissima etiam Regni munera, et negotia Capellanis majoribus suis, committebantur. Quamvis enim ex Mendicantium Coenobiis ut plurimum adlegerentur; saepe tamen prudentia, dexteritate, ac rerum usu adeo valebant, ut prae caeteris digni essent, qui Reipublicae utilitatibus inservirent. Fr. Peregrinus de Pactis Episcopus Pactensis, et Friderici II. Capellanus major, una cum Damiano Palicio missus est Orator ad Joannem XXII. Pontificem, ut convenientibus Apostolicae Sedis Legatis, foedus initum inter Fridericum Siculum, et Robertum Neapolitanum Reges exequtioni mandaretur. Idem Damianus de Palicio generis nobilitate, ac juris civilis intelligentia summus, Magister Capellanus Petri II. fuit etiam Regni Logotheta et Cancellarius (*D. XLI.*). Quae duo distincta erant officia, uti bene adnotat Cangius. *A Grecis*, inquit, *nomen Logotheta mutuati sunt Latini Principes . . . Logotheta, et Protonotarius adpellabatur apud Siculos Northmannos Reges, qui chartas regias subscribebat, ut passim ex tabulis Siculis colligere est: alia tamen fuit in eo Regno, et diversa prorsus dignitas a M. Cancellarii dignitate: Logotheta enim, qui et Protonotarius primi a Secretis, seu Protosecretarii munus obibat, et gradu M. Cancellario major erat, etsi neuter neutri subesset*. Tria ergo praestantissima officia videlicet Logothetae, Cancellarii, et Magistri Capellani in uno conjuncta fuere Damiano Palicio, quem praeterea Regis nomine Regnum gubernasse, testatur Pirrus in Chronologia Regum Siciliae.

Ubertinum Pactensem Praesulem, et Magistrum Capellanum suum delegavit Rex Fridericus III. ad foederis pactiones cum Joanna Neapolis Regina firmandas. Et Philippus Ferrerius Pactensis Antistes, et Martini Regis Capellanus major, fuit etiam et M. Regni Cancellarius (*D. LXXXVIII.*). Tum simul cum Ubertino Pan. Archiepiscopo Legatum egit Siculorum nomine apud Ferdinandum in Aragonia degentem. Ab eodemque Rege constitutus in Regno Siciliae Consiliarius, anno 1414 e Pactensi ad Ecclesiam translatus est Agrigentinam, quam non dimisso Capellani majoris officio laudabiliter administravit. Itaque de istius officii apud Siculos Reges Northmannos, Suevos, et Aragonios amplitudine ac dignitate satis est dictum.

Digitized by Google

§. III.

Quo dignitatis loco steterint Regii Capellani Siciliae sub Regibus Castellanis, Austriacis, et Borbonicis.

Translato ad externos Principes Regni jure, non omnis desiit hujus Regiae Capellae antiqua dignitas. Namque a principio plurimos e Siculis adscivere, ut sibi essent a Consiliis, a Confessionibus, et Concionibus, quos proinde ad Regiam Capellam Siciliae merito referas. Equidem Rex Alphonsus Consiliarios, et Confessarios habuit e Sicula Praedicatorum Familia praeclarissimos Viros Fr. Philippum Gambacurta, cui teste Pirro commissa fuit vacantis Ecclesiae Cephaledensis administratio, ut ejus redditus exigeret: Fr. Antonium Ponticorona Regium ad Constantiense Concilium Oratorem, et Episcopum, uti Pirrus narrat, Cephaledensem, inde Agrigentinum: et Fr. Nicolaum de Terranova, quem laudat in sua Bibbliotheca Mongitorius. Qui etiam memorat Fr. Bernardum Maja ex eadem Familia Theologum eximium dicti Regis Confessarium, Concionatorem aulicum, et Episcopum tandem Dolensem in Gallia: nec non de Placido Campulo Messanensi haec habet: *Ob eximiam prudentiam, doctrinam, eruditionem, ac virtutum omnium splendorem Alphonso Regi gratissimus fuit, eoque praesente nonnullos dixit e suggestu sermones.* Testatur quoque Pirrus, apud Carolum V. Caesarem Consiliarii, Confessarii, et Concionatoris munere functum esse Fr. Octavianum de Praeconio Ordinis Minorum Siculum, qui postea summa cum laude Panormitanam rexit Ecclesiam interfuitque Concilio Tridentino.

Subsecutis temporibus aucta est Regia Capella Siciliae sex Capellanis Siculis, quos Regno expostulante anno 1534 idem Carolus V. in sacris domesticis Hispaniae Regum sanxit admittendos. Siquidem isti Siciliae potius quam Hispaniae Regibus inserviebant, et ceu Seminarium evasere Praesulum Siciliensium, ut ex Pirri notitiis manifestum est. Sane prodierunt ex eo numero Capellanorum Andreas Mastrillo, et Blasius Protus Archiepiscopi Messanenses: Vincentius Cutelli Episcopus Catanensis: Gilbertus de Isfar, et Coriglies, Joannes Saladinus, et Paulus Pharaonius Episcopi Syracusani: Caesar Marullus, Antonius Lombardo, et Franciscus Traina Agrigentini: Vincentius de Neapoli, Simon Rao, et Antonius Bichetti Pactenses: Marcus Antonius Gussius, Antonius Pharaonius, et Octavius Praeconius a Panormitano Antistite diversus, Nicolaus Stizzia, et Franciscus Gisulfus Cephaledenses: tandem Antonius Lombardo alius ab Agrigentino Praesule, Lucianus de Rubeis, Marcus la Cava, Didacus de Requesens, Carolus Impellizzerius, et Carolus Riggio Mazarienses. Ex quibus multi ampliores deinde Sedes adsecuti sunt, uti Caesar Marullus Agrigentinus Antistes, et postea Panormitanus; Antonius Lombardo Praesul pariter Agrigentinus, inde Messanensis; Marcus Antonius Gussius e Pactensi, Catanensis Episcopus, et Gilbertus de Isfar, et Coriglies e Syracusano Pactensis. Horum vero omnium tantum nomina indicasse, sat est, ut oppido pateat, quemadmodum, quos Sicilia Regum suorum Aulae praestabat Sacellanos, haec facile Siciliensibus Ecclesiis reddebat Antistites. Coeterum, si lubet, de singulis vide Pirrum.

Interim etsi Reges abessent, Palatina S. Petri Capella non omnino decessit ab avito splendore. Illius enim in Collegium, quoniam probatissimi Viri cooptabantur; hinc fiebat, ut quandoque ad maximas dignitates proveherentur. Ita e Canonico Palatinae Capellae Antonius Leofanti creatus est Episcopus Pactensis, et e Cantore ejusdem Capellae Joannes Sanchez Cephale-

Digitized by Google

densis. Qua etiam tempestate Palatina Ecclesia de suo statu ad miserrimam conditionem delapsa oblanguebat, e Cantoribus illius Joannes Lomellino fit S. R. E. titulo S. Sabinae Presbyter Cardinalis, et Joannes Antonius Viperano Episcopus Juvenatii. Austriacorum subinde Regum munificentia restitutae Capellae decori fuit Ludovicus Idelphonsus de los Cameros e Cantore ipsius, Reglae Monarchiae Judex, et Praesul primum Pactensis, inde Monregalensis, ac tandem in Hispania Valentinus. Multa quoque laus Regnantibus Austriacis, et Borbonicis eidem Capellae accessit ex insignis litteraturae Canonicis, quos Collegio suo habuit adscriptos. Ex his prae caeteris memoria digni sunt Rochus Pirrus Abbas S. Eliae de Ambula et Regius Historiographus, cujus gloria nominis ob Siciliam sacram, opus vere eximium, et immensa eruditione refertum, in omnes vigebit annos; et Augustinus Pantò in studiis humanitatis, et jure Civili excultus, cujus doctissimas lucubrationes, etsi praelo, ut ego accepi, paratas, non sine maximo rei litterariae detrimento hausit oblivio, praeter pauca opuscula, quae in lucem prodierunt. Nec tacendi Cantores illius Antonius Collorafi, de quo legendus Mongitorius, et Fr. Simon Judica ex Ordine B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum Episcopus una Telettensis, Vir sane doctus, et a religiosa probitate commendatus, quem Capellani majoris Regni Siciliae jura propugnasse, in loco adnotabimus.

Nunc temporis Regum praesentia et Aulae splendore nitet Regia Capella Siciliae, eamque insigniter augent, et amplificant excellentissimi Viri, qui sunt Regibus, et Regalis Familiae Principibus a sacris domesticis, a Confessionibus audiendis, et ab eleemosynis large in pauperes erogandis. Ut adeo hanc Regiam Capellam nostris hisce temporibus ad primaevum jam pertigisse decus, nemo iverit inficias.

§. IV.

Agitur speciatim de Capellani majoris officio sub eisdem Regibus.

Degentibus in Hispania Regibus, plurima SicilIensis Aulae officia, quae summo in honore habita fuerant, vel desiere penitus, vel nudo soloque dignitatis titulo perdurarunt. Non ita se res habuit quoad ad Capellani majoris spectat officium, quod cum praestantissimum haberetur in Aula hispana, hinc causa fuit, ut Magno Capellano Siculi Regni, major accesserit bonoris cumulus eo nomine, quod simul esset major Capellanus Regis Hispaniae. Quapropter Capellanos majores apud nos agebant, ut olim, qui episcopales una Ecclesias administrabant, vel mox ad amplissimos etiam Episcopatus provehebantur. Ita Fr. Thomas Crysati Ordinis Minorum cum Messanensi Archiepiscopatu Capellani majoris officium conjunxit: e contra Jacobus Porcius eodem abiit officio, Pactensi jam thiara condecoratus.

Verum enimvero nec prisco prorsus exciderunt honore Capellani majores, tametsi nulli amplius Episcopi ad id munus assumerentur, immo beneficium Abbatia S. Luciae vulgo dictum huic Ecclesiae perpetuo assiduitatis vinculo illos adstringeret. Semper enim in eo gradu positi erant, ut ad Episcopales dignitates facile admigrarent. Et sane ex Abbatibus S. Luciae Capellanis majoribus Jacobus Gonchilles constituitur Catanensis Episcopus: Joannes Petrus Riccius fit Messanensis Archimandrita: Franciscus Barbara designatur

a Rego Victorio Amedeo Episcopus Pactensis, et Magnus Eleemosynarius, tum a Carolo VI. Caesare ac Rege Siciliae Pontifex Cephaledensis: et denique Scipio Arduinus ex nobilissima familia Civis Messanensis in Metropolitica Patriae suae Sede collocatur.

Caeterum summis etiam et altissimis honorum praemiis digni fuissent S. Luciae Abbates Capellani majores Hieronymus Riggio genere illustris, sed sacris profanisque studiis, et morum gravitate illustrior, qui plura scripsit, quae a Mongitorio enumerantur: Antonius de Franchis claris ortus parentibus, sed magis virtutibus et sanctitate conspicuus, cujus vitam et res gestas typis evulgavit Vir doctus Messanensis: et Martinus la Farina ex nobili genere oriundus, ingenii acumine, linguarum peritia, et omnigena eruditione clarissimus, cujus litteraria monumenta typis edita dignis exornant laudibus Mongitorius, aliique plures.

Nunc autem de Capellani majoris dignitate Serenissimi Regis nostri clementia e S. Luciae latebris non modo educta, et in integrum restituta, verum etiam Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Alphonso Airoldi Heracleensi Archiepiscopo, et Regiae Monarchiae Judici demandata, maximam percipere laetitiam, quotquot Siculi sumus, et possumus, et debemus. Quippe si egregiae dotes ac virtutes ita sunt comparatae, ut earum unaquaeque vel seorsum ab aliis, multum dignitatibus addat; quanto magis, ubi simul conjunctae, et amico foedere invicem colligatae habeantur? Ab iis interim laudibus enarrandis, quae tantum Virum exornant, propter singularem modestiam suam me tempero: sed reticere nolo summos honores, quos ille hactenus ad Regiae Capellae praefecturam attulit. Cum enim anno 1798 generalibus Regni comitiis praeesse, et inter insignis regalisque Ordinis S. Januarii Equites adscribi meruerit: cumque anno 1800 Pii VI. Pontificis maximi jussione ob interdictum Siculis ad Sanctam Sedem recursum Apostolicae Sedis in tota Sicilia Delegatum egerit, et inde sexennio Bullae SS. Cruciatae Commissarium Apostolicum; sane Aulicum Episcopatum sic illustravit, ut nemo alius. Vivit aetatis plenus, sed corpore vigens, et animo praestantissimus Praesul, et magna cum sui nominis gloria sacrum Aulae ministerium praesentibus Regibus moderatur: unde nos ei plures adhuc annos ad Patriae decus, et bonum publicum, a Deo precamur.

LIBRI I. PARS II.

De Regia Capella Siciliae utpote ambulatoria.

CAPUT I.

Specimen praebet historicum Regiae Capellae Siciliae, quatenus huc usque extitit ambulatoria.

§. I.

De Regia Capella Siciliae utpote ambulatoria, et primo sub Regibus.

More, ut diximus, a Constantino M. ad alios quoque Imperatores, ac Principes traducto, Regibus olim nostris praesto semper fuit Regia Capella, ubicumque ipsius ministerio uti vellent. Luculentam ejus rei fidem facit, ex ui

niverso Aulicorum Sacerdotum coetu multos fuisse, unde qui Regiam Curiam sequerentur, evocari solebant.

In primis Capellanus major officii sui ratione Regi perpetuus haerebat Comes; et illo privabatur, si quando causam aliquam praetexeret, ne Aulam assectaretur. Ita Fridericus hujus nominis III. Fr. Ubertino de Corleone, quod Pactensis, ac Liparensis constitutus Episcopus, Regis obsequio devinci se posse negabat, Regiae Capellae magisterium abrogavit (*D. LXXIII.*). Et Fr. Philippo de Castrojoanne Capellano majori, ad sumptus resarciendos, quos cum sua Familia comitando Curiam perferebat, nonnulla perduellium bona, quae Fisco adscripta fuerant, assignanda decrevit (*Dipl. LVIII.*). Non inde tamen inferas, suo excidisse munere Capellanos majores, quando legitimam haberent causam, quare a regio comitatu abessent; puta si valetudinem, vel senectutem excusarent. Tunc enim praeservato ipsis, ut aequum erat, honore, alii deligebantur, qui Magistri Capellani vice fungerentur. Unde plures regiis in diplomatibus pro majoribus Capellanis sacro Aulae ministerio praefuisse leguntur. Ad Ubertinum vero quod spectat, suo depulsus est officio; et sane non prorsus immerito. Quamvis enim Episcopi potissimum perpetua in suis Ecclesiis immorandi lege coarctarentur; semper nihilominus ea soluti fuere, ut Reipublicae commodo, atque utilitati observirent. Caeterum hac de re inferius.

Porro ex alumnis non solum Palatinae, sed etiam Panormitanae Ecclesiae, non paucos Regem sequi paratos esse oportebat. Cum enim Rex Mamfredus utriusque Ecclesiae Canonicos, et Clericos speciali privilegio ab indictionibus eximeret, eos etiam expressit, qui Aulae itineribus ire jubebantur (*Dipl. XXVII. et XXVIII.*). Ex quo liquet, Cathedralem Ecclesiam in quoddam cum Regia Capella consortium transiisse; cujus rei probabilem postea causam adferemus. Postremo assectatores habuit Aula Capellanos Regios nullis addictos Ecclesiis, ab eisque distinctos, quos Reges honoris ergo Capellanos suos nominabant. Illi enim regio lateri sic adhaerebant, ut familiares, ac domestici Regis, nec non Regalis Mensae participes dicerentur; non isti, qui nudo, ac simplici titulo insignes erant (*Dipl. LXXXIX. LXXXX. et CXII*). Ergo ex priori, non posteriori genere adrogabantur, qui vestigiis Aulam consequerentur; secus nulla intercessisset disparitas inter veri nominis Capellanos, atque honorarios. Quare extra ordinem, deque Alphonsi Regis speciali gratia, creatus est Regius Capellanus Jacobus Bonanno cum omnibus juribus, at praerogatiyis, quae ad Regios Capellanos propria dictos spectabant, tametsi Curiam Regiam non sequeretur (*Dipl. CXII.*).

Ex toto itaque Aulicorum Clericorum ordine, praeter Capellanum majorem arbitrio Regum electi Sacerdotes Regiam Capellam componebant ambulatoriam. Haec vero aderat I. Regibus in supplicationibus, quas extra Palatii sacellum obire solebant. Etsi enim id sacellum Camera esset spiritualis Regum Siciliae, ut a Rege Mamfredo appellatur (*Dipl. XXVIII.*), saepe tamen ad instillandam Populo religionem vacaturi pietatis officiis publicas Ecclesias ingrediebantur. Templum vero maximum, ubi et regium diadema suscipiebant, et Majorum suorum magnificentissimis occlusa mausoleis ossa condebantur, frequentius, libentiusque adire consueverunt. Non enim sine Regum exemplo hunc morem, et ipsi postea Proreges observassent. Jam ergo intelligere licet, quare haec Metropolitana Ecclesia pro Regia etiam Capella habita sit, ejusdemque Canonicis, et Clericis facile concessum, ut tamquam regii Capellani Aulam adsequerentur. II. Dicta Capella Regibus quoque adhaerebat, seu terrestri, seu maritimo itineri sese committerent. Quippe

Digitized by Google

non secus atque Principes decet, non uni semper loco adfixi erant, sed pro specturi Subditorum commodis, et publicae utilitati, Siciliae Civitates atque Oppida invisebant, vel in transmarinas Provincias adnavigabant. III. Aderat denique in Castris, quoties ipsi Reges militaris rei scientissimi, quod saepe contigit, copias educebant, et bellum administrabant. Jamvero hisce datis occasionibus Capellam ambulatoriam servitio Regum addictam instrui consuevisse, tum per se patet, tum etiam superius dicta confirmant.

Sed bellicis expeditionibus seu Reges ipsi praeessent, seu Duces alios praeficerent; diversa fuit ab ea, quae Regibus domi bellique observire parata erat, Capella militantis Exercitus, ex iis conflata Presbyteris, quos unaquaeque acies sibi proprios assumebat. Siquidem a Constantino M. invaluerat, ut singulae Militum cohortes propriis instructae Sacerdotibus, et viatico altari ad bella proficiscerentur. *Ex eo Constantini tempore*, inquit Sozomenus, *militares Romanorum legiones, quae nunc vocantur numeri, singulae proprium sibi tabernaculum ducere coeperunt, et Sacerdotes, et Diaconos proprios, ac peculiares habere* (*lib. I.* c. 8). Quin etiam in Synodo Germanica praeside Bonifacio Moguntino celebrata anno 742 (*Can. II.*) et in Caroli M. et Ludovici pii Capitularibus (*lib. VII.* c. 91) statuitur: *ut* in bello, *unum vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris, Princeps habeat, et unusquisque Praefectus Presbyterum*. Quo videas, unde fluxerit mos ille adhuc nostra aetate servatus, ut unequaeque Militum cohors proprium sibi Presbyterum edsciscat.

Est autem hic probe adnotandum, olim in Sicilia, si Capellanos arcium excipias, quae exiguo praesidio muniebantur, nullos perpetuos fuisse Capellanos, qui terrestri aut Classico exercitui operam impenderent. Non enim erat usu receptus fixus ille Militiae globus, qui hodie ubique obtinet, Regnaque et Imperia in tuto ponit. Conciato itaque bello, Copiae inter nos, et Classes instruebantur, totidemque Presbyteri colligebantur, atque ad sacra Militibus administranda sufficerent. De caetero isti collectitii Presbyteri, quoniam regiae militiae, dum bellum perdurabat, inserviabant, non secus atque Capellani arcium, (*Dipl. XX.*) regiis Capellanis accensebantur, et regiam Capellam exaggerabant.

§. II.

De Regia Capella utpote ambulatoria, toto eo tempore, quo Sicilia viceregio regimini commissa fuit.

Proregibus ob Regum absentiam Regnum administrantibus, Regiae Capellae intime indoles, et ratio eadem perseverabat. Videlicet, cum suapte natura esset ambulatoria, eis, qui regia vice imperabant, aeque ac Regibus obsequi debuisset, Sed Capellanis majoribus regiae Aulae adsuetis displicuit, observire Proregibus. Unde libentius in Oppido S. Luciae, quam in Metropoli Urbe, ubi Proregis, et Curiae sedes erat, moram ducebant; hactenus ut, praefatum Oppidum *Caput dicti officii, et dignitatis* evaserit (*D. CXXIII.*). Deinde beneficium sub nomine Abbatiae S. Luciae consecuti, urgentibus jam Regiae Visitationis Francisci de Puteo decretis, ibidem in pastorali officio assiduos sese praestiterunt. Qua de causa Magistrum Caeremoniarum oportuit institui, qui saltim sacris functionibus intra, at extra Palatium coram Excellentia sua obeundis adesset, et Capellani majoris partes ageret. Et quamvis tempore addito Abbates S. Luciae id munus tamquam sibi pro-

Digitized by Google

priora vindicaverint; quoniam vero id spectabant, ut apud Reges, aut Regibus editos Principes debitis honoribus perfungerentur; Magistros Caeremoniarum in possessione Proregibus famulandi reliquerunt. Quo factum ut Capellanus major, licet S. Luciae vinculo expeditus, unice Regi, ac Regiae Familiae addictus existimetur.

Verum enimvero quacumque in Ecclesia, praeter quam in Cathedrali solemni pompa rei divinae Prorex adfuit, bini palatinae Capellae Beneficiarii cum Caeremoniarum Magistro tamquam ipsius adjutores interfuerunt, et sacras functiones ex officio moderati sunt. Quod quidem ex antiquo, ut arbitror, more inductum, constantissime observatum fuit. Ut adeo si secus fieri aliquando contigerit, id quidem ex errore processit, neque in exemplum trahi potest, ut viceregiis in literis, quae per Illustrem Regni Protonotarium exaratae fuerunt anno 1740 comprehensum est (*Dipl. CCIII.*). Sic ergo Regia Capella Proregibus deserviebat in sacris solemnitatibus, quae ipsis adstantibus peragebantur. Caeterum si Proreges alio migrabant, aut suscepto bello exercitus habebant imperium, utrum Regiae Capellae comitatu, et ministerio usi sint, minime apparet.

De adscititiis Presbyteris, qui rebus ad arma spectantibus, signa sequerentur, diu dum Siciliae clavo Proreges assidebant, antiqua viguit consuetudo. Regnum equidem moderante Joanne de Vega, constituta tandem est fixa militia, quippe cum antea, uti recte adnotat Franciscus Testa (*ad Cap. VI. Reg. Mart. LXXXIX. Ferd. II. et V. Caroli V.*) praesidiarius inter nos, certusque miles aut nullus, aut admodum fuerit exiguus. Sed huic militiae, cujus ordo a Comite de Olivares editus (*Pragm. Sanct. Tom. II*) habetur, nulli nisi ob datam causam addicti fuere Capellani. Uti contigit, cum Dux Medinacoeli bellum movit adversus Tripolim, et Draguttem Africorum praedonum principem ibi degentem: et cum Garzias de Toledo Melitae Insulae, quam Turcae Ottomani magnis viribus oppugnabant, auxiliatum ivit.

Praeter hanc indigenam Militiam, cujus tandem onere Carolus III. Borbonius Siculos levavit, ad Regni praesidium accessit Hispanica pedestrium militum acies, duobus ita dictis conflata *Tertiis*, quorum unum Panormi, alterum Messanae stativa habuit. Utrique autem additi fuere perpetui Capellani, quos inter, qui reliquos antecedebat, majoris titulo insigniebatur (*Dipl. CLXXX*). Cumque anno 1706 Marchio Bedmaris compactum agmen, sic rerum statu exposcente, varias in legiones partitus esset; singulis, uti praeter summum Castrorum Praefectum, Tribunos, Centuriones, Decuriones, et signiferos, ita Capellanos assignavitsuos: quae divisio in terrestri exercitu adhuc permanet.

Porro sub Hispanis Regibus classem tenuit Sicilia multarum Triremium numero compositam ad Africos pyratas e mari siculo depellendos, qui utramque Siciliam, Melitam, et Hispaniam maximo cum commercii detrimento vastabant. Quam ob causam haec Sicula Classis, aucta, uti par erat, triremibus, navibusque onerariis pars fuit ingentium classium, quas ad Maurorum, et Turcarum reprimendos insultus saepe saepius instrui oportuit. Ut prae caeteris exemplo esse possunt illae duae maximae, ac celeberrimae classes, quarum uni Joannes Austriacus Caroli V. Caesaris Filius nothus cum potestate praefuit, alteri Philibertus Subaudiae Princeps imperavit. Jamvero unicuique Siculae Triremi proprius adfuit Capellanus, et qui praetoriam conscendebat, Capellanus etiam dictus est major (*Dipl. CLXLII.*). Postquam ergo fixa constituta Militia tam terrestris, quam Classiaria, perpetui coeperunt esse in Sicilia Capellani, ad quos et in stationibus, et in bellicis expeditionibus spiritualis Militum cura pertineret.

Digitized by Google

§. III.

De hodierna ambulatoria Capella, quae Regibus et Militiae inservit.

Siciliam, quo tempore gubernabant Proreges, pluries ab ipsis Regibus perlustrari contigit. Semel atque iterum eam invisit Alphonsus magnanimus, ut inde invadendo Neapolitano Regno propior esset, cujus tandem anno 1442 potitus est. Carolus V. Caesar e tunetana expeditione redux, anno 1535 Drepanum appulsus terrestri itinere Panormum properavit, inde celebrato generali colloquio Messanam, et inde nonnullis pragmaticis promulgatis legibus, profectus est Neapolim. Victorius Amedeus anno 1713 et Carolus Borbonius anno 1735 in Siciliam advenerunt, regia donandi corona, quam hac principe in Urbe antiquiorum Regum more susceperunt.

Eo ratio ipsa nos ducit, ut putemus, hos Reges, dum in Sicilia versati sunt, Regiam Capellam in pristinum honorem sic revocasse, ut etiam huc illuc excurrentes, a suo comitatu non excluserint. Id certum, Carolo V. Hieronymum Zaffarana, et Victorio Amedeo Franciscum Barbara utpote Capellanos majores, missam celebrando, regiasque dapes benedicendo adfuisse. Et apud Carolum Borbonium, nisi ego fallor, assiduus fortasse non fuit prius hujus Regni Capellanus major, ne inter eum, et Magnum Eleemosynarium ejusdem Regis Josephum Beza de jure circa sacra certationes emergerent.

Sed Ferdinando III. Rege nostro augustissimo cum tota Regia Familia Regnum praesentia sua condecorante Regia Capella in lucem, et pulverem prodiisse videtur. Nunquam enim non ejus operam, supplicationes in templis, excepto ut moris erat Cathedrali, obiturus Rex adhibuit. Tunc enim Heracleensis Archiepiscopus Capellanus major ministrantibus Canonicis, et Clericis palatinae Capellae, vel sacris operatus est, vel Regi fuit a sacris caeremoniis. Neque solum Capellano majori, verum etiam quibuscumque aliis eo permittente celebrantibus, e Clero dictae Capellae cum primis adstitere Praefecti Caeremoniarum, ad sacra officia juxta praescriptos Ecclesiae ritus, dirigenda.

Nunquam praeterea sine Confessario suo, et adlectis e gremio ejusdem Capellae Sacerdotibus, et Clericis Rex pientissimus terra marique iter habuit. Quippe Regem experti sumus pacis bellique negotiis occupatum, et hinc modo abeuntem, modo revertentem, prout incidentium rerum exposcebat occasio. Non autem Capellanus major Regis itinera, et expeditiones secutus est. Cum enim regiae Monarchiae, ut dicimus, Judex idem sedeat; minime opportunum sapientissimo Regi visum est, usque adeo sibi adhaerescere, ut judiciorum causarumque ab eo tamquam regio et pontificio Delegato pendentium, cursus saepe saepius interturbaretur.

Nec tantum Rex, sed etiam Regina, cujus hodie dulci praesentia destituti sumus, et regiae familiae Principes, nunquam nisi comitantibus regiae Capellae Administris, terrestri vel maritimo itineri, quod plerumque accidit, sese commiserunt. Nam sibi socios adjunxere cumprimis Confessarios suos, quos inter Clericos aulicos magno in loco esse nemo ignorat, itemque unum vel alterum ex palatinis sive Canonicis, sive Beneficiariis.

Jam post Regis adventum res bellica terrestris, navalisque Neapolitani exercitus huc advectis reliquiis, mirifice apud nos aucta est. Ut mittam armatas copias, et classes ad Mediterraneum mare ac foederatam Siciliam pro-

Digitized by Google

tegendam ab invictissimo ac potentissimo Magnae Britanniae Rege Georgio III. destinatas. Ita factum est, ut Capella Castrensis aeque increbuerit, inque expeditionibus huc usque susceptis, Militiae non solum nostrae, verum etiam Catholicis quibuscumque britannica in acie stipendia merentibus praesto fuerit.

§. IV.

De licita Episcoporum, et Beneficiariorum a suis Ecclesiis absentia, quamdiu Regibus observiant.

Gravissima aeque ac vetustissima lex, quae Clericos et Beneficiarios assiduos esse jubet in suis Ecclesiis, multo magis locum habet in Episcopis, quibus primario commissa est dioecesis sollicitudo. Interim non modo inferioribus Beneficiariis, verum etiam Episcopis semper licuit ex justis probatisque causis extra suas Ecclesias versari, et quidem absque peccato; si nempe absentia sua pariter aut magis Ecclesiae sive suae, sive universali prodesse valeant, quam assiduitate. Unde Tridentini Concilii recensione fas est Episcopis Ecclesias suas relinquere, et alibi morari, *si christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae ac Reipublicae utilitas* expostulent (*Sess. XXIII. de ref. C. 1*).

Perspicuum est igitur, inter justas probatasque causas, Episcopos ab Ecclesiis suis avocantes, Reipublicae causam recenseri, propterea que obsequium, quod ipsimet Episcopi Imperatoribus ac Regibus debeant impendere. Ac sane Constantino M. qui primus omnium Imperatorum Christi religionem amplexus est, non modo Episcopi plures in palatio aderant, sed eum ad bella proficiscentem comitabantur. Testatur hoc Eusebius, qui de bello persico ab eodem Imperatore suscepto loquens, haec habet: *Quod eum facere decrevisset, militares copias undique excitavit, et cum Episcopis, quos circa se habebat, de profectione consilium communicavit; provida mente prospiciens Viros ad divinum cultum necessarios secum assidue versari, oportere, illi vero libenti animo secuturos se esse affirmarunt, nec ab illo discessuros, sed continuis apud Deum supplicationibus militaturos una cum illo, et pugnaturos* (de *Vit. Const. lib. IV. C. 56*).

Hoc praelucente exemplo, semper Imperatoribus, ac Regibus adhaeserunt Episcopi: cumque eorum officium in Aula Religionis utilitatem, et in Castris Militiam Deo conciliandam, Christianisque sacris imbuendam spectaret; constituit Germanica Synodus, quae praesidente Bonifacio Moguntino habita est anno 742 ut *unum, vel duos Episcopos cum Capellanis et Presbyteris eorum, in bello, Princeps secum habeat* (*Can. II.*). Quod etiam a Liptinensi Synodo sub eodem celebrata Bonifacio anno 743 confirmatum, et in Francorum Regum Capitularibus comprehensum legitur (*lib. V. C. 2 et lib. VII. C. 92*). Hinc eorumdem Regum in Aula Archicapellani, et postea Magni Eleemosynarii munus gessere amplissimarum Ecclesiarum Episcopi, quin pastorali earum regimine sese expedirent. Et in Aulis fere omnium Principum, Capellanos, Cancellarios, Consiliarios, Legatosque gesserunt Episcopi, tametsi assiduitatis vinculo suis Ecclesiis adstringerentur. De qua re vide Josephum Carafa (*de Cap. Reg. lib. II. et III.*).

Ecquis ergo dubitet, etiam nostris licuisse Episcopis Regem, et Castra sequi, praesertim si Capellani majoris officio fungerentur? Jam enim adnotavimus in Aula Regum nostrorum plurimos Episcopos hoc munus administrasse, quin Episcopatui cederent: nec immerito Fridericum III. deposuisse Uber-

tinum de Corleone regiae Capellae Magistrum, qui ne Curiam sequeretur, Pactense, ac Liparense Sacerdotium excusabat. Legitima videlicet exceptio erat non commorandi suis in Ecclesiis, cum Episcopi in Aula versabantur, ut Regi, ut Regno, ut Ecclesiis omnibus famularentur, quod Thomasinus pluribus illustrat (*loco citato*). Et quamvis Petrus Blesensis *de institutione Episcopi* opus evulgaverit, ut Siculos Episcopos officii sui immemores ad assiduitatem revocaret, eos quidem arguit, increpatque, qui inter Aulicos otiose vivebant, non eos, qui compendiosam operam Regi, et Regno navabant.

Ad inferiores Beneficiarios quod spectat, veteri mere, quem Sedis Apostolicae privilegia, et communis juris scita ratum habent, a lege permanendi suis in Ecclesiis, et quidem absque deminutione fructuum, solvi constat, si Regis obsequio mancipentur. Ex antiquis enim Regum Angliae constitutionibus refert Thomasinus, Eduardum Regem declarasse inter alia, Sacellanos Regios ad se reddendum Ecclesiis suis cogi ab Episcopis non posse, quamdiu Regi observiunt, eoque jure semper usos fuisse Angliae Reges, ut possent Clericos assumere, sibique devinctos retinere, usque dum illis placuerit (*P. I. lib. III. C.* 36). Hinc admodum probabile est, non disparem in aliis Regnis Capellanorum Regiorum fuisse conditionem, praesertim cum a vinculo assiduitatis ob servitia Regibus exhibenda ipsimet Ecclesiarum Praesules eximerentur. Nec a vero abhorret, Beneficiarios regiis addictos obsequiis, beneficiorum fructus interim fecisse suos: quippe cum ipsis detrimento esse non posset, quod Reipublicae causa vel remotissime degerent.

His permoti rationibus Summi Pontifices in eo concedendo privilegio, quod Beneficiarlis absentiam, et fructuum perceptionem indulgeat, cum Regi serviunt, faciles extiterunt. Namque Alexandrum IV., Gregorium X., Joannem XX., Martinum IV., Joannem XXII., et Clementem VI. Capellanis, Clericisque Regum, at Reginarum Galliae id privilegium consensisse tradunt Scriptores Galli Tilletius, Chopinus, et Degrassalius, qui et ipsas pontificias bullas in medium proferunt. Et Peiratius plurima etiam Regum edicta transcribit, ut id juris Capellanis suis vindicarent, cum a Collegiis Cathedralibus ad reversionem faciendam compellebantur (*De Orat. Reg. Gall. C. VIII. et IX.*). Praeterea simili praerogativa donatos voluit Capellanos Regum Lusitaniae Leo X. et Capellanos Regum Sardiniae Benedictus XIV., quorum diplomata apud Josephum Carafa legi possunt *De Cap. Reg. C. IV.*). Scio Concilium Tridentinum relaxationes omnes perpetuas residendi irritas constituisse, Verum ut observat Thomasinus, cum non Beneficiariis ipsis, sed Regibus privilegia haec indulta sint, deque iis revocandis nulla expressa mentio facta fuerit; censendum non est, illis Tridentinos Patres voluisse derogatum. Additque Vir doctissimus, eadem privilegia eo magis esse convenientia, quod non perpetuam contineant veniam, sed ad tempus coarctatam, quo servitium Regis eos habeat occupatos (*loc. cit.*).

Hanc vero assiduitatis relaxationem, et quidem percipiendorum fructuum juri conjunctam, porrigi ad omnes Capellanos Regios, pro certo esse debet. Siquidem dum hi Regibus, et Regnis deserviunt, putandi sunt, quasi praesentes sint Ecclesiis suis, non secus atque Canonici Episcopo inservientes, quos immunes facit ab assiduitate Alexander III. in haec verba: *Cum absentes dici non debeant sed praesentes, qui tecum pro tuo, et ipsius Ecclesiae servitio commorantur* (*Cap. ad audientiam de Cler. non resid.*). Unde Interpretum omnium una est communisque sententia, Capellanis Regiis etsi beneficio auctis, quod assiduitatem requirit, fas esse Ecclesiam suam relinquere, ac fructus recipere, dum Regibus obsequuntur. Eos nempe praesentes

reputant in suis beneficiis, vel si absentes, abesse dicunt Reipublicae causa, ut inter alios Abbas (*in Cap. Cum dilectus eod.*). Jus interim percipiendi fructus, uti concorditer docent Interpretes, ad quotidianas distributiones non extenditur. Ea quippe talium distributionum propria natura, et ratio, ut non ficte, sed vere praesentibus debeantur. Quare Summi Pontifices a suis privilegiis illas conceptis verbis excluserunt.

Cum autem haec ita se habeant, concludatur necesse est, Capellanis, et Clericis Regum Siciliae, etiam sine expresso Apostolicae Sedis privilegio licuisse, ac licere, a suis recedere beneficiis, eorumque praecipuos fructus consequi, dum Regi famulantur.

CAPUT II.

De paroeciali jure Regiae Capellae Siciliae, dum Aulam, et Militiam sequitur.

§. I.

Probat generalibus argumentis, Regiam Capellam Siciliae Regum nostrorum ubique gentium esse Paroeciam.

Superest, ut de ambulantis Regiae Capellae Siciliae paroeciali in Aulam jure disseramus. Quem locum, quatenus in praesens illustrare possumus, explicabimus. Enimvero a Capellano majore, utpote totius Regiae Aulae Episcopo id sibi vendicat Regia Capella Siciliae, ut unica illius, et propria sit Paroecia, ubicumque immoretur. Ut adeo ad illud, quod nobis propositum est enodandum, oporteret, propriam libri sequentis materiem praeoccupare, et quae ibidem opportunius percensenda sunt, antevertere. Cum autem aeque absonum sit, aut quae mutuo nexu inter se cohaerent, abrumpere, aut necessarium in rebus pertractandis ordinem permiscere; illud nobis in praesenti reliquum erit, ut generalia rationum momenta proferamus, unde pro Regia Capella Siciliae Regiae totius Aulae, ubique locorum Paroecia, si minus certum, at probabile argumentum suboriatur. Itaque dictae Capellae paroeciale munus hoc servato tenore adstruemus.

Catholica Ecclesia fideles omnes materna charitate complectens, in gratiam quoque illorum, qui longinqua agunt itinera, indulsit, ut missae extra loca Deo consecrata celebrentur. In longo quippe itinere, si Ecclesia defuerit, sub dio, vel in tentoriis, si tabula altaris chrismate delibuta, et reliqua sacra utensilia in promptu sint, missarum sollemnia peragi posse, Moguntinae Synodi Patres decreverunt (*Cap. XXX. de Consecr. D. I.*). Quod tamen de terrestri, non maritimo itinere intelligendum est, cum nec ante Tridentina comitia, sine expresso Apostolicae Sedis indulto, licuerit sacrum in medio mari facere, ut argumenta non una suadent. Nam I. missae in navibus olim celebratae vix duo prostant exempla, quae a Cangio (*V. Missa Navalis*) et a Benedicto XIV. (*de Sacrif. Miss. Sect. II.*) referuntur. Caetera, quae allegari solent exempla, ita comparata sunt, ut de veri nominis sacrificio interpretari non possint. II. Antiquum Sacerdotale Romanum Venetis anno 1523, et rursus anno 1568 excusum expresse prohibet, ne quis *in loco fluctuanti, ut in mari, vel in fluminibus* celebrare praesumat. Et III. nisi cantum esset, ne sacra mysteria in navibus fierent, missae navalis, seu nauticae abusus minime irrepsisset. Quae missa eadem erat cum ea,

Digitized by Google

quam non jejuni Sacerdotes dempto Canone, pro defunctis, pro nuptiis, pro purificatione mulierum post partum, aliisque de causis conficiebant, et siccam adpellabant. Consule de ejusmodi missa, Card. Bona, Maurium, Martenium, Meratum, Bertium, Berlendinum, et Laudatum Benedictum XIV.

Quidquid vero hujus rei sit: Cum constet, Ecclesiam pro utilitate fidelium longum iter agentium permisisse quovis commodo, ac decenti loco, si Ecclesia desit, rem divinam exequi; multo magis putandum est annuisse, ut eisdem a quocumque Presbytero Poenitentiae sacramentum, et alia salutis remedia, quae praesto esse possint, saltem si necessitas urgeat, administrentur. Id caeteroquin disciplinae congruit Ecclesiasticae, quae omni tempore qualescumque Presbyteros etiam non adprobatos ad absolutionem a peccatis omnibus, et censuris in articulo mortis impertiendam, fecit idoneos. Unde Tridentina Synodus, facultatem extra sacra loca celebrandi maxime coarctavit (*Sess. XXII. in decr. de observ. in celebr. Miss.*); sed absolvendi in praedicto articulo potestatem, nullis quidem limitibus censuit cohibendam *Sess. XIV. Cap. VII.*).

Jamvero aliquid amplius, quam caeteris fidelibus tribuendum erat Regibus, quorum cohaeret officio, ut Reipublicae bene administrandae, vel tuendae causa, nusquam perstent immobiles, sed pro re nata vel subditas obeant Provincias, vel Regno, ituri obviam hostibus, egrediantur. Itaque cum ambulatoria Capella id sibi proprium ab antiquis temporibus vendicant Reges, ut ubique gentium Capellam ipsam propriae Ecclesiae, et Paroeciae loco habeant.

Hoc sane privilegio usos olim fuisse Angliae Reges, ex eo patet, quod Cantuariensis Archiepiscopus quocumque illorum proprius esset Parochus. Namque agens Eadmerus de Conjugio Henrici I. Regis, quod in Castro Vindsorio celebrandum erat, testatur, Salisberiensem Episcopum ejus loci Ordinarium accinxisse se ad sacrum illud ministerium adimplendum; at Cantuariensem Praesulem intercessisse, et eas sibi partes omnino adjudicasse, quod Regis, et Reginae ipse ubivis esset Parochus. *Quod Rex, et Regina speciales, et domestici Parochiani sunt ipsius* (*Hist. novell. C.* 6). Non est autem silentio praetereundum, Capellae Regum Angliae id singulare fuisse, quod a jure Cantuariensis Antistitis esset immunis. Siquidem narrat apud Thomasinum Rogerius, ut anno 1175 cum contenderent Archiepiscopi Cantuariensis, et Eboracensis de Ecclesia S. Osuvaldi prope Glocestriam; inter eos denique convenisse, ut ea Capella non secus atque ipsa Regia Capella a Cantuariensis Archiepiscopi potestate esset exempta. *Quietam clamavit, et liberam a jurisdictione sua Capellam S. Osuvaldi Glocestriae, sicut dominicam Capellam Regis*. Erat igitur tunc Regia Capella subducta jurisdictioni Cantuariensis Praesulis, qui nihilo secius Parochus erat proprius Regis, et Reginae.

Hispaniarum Regibus etiam competit, ut non aliam a Capella sua Regia, propriam sibi Paroeciam attribuant. Probat quippe Turturetus, eosdem Reges ubicumque sint, Capellani sui majoris Parochianos dici, non alicujus Parochi, vel Episcopi; et hoc ipsum sequenti exemplo confirmat. Cum quadam die Philippus II. Toletanam Ecclesiam, quae in toto Orbe post Romanam celeberrima est, ingressus fuisset, Capellanum suum ad rem divinam se praesente faciendam designavit. Institere Canonici, ne tali honore indigni haberentur in Ecclesia, ubi sacrorum jus ad eos pertineret; sed eorum preces propositi sui tenacissimus Rex omnino respuit. Tandem vero, quoniam Canonicorum unus in Regios Capellanos relatus inveniebatur, ei non invitus celebrare permisit (*De Sacell. Reg. Hispan. p.* 38 *et* 39).

Digitized by Google

Pari privilegio auctos Galliarum Reges ostendit Peiratius (*de Orat. Reg. Gall. lib. I. C. 20*). Adstruit nempe contra Tilletium, Parisiensem Episcopum non esse Episcopum Aulae. *Car l' Eveque de Paris n' à jamais eu authoritè dans la Cour, s' il n' a estè pourveu de quelque dignitè dans la Chapelle du Roy: comme le Cardinal de Gondy, quand' il a estè honorè de la dignitè du Maistre de l' Oratoire du Roy, et le Cardinal de Rets, son neveu, quand' il a estè pourveu de la mesme dignitè, et encore son Frere Archevesque de Paris, qui exerce aujourd' hui la Charge du Maistre de Chapelle de Musique en la Chapelle du Roy. Nos Roys n' ont point d' autre Paroise, que leur Chapelle, la quelle est par tout, ou la Majestè oyt le service divin celebre par les Ecclesiastiques de sa maison.*

Addit, nullis fas esse coram Rege sacra ministrare, nisi vel ejus Capellanis, vel magno Eleemosynario permittente: morem quidem vigere, ut in quovis loco Rex fuerit, quotidiana oblatio Parocho illius loci concedatur; id tamen honoris causa fieri, non quia Rex sit illius Parochianus: Cardinalem Rochefocaltium M. Eleemosynarium anno 1625 in ipsa Cathedrali Parisiensi benedixisse nuptias inter Mariam Henrichettam Ludovici XII. Sororem, et Regem Angliae: falso denique a Tilletio asseri, quod ad Episcopum Parisiensem spectet regia funera moderari, cum id M. Eleemosynario incumbat, qui proinde ultimus post omnes Episcopos incedit, proximior regio cadaveri,

Cum ergo haec ita sint, jure praesumendm erit, Regiam Capellam Siciliae pari ratione a sui principio fuisse Regum nostrorum, atque adeo Regiae totius Aulae, quocumque in loco Paroeciam.

§. II.

Agit de Regiae Capellae Siciliae in Exercitum ubivis militantem paroeciali jure.

Praeposita superiori articulo admonitio, hic denuo est reiteranda. Siquidem a Capellano majore Regiae non solum Aulae, sed etiam Militiae ubique gentium Episcopo id sumit Regia Capella Siciliae, ut huic et in Castris Paroeciae loco inserviat. Cum ergo Episcopalem Capellani majoris jurisdictionem alibi explicaturi simus, et statutum ordinem deturbare non debeamus; generalia tantum argumenta proponemus, unde de Paroeciali ejusdem Capellae in Exercitum ubi ubi militantem jure, legitimum veluti praejudicium habeatur.

Nunquam pia Mater Ecclesia iis, qui ante signa cum hoste pugnant, et sese vitae periculo committunt, aeternae salutis remedia non provisa esse voluit. Hinc Militum Capellanos omnimoda facultate auxit nedum ad missas in quovis decenti loco, praeterquam in medio mari celebrandas, verum etiam ad Sacramenta quaelibet administranda. Et sane nisi sacrum hoc ministerium in Castris exhibere possent, minime invaluisset, ut Episcopi, Sacerdotes, et Diaconi Principes, et signa sequerentur. Praeterea de legitima Castrensium Presbyterorum ad Milites sacris imbuendos potestate, nec Synonodorum decreta, nec Regum Francorum Capitularia nos dubitare sinunt.

Atque ad Synodalia decreta, quod attinet, satis erit, integrum referre Canonem II. Germanici Concilii, quod anno 742 sub Bonifacio Moguntino habitum, et anno sequenti a Liptinensibus Comitiis approbatum diximus. In eo Canone siquidem legimus: *Servis Dei per omnia omnibus arma-*

Digitized by Google

maturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, et hostem pergere, omnino prohibemus, nisi illis tantummodo, qui propter divinum mysterium, Missarum scilicet sollemnia adimplenda, et Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt. Idest unum, vel duos Episcopos cum Capellanis, et Presbyteris eorum, Princeps habeat secum: et unusquisque Praefectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, et indicare poenitentiam possit. Vides igitur, ut Capellani Principum, et Militum non modo ad missae officium in Castris exequendum, verum etiam ad noxas pro sacro tribunali sontibus sui ipsorum accusatoribus condonandas, facultate instruantur.

Ex libro VII. Capitulariúm ad rem propositam faciunt LXXXI. et CIII. Et primum Germanicae Synodi Canonem II. ipsissimis verbis exhibet: alterum intercedentibus Romano Pontifice, et Episcopis a Carolo M. conditum est in hanc sententiam: *Apostolicae Sedis hortatu, omniumque fidelium nostrorum, et maxime Episcoporum, ac reliquorum Sacerdotum consultu etc. nosmetipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus, ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo, vel tres tantum Episcopi electione caeterum, propter benedictionem, et proedicationem, populique reconciliationem; et cum illis electi Sacerdotes, qui bene sciant populis poenitentias dare, missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus, unctionem impendere, et hoc moxime providere, ne sine viatico quis de Saeculo recedat.*

Non pauca hic sunt, quae momenti plurimum habeant. Namque I. deterrimus abusus, qui altas egerat radices, non laudabilis consuetudo proscribitur, quae ferebat per Episcopos, et Presbyteros militibus in aciem prodeuntibus peccatorum medelas, et salutis exhiberi remedia. II. Expresse jubentur Episcopi, et Presbyteri Castra sequentes, ne quis morbo, vel ferro occumbat, nisi tribus ante munitus Sacramentis, Poenitentia videlicet, Extrema unctione, et Eucharistia. III. Ad haec obeunda munera destinantur Episcopi a caeteris eligendi, nec non Sacerdotes, qui scientia, et moribus tales sint, quales verbi Dei, et Sacramentorum decet esse Ministros. IV. Denique hoc decretum, quatenus Apostolicae Sedis, totiusque Imperii Caroli M. Episcoporum rogatu editum, non modo legis a Principe Seculari latae, verum etiam generalis Canonis vim habere nemini dubium esse poterit.

Jam viguit, vigetque adhuc, quoad ad Christianos spectat exercitus, antiqua disciplina. Siquidem tanto diligentius retinenda erat quanto majoribus indigent spiritualibus auxiliis, qui in hostem dimicant. Ut adeo nec missae sacrificio, nec Sacramentis privandi sint; cum et illius praesentia tremendae actionis, et horum legitima perceptio tantum efficere valeat, ut a vitiis, in quae belli occasione procumbunt, sese cohibeant, sanctissima divinae legis praecepta custodiant, et oculos in coelum attolentes, felicem justi conflictus exitum a Deo exercituum praestolentur. Accessere tamen postremis hisce temporibus ad Capellanos majores exercituum omnimoda potestate augendos Apostolicae Sedis rescripta, et privilegia. Quorum si contextus expenditur, clare patebit, Summos Pontifices in iis concedendis eo spectasse, ut christianis exercitibus propria Capella, et Paroecia suppeteret ambulatoria. Vide Antonium Thomam Schiara in sua Theologia bellica, et Josephum Carafa de Capella Regis.

Ex his facile intelligitur, et Regiam Capellam Siciliae a sui primordio totius Regii Exercitus ubique gentium extitisse Paroeciam. Cum enim generi aliquid convenire, firmissimis fuerit argumentis evictum, id etiam ad speciem pertinere, nisi contrarium ostendatur, legitimo jure praesumitur.

De Regia Capella Siciliae utpote permanente.

CAPUT I.

De Palatina Capella S. Petri Panormi, et S. Joannis Messanae.

§. I.

De Palatino S. Petri Sacello.

Regium Panormitanum Palatium insignem habet aedem D. Petro Apostolorum Principi sacram, de qua sic Hugo Falcandus: *Porro ex ea parte, quae Urbem respicit, Palatium ingressuris Capella Regia occurrit, sumtuosi operis pavimento constrata, parietes habens inferius quidem pretiosi marmoris tabulis decoratos, superius autem de lapillulis quadris partim auratis, partim diversicoloribus Veteris, ac Novi Testamenti depictam historiam continentes. Supremi vero fastigii tabulatum insignis elegantia caelaturae, et miranda picturae varietas, passimque radiantis auri splendor exornant* (*Hist. Calam. Sicil.*).

Sed praetereunda non est accuratior Sacelli ejusdem descriptio, quam Fazellus concinnat his verbis: *Id Sacellum, et sua pulchritudine, et rerum pretiosissimarum apparatu caeteris, quae in Italia, et forsan extra, nunc usque extant, seu veteribus, seu novis merito praeferri constat: quo nomine ab omnibus, qui Panormum aut inhabitant, aut invisunt, Viris non imperitis modo, sed ingenio etiam doctrinaque praestantibus, summa cum admiratione, ac jucunditate frequentatur. Marmorum enim diversitate, incrustatione, musivo, ac interiori pictura sumtuosissimum est. Pavimentum illius marmoreum, ac porphyreticum, diversique coloris tessellis compactum est: inferior parietum pars marmoreis etiam, ac porphyreticis incrustata tabulis: superior lapillulis quadratis, et eis inauratis insignita, et variantium colorum lapillis, contextam Veteris Testamenti continet historiam, quae et picturae artificio, et rerum cognitione plurimum delectat. Supremi fastigii tectum bino ex marmore columnarum ordine, arcubusque vermiculato opere splendentibus, ac variegatis subnixum, admirabili rerum caelatura, artéque insignitum, laqueatumque, ac auro illitum. Specum quoque habet subterraneum, ac religiosissimum. Valvae sunt ad ejus sacraria geminae ex aere fuso, pari, et insigni forma conspicuae. In Templi frontispicio pensilis, et pluribus ex marmore columnis suffulta est porticus; cujus parietum inferiorem partem; licet Conditor marmoreis incrustaverit tabulis, superiorem tamen rudem reliquit, quam Joannes Sanchez Sacelli Prophonista ann. sal. 1506 musivo opere, et Divorum Novi Testamenti, ac animalium pectura decoravit*. Hactenus Fazellus (*Decad. II. lib. VIII.*).

Jamvero Rogerius primus hujus nominis Rex Siciliae, postquam iis omnibus ditatus Provinciis, Neapolitanum unde postea Regnum coaluit, Regia Corona caput exornare valuit, et Panormi regium diadema per manus Pan. Archiepiscopi suscepit, Rexque inunctus est die XXV. Decembris anni 1130 S. Petri Capellam intra septa Pan. Palatii, ut esset perpetuum novi sui Regni monumentum, a fundamentis erexit (*D. VII.*). Quam inde anno salutis 1140, et regni sui anno X. sollemni ritu consecrandam curavit, ut etiam liquet ex allo diplamate subscripta a quamplurimis graecis, latinisque Sacerdotibus, qui sacrae coeremoniae interfuerunt.

Utrum vero Rogerius, an potius Guillelmus marmoribus, et musivo opere Templum exornari fecerit, meo quidem judicio incertum est. Nam de Guillelmo I. Romualdus Guarna Salernitanus Archiepiscopus haec habet: *Capellam quae erat in Palatio, mirabili musivi fecit pictura depingi, et ejus parietes pretiosi marmoris varietate vestivit, et eam ornamentis aureis, et argenteis, et vestimentis pretiosis ditavit plurimum, et ornavit*. Ceeterum probabile est, multi aeris, et summi laboris opus inchoasse Rogerium, sed numeris omnibus, et partibus absolvisse Guillelmum.

Quocumque modo se res habeat, vermiculatum emblema, quod sacri Palatii templum decorat, saepius temporis injurie pessumdatum refici oportuit, ne vetustate absumeretur. Id primum regnantibus Alphonso, et Joanne incisae in supremo fastigii tecto literae factum ostendunt. Postmodum sub Rege Victorio Amedeo nova quidem instauratio coepit instituí, sed consecutae mox rerum vicissitudines opus interceperunt. Tandem Carolus III. Borbonius totam aedem, sed veteri formae, ad conservandam antiquitatis memoriam, musivo artificio reddi jussit, quod prosequi voluit Ferdinandus paternae virtutis piissimus aemulator. Interim nonnihil de pristino Ecclesiae statu immutatum, ae praesertim in Porticu, quae novis tessellati operis ornatibus, et picturis Rege sic disponente, ut nostris temporibus illustranda est, queis imitatrices naturae artes vigent. Quarum picturarum, quae hactenus perfecta est, et jannae Porticus, qua templum aditur, imminet, feustum augustissimorum Regum adventum pulcherrimo signat emblemate. Nempe Panormum regiis evinctum insignibus refert, Aquila devectas Regum imagines contemplantem, dum Anguis quasi rei novitate percepta, e Cubili suo prosilit, et Canis insueta gestiens laetitia regias lambit effigies.

§. II.

De Palatino S. Petri Collegio.

Palatinae Capellae plurimos Presbyteros, et Clericos addixit Rogerius, eosdemque voluit, solemnes statasque precationis horas persolvere, et Canonicorum Collegium sacris dedicatum officiis constituere. Octo autem ibi praebendas, seu Canonicatus instituit, praeter alia duo beneficia, quae ab adnexa Sacramenti Poenitentiae administratione, Confessionis beneficia in diplomaticis monumentis dicta leguntur (*D. XXXV.*). Cum enim a Regia Curia singulis annis un·7 *8*, ac tarenos decem perciperent; manifestum est, illa Rogerium fundasse, qui Ecclesiae, quam Confessionariam vocat, tantundem in Terenis assignavit (*Dipl. VII.*).

Guillelmus I. paternis instans vestigiis palatinae Capellae Clerum insigniter auxit. Nam Romualdo Guarna teste. *Clericos in ea multos, et praebendas instituit, et divinum in illa officium decenter, et tractatim, et cum Dei reverentia, et timore celebrari disposuit*. Quare verosimile fit, sacram Capellam, constitutam olim fuisse Cantore, duodecim Canonicis, tribus Personatis, Subcantore videlicet, Magistro Scholae, ac Caeremoniarum Praefecto, duodecim Chorodatis, binis Aedituis, hoc est Sacristis, et quatuor minoribus Clericis, ut habet in Ecclesiarum Capibrevio Lucas Barberius. His porro eccedebant Graeci Praesbyteri, qui certas anni Festivitates, et in specie dierum Veneris in Quadragesima Vigilias ibi celebrabant (*Dipl. XXXIV.*).

Recentioris vero originis sunt Canonici, et Clerici, qui hodie Palatinam Capellam frequentant. Siquidem labentibus annis in eam incidit calamitatem,

ut nisi Francisci de Puteo Regii Visitatoris, et M. Antonii Columna Proregis opera intercessisset, fortasse adhuc sine Ministris, et sacro cultu oblanguesceret. Sane utriusque gravissimis consultationibus permoto Regi Philippo II. Religio fuit, quominus fatiscentem Ecclesiam negligeret. Itaque praeter Cantorem, qui adhuc perstabat, octo in ea Canonicos jussit institui, duos item Personatos, Subcantorem ac Magistrum Scholae, sex Chorodatos, quatuor Diaconos, duos Sacristas, sex minores Clericos, triginta Musicos, et famulum, qui Ecclesiae usibus praesto esset. Praeterea Rex Philippus III. ad augendum Dei cultum illis octo Canonicis quatuor, sex Chorodatis duos, et quatuor Diaconis item duos accenseri decrevit, nec non Capellanum, qui Cantori in Sacramentis administrandis operam navaret. Ita Palatino Templo adscripti sunt Cantor, XII. Canonici, II. Personati, Subcantor, et Scholae Magister, VIII. Chorodati, VI. Diaconi, II. Sacristae, VI. minores Clerici, et Capellanus ad Sacramenta ministranda, extra Musicos, et famulum infimis deditum officiis.

Tandem Augustissimo Regi, et Domino nostro Ferdinando debet Palatina Capella, quod insigni hodie Clero augeatur. Nam praeter dictos sex minores Clericos, quibus tres alios superaddi voluit, viginti Clericos genere, moribus, et ingenio conspicuos eligi jussit, qui Ecclesiae servitio sub certis legibus assuescerent, et veluti Seminarium componerent, unde optima Beneficiariorum, et Canonicorum Regiae Capellae progenies emergat.

Jamvero ex Cantore, et Canonicis Regiae Capellae, proprie loquendo non Cathedrale Capitulum, sed Collegium mere ecclesiasticum coalescit. Et sane Cathedrale Capitulum unum cum suo Episcopo corpus efformat, in quod devolvitur, uti scribit Enspenius P. I. Tit. IX. C. I. N. 1. *Sede vacante Episcopalis jurisdictio, atque Ecclesiae administratio, non quidem ex aliquo privilegio, vel delegatione, sed ex ratione juris non decrescendi: quia Ecclesia Cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo, et Capitulo, ab illo scilicet tamquam Capite, ab isto tamquam reliquo Corpore; Ecclesiastica jurisdictione penes totum Corpus habitualiter residente, exercitio autem in plerisque competente Capiti, et consequenter defecto Capite, jure consolidationis, vel jure non decrescendi, universa jurisdictio, seu totum jus Cathedraticum tam in habitu, quam in exercitio manet penes Capitulum, tamquam reliquum corpus politicum, seu intellectuale.* At vero Palatinae Capellae Canonici nec unum cum Aulae Antistite, seu Capellano majore corpus efficiunt, nec eo vita functo jurisdictionem Episcopalem sibi propriam vindicant. Qua de causa Vicarium eligendi, uti moris est Cathedralium Capitulorum, jure carent, quippe cum in regiis Capellis hujusmodi electio ad Regem spectet. Interim ab antiquis temporibus usus obtinuit, ut Palatinum Collegium Capituli appellatione vocetur, quam regia simul et pontificia rescripta passim confirmant.

Cantor est quidem hodie, ut olim Palatini Collegii unica dignitas. Quod enim Thesaurarius proximam a Cantore dignitatem prisce obtinuerit, ut Regii Visitatores affirmant, nullis ex monumentis promitur. Nec dubium, Thesaurario sacrorum utensilium curam, et custodiam per se incumbere, quod merum est officium sine ulla praeeminentia, et jurisdictione. Verum utrum Rogerius an potius Guillelmus Palatino Collegio Cantorem adjunxerit, incompertum est. Namque anno 1132 Petrus Pan. Archiepiscopus de solis commemorat Canonicis, nulla Cantoris facta mentione, quem uti unicam Collegii dignitatem nominare debuisset (*D. VI.*). Deinde vix est, ut in Vicario, cujus meminit Rogerius (*D. VII.*), Cantorem intelligamus, non eum, qui vicario Canonicorum nomine animarum curam exerceret. Postre-

Digitized by Google

mo Simon ille, quem Pirrus primum vocat Regiae Capellae Cantorem, non alibi memoratur, quam in diplomate, quod apud Pirrum in Not. Mess. Eccl. scriptum legimus; *Incarnationis dominicae anno 1159 Regni vero Guillelmi Siciliae Regis anno VIII.* Nulla igitur nos causa impellit, ut istius electionem Rogerio potius, quam Guillelmo attribuamus.

Exploratum vero esse debet, Cantoris dignitatem Palatino Sacello additam fuisse, ut esset, qui sacra officia pro suo jure dirigeret. Postquam enim in Ecclesiis laudanda psalmos canendi consuetudo invaluit, qui cantum regebat, per excellentiam Cantor dictus est, passimque in Galliis, auctore Choppino lib. I. de Polit. eccl. C. III. Num. X. et Enspenio P. I. Tit. XI. C. III. N. II. Cantorem psallentium Chorus divinorum officiorum moderatorem, Rectoremque agnoverunt. Quare ab Regiae Monarchiae Judice Emmanuele Mongo anno 1670 recte provisum fuit, ut Cantor tamquam Regiae Capellae superior, et unica dignitas, vel ejus vice Canonicus major, possit aliquem ex Personatis, et Chorodatis delinquentem a Choro repellere, dum sacra celebrantur (*D. CLXXXVIII.*). Nec omittendum, id quoque juris Cantori competere, ut ad Regiae Capellae officia, et beneficia idoneos Viros nominet, ex quibus a Capellano majore tres digniores Regi proponantur (*Dipl. CCXLIX.*). Quod jus in absentia Cantoris ad Canonicum seniorem devolvitur (*Dipl. CCLXXV.*).

Jam Cantor, Canonici, et Clerici Palatini a priscis usque temporibus Regiorum Familiarium titulo, atque honore donantur. Qua de causa in diebus ad aulicas gratulationes, salutationesque designatis, ab Augustissimo Rege nostro cum Aulae Proceribus, Regiisque Cubiculariis, ad manus osculum admitti solent (*D. CCXLIII.*). Porro ab oneribus, et praestationibus immunes sunt, quemadmodum Friderici II. Imperatoris, Mamfredi, Caroli Andegavensis, et aliorum Siciliae Regum privilegiis apertissime continetur.

Quorum privilegiorum dicta ratione Clericos omnes Palatinos exactionibus Regiae Curiae haud subjici, anno 1509 agnovere Togati Jurisconsulti, qui Regis aerario praeerant, ut in notitia Regiae Capellae habet Pirrus. Et similiter ab indictionibus, quae in generalibus Regni Colloquiis statuuntur, illos exemptos esse pronunciarunt anno 1802 Ill. XIIviri, qui Regni negotia temperabant (*Dipl. CCLVI.*).

Moris erat, ut publicis in supplicationibus Cruces, Canonici, et Clerici Cathedralis, et Palatinae Ecclesiae una incederent. Idque anno 1520 Curia Archiepiscopalis, et anno 1585 Regiae Monarchiae Judex Joannes de gradu observari praescripsit. Quare cum anno 1613 ad gratiarum actiones Deo ac B. Mariae agendas ob insignem victoriam de Turcis cum 1300 Christianorum liberatione reportatam, solemnis supplicatio jubente Ossunae Duce indicta fuisset; Cardinalis Doria Pan. Pontifex Metropolitanos, et Palatinos volens in supplicantium ordine conjunctim progredi; edicto suo cavit, nequa inter eos loci, ac vestium disparitas intercederet (*Dipl. CLXX.*). Sed anno 1613 teste Pirro, in die B. Mariae in Coelum assumptae sacro, consuetae supplicationi non adfuere Palatini, propterea quod noluit Archiepiscopus, ut Mazza in Cathedralis Ecclesiae praejudicium uterentur. Recesserunt ergo ab antiquo usu supplicationibus interveniendi, tametsi in Proregum exequiis, cum sua Cruce Mazza, et pari passu cum Metropolitanis gradi non desueverint.

Ad insignia quod spectat: almutio nigri coloris cum fasciis sericis rubeis Palatini Canonici olim utebantur. Inde rochetum, et muzzettam serico rubro subsutam, et consutam Urbani VIII. Summi Pontificis privilegio conse-

euti sunt (*Dipl. CLXXVIII.*), et pariter almutium de Principis Philiberti de Subaudia concessione Beneficiarii. His postea Rochetum annuit Joannes Foliani de Aragonia Peregrini Marchio anno 1774, et Canonicis Muzzettam nigri coloris Marcus Antonius Columna Hostiliani Princeps anno 1777. Tandem eadem insignia, queis Metropolitani effulgebant, quaeque antiqua erant semina discordiarum, Palatinis anno 1799 ex aequo concessa sunt. Namque Illustrissimi Senatus, quem supremorum Tribunalium Praesides, cum Consultore componebant, de causae jure responso Rex assensus, ab Heracleensi Antistite Capellano majore tunc speciali Apostolicae Sedis in Sicilia Delegato, mitram, et Cappam magnam, Metropolitanorum, instar, Palatinae Capellae Canonicis, et Clericis jussit attribui (*Dipl. CCXLIV.*). Porro ad praecidendas quaestionum ansas anno 1802 diplomate suo sancitum esse voluit, suopte jure talibus indumentis Palatinos uti, quandoquidem sacra extra Palatium obeundi a Panormitano Praesule veniam impetraverint (*Dipl. CCLIV.*).

Addam, Palatinum Cantorem praeter alia ornamenta, quae communia cum Canonicis habet, in processionibus baculum deferre. Cujus baculi usum ad Cantores ideo spectare constat, quod Chori Episcopi sint, ut in Synodis Coloniensibus annorum 1260, et 1536 vocantur. Hinc Enspenius, *in signum hujus potestatis receptum videtur in quibusdam Ecclesiis, ut Cantor utatur in praecipuis Festivitatibus baculo argenteo, quem baculum Cantoralem vocant etc.* (*loc. cit.*)

§. *III.*

De Palatinae S. Petri Capellae paroeciali jure.

Regiam S. Petri Capellam poscente Rogerio, Petrus hujus nominis primus Panormitanus Archiepiscopus paroeciali dignitate auxit. Nempe illi adsentientibus Canonicis praeter Ecclesiam S. Andreae sitam juxta moenia Panormi cum suo coemeterio, totum Urbis qua Occidentem respicit, Castrum superius, ejusque ambitu inclusum Regale Palatium in paroeciam attribuit. Id constat ex privilegio ipsius Petri, et Canonicorum dato Panormi anno 1142 (*Dipl. VI.*). Quod Cardinalis Doria Panormitanus Pontifex ratum habuit anno 1634 (*Dipl. CLXXXI.*).

Nunc si ducem historiam sequimur, ex illius Castri superioris circumferentia Paroeciae, quae Palatino Templo adscripta fuit, minimo negotio fines innotescent. Itaque ad meridiem, usque ad Coenobium S. Joannis de Eremitis Castrum patebat, et veterem S. Mariae de Itria aedem complectebatur. Ad ortum, totum illud praecingebat spatium, quod postea complanatum, hodiernam Palatii aream efformavit. *Ante arcem*, sic Fazellus, *atrium erat . . amplum spatiosum, quod ad ludos, spectaculaque edenda, ac Regis conciones ad Populum habendas, Theatri usum praebebat . . . ipsa vero atrii area tandem anno 1554 in novam planitiem cilindro, sabuloque aequatam redacta*. Porro Occidentem versus, ubi Ecclesia S. Andreae consurgebat, pomarium latissime patens Castrum ampliabat. *Palatio* sic etiam Fazellus, *pomarium extra Urbis maenia, qua Occidentem spectat, adhaerebat, ambitus passuum millium ferme duorum . . . in quo horti amoenissimi . . Cubam eum locum ut olim, ita et nunc Panormitani vocant*. Denique ad Septentrionem Papyreto fluvio Castrum imminebat, eamque totam Regionem, quae Thalca dicta erat, occupabat. *Inter atrium, et privatas Urbis domos, spatium erat alterum ingens sane lato muro cinctum a Saracenis Thalca punice vocatum . . Thalca quidquid hodie est intervalli inter Urbis moenia sinistror-*

sum Palatio ad Papyretum usque Fluvium haerentia, et *aedes sacras S. Joannis Baptistae*, *S. Barbarae*, *S. Magdalenae*, *et S. Constantini a Thalca adhuc cum tota illa regione cognominatas includebat*, . . . *ub ipsa Arce ad Urbem usque sinistrorsum moenibus adnexa via erat cooperta ab ipsa arce ad aedem usque S. Agathae de Villa Papyreto Fluvio incubans*, *ingressum egressumque apertum praebebat*. Huc usque Fazellus. Quare pristina Palatinae Capellae Paroecia, utpote quae illius Castri superioris ombitum occludebat, latius quam hodie, patuit: siquidem in praesenti statu unius Regii Paletii circuitione describitur.

Exploratum vero esse debet, in eadem Capella curam animarum non Cantori solum, sed toti Canonicorum Collegio convenire, ut sequentia documenta commostrant.

I. Petrus Archiepiscopus dum Regiae Capellae Paroeciam attribuit, Canonicos tantum enunciat, Cantorem omnino silet.

II. Cum Floderisia Friderici II. Siciliae Regis Filia extra Palatium facto functa, ac tumulata fuisset, per Senatorem de Maida sacrae Regiae Conscientiae Judicem decisum fuit, de legatis, quae a domesticis sacri Palatii alio decedentibus ad pias causas instituuntur, Palatini Sacelli Canonicis quartam competere (*Dipl. XXXVIII.*).

III. Palatinum S. Petri Collegium, Parochum esse, ac Sacramenta administrare Panormitanae Ecclesiae Canonici sede vacante conceptis verbis testati sunt (*Dipl. CXXXVII.*).

IV. Mortuo Cantore Guillelmo Cantavena, et Canonicis Sacramenta praebere communiter volentibus, ad ea ministranda Vicarium constituit suum N. de Anastasio Panormitanus Antistes. Quare a Regiae Monarchiae Judice inhibiti fuere Canonici, ne Sacramentis impertiendis sese intromitterent, aut Ordinarii Vicario molestiam aliquam inferrent. Sed re maturius expensa Judex inhibitionem delevit, quod Capellani Sacramentalis electio ad Canonicos spectaret: et ipsi proprio jure elegerunt eumdem de Anastasio, qui vigore actus Capitularis munus exercuit suum, et mercedem adsecutus est un. 7 20 per literas a Duce Maquedae ad Thesaurarium Regii Patrimonii directas, ut ei tamquam Capellano electo a Capitulo singulis annis dicta summa penderetur. Quae omnia ex Pirro coaevo teste fidem habent.

V. Cardinalis Doria Panormitanus Pontifex Petri antecessoris sui privilegium confirmavit, praetereaque Curam animarum, et paroecialia jura Regiae Capellae Canonicis, quatenus opus esset de novo concessit (*D. CLXXXI.*).

VI. Cum absente Cantore Canonicum Josephum Mezzatesta Capellanum Canonici ex legitimis causis removissent, eique Pirrus uti Canonicus major Petrum de Montenigro Chorodatum subrogasset; factum Prorex Dux Alcalae penitus improbavit, simulque edixit, ad Collegium, si Cantor desit, pertinere Capellani Sacramentalis nominationem, qui nulla Ordinarii adprobatione egeat (*Dipl. CLXXXIV.*).

VII. Cantori Josepho Filangerio annis provecto, Oeconomum, quem sibi dari postulabat, abnuit Rex Carolus III. cum ob rei novitatem, tum etiam quod Cantoris vice Canonicus major Choro praeesse debeat, et animarum cura, quae penes Capitulum residet, per Vicarium ab eo constitutum exercenda sit (*Dipl. CCXVIII.*).

VIII. Tandem in regio diplomate, quo omnes de Palatina Capella Controversiae definitae fuerunt, apertissimis verbis comprehensum est, ad Cantorem Curae non titulum, sed exercitium spectare, ut adeo si Cantor desit, Canonici majoris munus sit, Choro praesidere, sed Capituli, ei quem idoneum existimaverit, Sacramentorum demandare administrationem (*Dipl.*

Digitized by Google

CCXXXVI.). Quae cum ita se habeant, paroeciale jus Regiae Capellae toti Canonicorum Collegio insitum esse, nemo est, quin intelligat. Illud tamen extra dubitationem positum est, in Collegiis, quibus in communi animarum cura competit, oportere, ut ab uno tantum Vicario exerceatur. Hinc de praedictis Collegiis Tridentini Patres Sess. VII. de Ref. C. VII. a locorum Ordinariis sollicite providendum statuerunt, *ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos . . . ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur*. Sic factum Palatina in Capella deprehendimus; ubi cura, quae toti inhaereat Collegio, uni Cantori utpote magis digno, et ejus vice Canonico majori a priscis equidem temporibus committi consuevit. Quamquam non secus, ac paroecialium Collegiorum natura postulat, semper Canonici communis juris, ac potestatis non obscura indicia, et monumenta conservarint. Siquidem ex antiqua disciplina nonnullas paroeciales functiones alternotim, et per hebdomadam celebrant. Cujusmodi sunt pelmarum, Cereorum, et sacri fontis benedictio, SS. Eucharistiae ad Infirmos deportatio, et his similia.

A R T. III.

De censu Palatinae S. Petri Capellae.

Sacri Palatii Capellam Rex Rogerius, ut erat animo excelso, et magnifico, pingui admodum censu donavit. Atque ipsius Canonicis praeter domos, vineas, ac terras certam pecuniae summam, et frumenti, hordeique quantitatem a Regia Curia quovis anno exhibendam contulit. Tum Guillelmus paterna documenta prae oculis habens, nedum pretiosis supellectilibus, et ornamentis aureis, et argenteis Palatinam Capellam ditavit, verum etiam cum opimis praebendis, teste Romualdo Guarna, multos ei Clericos addixit. At his limitibus circumscripta haud fuit Northmannorum Principum in Regiam Capellam munificentia, et liberalitas. Namque pluribus eam amplificarunt suffraganeis Ecclesiis, nec non tertia parte decimarum de Canonibus, et juribus, quae a LXV. Civitatibus, ac Terris in regium aerarium confluebant. Sed de hujusmodi Ecclesiis, ac Tertiariis, quoniam speciali illustratione res indiget, subnexis in appendicibus postea disseremus.

Tam lautam, et opulentam dotem in suo statu retinuerunt subsecuti Principes Henricus VI. Imperator, et Fridericus Filius (*Dipl. XV. et XXIV.*), nec non Carolus Andegavensis. Quo jubente a Petro de Failla tamquam Regii Secreti substituto jurium, et praebendarum Regiae Capellae testes recepti sunt, et in Duanae pandectas relatum quidquid ei singulis annis a Regia Curia pendi deberet (*Dipl. XXXIV.*). Inde ex Aragoniis Regibus Fridericus II, et Petrus II. antiqua omnia ejusdem Ecclesiae privilegia sarta tecta servari decreverunt (*Dipl. XXXV. et XXXVII.*).

Sed postremis Aragonensium temporibus, quod Sicilia non secus ac Germania, Gallia, et Italia, in diversas Regulorum conspirationes discissa fuerit, Palatinae Capellae exitiosum contigit. Siquidem Claromontani Proceres Panormo sibi occupata, Templa, Altaria, Monasteria, et ipsam cumprimis Regiam S. Petri Ecclesiam appetere, latrocinantium more diripere, bonisque omnibus evertere nefario sacrilegio ausi sunt. Quo factum, uti Canonici, et Clerici suis fraudati beneficiis ab ea frequentanda, et excolenda uti mox patebit, sese abstinuerint. Quamvis enim Rex Martinus Regno composito ad resarcienda Capellae suae damna animum adjecerit; (*Dipl. LXXVI. et LXXIX*) res tamen firmo et stabili exitu caruit. Namque anno 1552 Jacobus Arne-

Digitized by Google

do palatinam Capellam regia cum potestate visitans, Canonicos, et Chorodatos invenit, qui, cum singulis annis tres tarenos Siculos praebendae nomine vix consequerentur, tantum in die S. Petri a sacris officiis non feriabantur (*Dipl. CXLIV.*). Itemque anno 1582 Franciscus de Puteo regius et ipse Visitator aliquot reperilt Canonicos, qui quater in anno Regiae Capellae Templum adibant, ad supplicationes agendas, quae inde egredi consueverant (*Dip. CLIV.*). Ita novo censu indigebat Regia Capella, ut pientissimi Fundatoris in ea voluntas exequeretur.

Hac de re ingeminatae Francisci de Puteo, et M. Antonii Columna gravissimae consultationes ad Regem Philippum II. transmissae ipsius animum valde permoverunt. Hinc protinus Regiae Capellae super decedentium Praelatorum spoliis, et vacantium Ecclesiarum redditibus, assignandos constituit aureos quoquo anno MMD. ea praescriptione, ut MCXXV. in Canonicorum, et Clericorum praebendas, DXXXIV. in Dei cultum, sacrasque supellectiles, DCCCXLI. in Musicorum stipendia insumerentur. Ad eam dotem aliae atque aliae ex eodem proventu annuae factae sunt accessiones. Nam Philippus III. illam cumulavit aureis MCCCXXIV. et sesqui, unde DCCCXCV. superadditis Canonicis, Chorodatis, et Diaconibus praebendae nomine, assignarentur CV. subterranei Sacelli dotem constituerent, et reliquum sacras in supellectiles expenderetur. Tum Philippus IV. ad superiores concessiones attulit aureos CCCCLX. quibus praebendas augeri voluit. Carolus item II. inter praesentes Canonicos, et Clericos more Cathedralium Ecclesiarum summam distribui jussit aureorum MCCXVII. computatis in ea CCC. qui ex perpetua super Catanensem Episcopatum pensione redirent. Praeterea idem Rex CLXXX. aureos duobus attribuit caeremoniarum Praefectis, qui sacris functionibus praesiderent. Cumque aurei CLXX. de summa divino cultui addicta detrahi, et alios in usus impendi solerent, itemque aurei CCL. ad annuas sollemnitates deessent; tantundem Rex Victorius Amedeus ad constitutas assignationes addi decrevit (*Dipl. CC. et CCI.*).

Siquid vero antecessorum Regum erga Palatinam Capellam largitas praetermisit, aut subsequens occasio postulavit, id Principum Borbonicae stirpis munificentia contulit. Atque inclytae memoriae Carolus III. praeter annuam summam un·7 594 15 restaurando Templi musivo attributam, un·7 108 pro sex missis quotidianis, et un·7 24 pro eucharistica benedictione fidelibus impertienda largitus est. Ad haec Ferdinandus III. hodie Rex noster clementissimus pro duabus aliis missis quoquo die celebrandis assignavit un·7 36 inde pro sacro Nativitatis Dominicae novendiali un·7 6, pro augenda Capellani Sacramentalis mercede un·7 18 pro incremento stipendii Missarum XII. un·7 72 pro aliis sex missis quotidianis un·7 144 et pro auctario Clericalium omnium praebendarum, et pensionis utriusque Sacristae un·7 147 (*Dipl. CCLIII.*) Tandem Serenissimus Princeps, qui Regnum, cujus est haeres, Vicario Patris nomine moderatur, cum Magistri Caeremoniarum officium vacasset, mercedem un·7 96 illi addictam, Regiae anni 1807 dispositioni inhaerens, aequales in portiones inter Canonicos ita dispesci voluit, ut duae Canonico Decano adjudicentur (*Dipl. CCLXXX.*).

Haec sunt insignia, et plane regia munera, quae continenter Austriaci, et Borbonici Reges in sacri Palatii Capellam libentissime contulerunt. Et quoniam unicus spoliorum, sediumque vacantium fundus persaepe tantum onus ferre non valet; Victorius Amedeus ex aere regio, Carolus III ex dandis, ut ajunt, regiis, et Ferdinandus augustissimus Rex noster ex alio proventu ad Fiscum pertinente, idem illud, quod deest, suppleri jussit.

Digitized by Google

APPENDIX I.

De Ecclesiis Palatinae Capellae Suffraganeis.

De Ecclesia S. Mariae de Admirato.

Initium ab Ecclesia D. Mariae de Admirato faciam, quae tametsi palatinae Capellae suffraganeis accensita non fuerit; illius tamen Cantoriae adnecti contigit, et bona quod spectat, adhuc adnexa permanet.

Mirari subit, Ecclesiam a Georgio Antiocheno Magno utriusque Rogerii Admirato conditam, et permittente Rogerio II. adhuc Siciliae Comite de consensu Pan. Antistitis, et Canonicorum pontificiae auctoritati αμεσως adscriptam (*Dip. V.*), in Cantorum palatini Sacelli jura concessisse. At non dubitandum, quin labentibus annis ob eam fortasse caussam, quod bona Antiochenae familiae absque haeredibus extinctae Fisco obtigissent, in Ecclesiam Regii patronatus, immo in Regiam Capellam evaserit. Certe Honorius III. Ecclesiam D. Mariae de Admirato Capellam vocat Regiam, nihil obstante, quod apostolicae Sedis jurisdictioni proxime subesset (*Dip. XXIII.*). Potuerunt ergo Reges Cantoriae Sacri Palatii dictam Ecclesiam cum suo beneficio jure adnectere, praesertim si consentiente Pontifice, id fecerint.

Primus ex Regiae Capellae Cantoribus, quem beneficio S. M. de Admirato auctum exhibet Pirrus, fuit Ogerius de Verzolo. Inde Orlandinum Brunello, Franciscum Catania, Franciscum Vitale, Philippum Guirrisio, Bernardum Figuera, et Guillelmum Vitale cum Cantoria eo simul beneficio donatos apud Pirrum legimus. Sed Rex Alphonsus anno 1433 Ecclesiam S. Mariae de Admirato, quae Coenobio Sacrarum Virginum de Marturano finitima erat, ipsis petentibus ab Regiae dignitatis praeeminentia quoad ad parietes spectat, avulsam Monialibus concessit, non tamen in perpetuum, sed quousque Regi placeret. Inde enixis precibus devictus altero suo diplomate sublata Regii placiti clausula, concessionem stabilem perpetuamque fore constituit (*Dip. CIV.*). Distracta igitur, quantum ad parietes attinet, Ecclesia, Palatini Cantores in beneficii ad eam pertinentis possessione manserunt. Et quamvis postea Pan. Civitati idem Rex indulserit, ut idem beneficium ad nobilissimi Templi restaurationem Marturanensi Coenobio in posterum cederet; id tamen effectu caruit. Namque anno 1455 Cantorem cum adnexo beneficio S. M. de Admirato Jacobum de Gallarat, instituit (*Dip. CIV.*), et Cantores etiamdum praefati beneficii nomine de feudis Achiae, et Scupelli jamdiu ad emphyteusim datis Canones exigunt.

De Ecclesia S. Joannis.

Extitit olim intra Pan. Palatium Aedes D. Joanni sacra, quam Pirrus inter palatinae Capellae suffraganeas primo loco recenset. Hujus aedis hodie nullum ibi vestigium cernimus.

De Ecclesia S. Pancratii.

Ecclesia S. Pancratii prope Oppidum S. Philadelphi Messan. Dioecesis, Coenobium olim adnexum habuit Ordinis S. Basilii, quod ab Rogerio Comite sive extructum, sive instauratum, multisque bonis praediisque auctum, Rex Rogerius Archimandritae Messanensi tamquam totius Basilianae familiae

Praeposito generali subjecit. Sub Guillelmo I. recedentibus Monachis, Ecclesia S. Pancratii simplex evasit Regiae collationis beneficium, et palatino S. Petri Sacello suffraganeum (*Dip. XXXIV*).

De Ecclesia S. Nicolai de Confessione.

In Regiae Capellae suffraganeis adscripta fuit Ecclesia S. Nicolai de Confessione (*Dip. XXXIV.*). *Quaenam haec sit* (ait Pirrus) *mihi non constat.* Subdit vero Mongitorius in feudo Achtiae sitam fuisse, uti patet ex visitatione Francisci de Puteo anno 1583 et Philippi Jordi anno 1604.

De Ecclesia S. Mariae Superioris.

Templum S. Mariae Superioris inter suffraganeas Ecclesias Regiae Capellae numeratum (*Dip. XXXIV.*) illud fuisse creditur, quod pan. in Palatio erectum, et ab Jerusalem dictum Scriptores nostri memorant. *Arcem ipsum ingredientibus Sacellum musivo a Roberto Guiscardo structum, ab Jerusalem nuncupatum a fronte occurrebat; quod deformatum mea aetate ad profanos mutatum est usus.* Ita Fazellus Decad. I. lib. VIII. cui consonant Pirrus, et Invegius.

De Ecclesia S. Fidei de Mazzara.

Ecclesiam S. Fidei de Mazzara in Regiae S. Petri Capellae suffraganeis computata legitur (*Dip XXXIV.*). Sed Pirri aetate aliud non extabat illius vestigium praeter altare S. Fidei vetusta in Aede S. Jacobi de Mazzara, uti Pirrus ipse testatum reliquit.

De Ecclesiis S. Angeli de Castro veteri S. Stephani de Confessione, nc S. Andreae de Porta Bibilisi.

Hujusmodi Ecclesiae inter Palatinae Capellae suffraganeas adscitae erant (*D. XXXIV.*). Sed nostris temporibus, nec vestigiis agnoscuntur, neque ubi steterint, sola opinione, vel conjectura referre possumus.

De Ecclesia S. Mariae de Stolis.

Palatinae Capellae suffraganeis addita olim fuit Ecclesia sub invocatione S. Mariae de Stolis (*XXXIV.*). Quae tamen fuerit, omnino incompertum est.

De Ecclesia S. M. Magdalenae de Thalca.

Secus vestustiorem Cathedralem Ecclesiam Sacellum adsurgebat D. M. Magdalenae sacrum; Quod a Regina Albira conditum, et illustrium Northmannae familiae Principum sarcophagis insigne, duo Palatini Canonici assiduo cultu celebrabant; et quidem ex Rogerii Regis ordinatione, ut ubi Parentum ipsius ossa recondebantur, essent, qui eorum animas precibus, et sacrificiis adjuvarent (*Dip. XIV.*). Id Sacellum anno 1189 Gualterius pan. Pontifex magnificentius Templum a fundamentis erecturus annuente Guillelmo II. solo aequavit, et aliam, quae adhuc perstat, in regione dicta de Algas D. M. Magdalenae aedem extruxit, ut ex citato diplomate manifestum est.

Digitized by Google

Haec recentior Ecclesia regiis non fuit exornata mausoleis, utpote quae in novum Cathedrale Templum praefati Regis jussu, privilegioque transmigrarunt. Sed quoniam veteris in locum succedebat, Palatinae Capellae cum suo beneficio membrum evasit (*Dipl. XXXIV.*). Hinc S. M. Magdalenae beneficium Rex Martinus in sacri Palatii jurisdictione institutum dixit (*Dipl. LXXXV.*), et Prorex Raimundus de Perillos inter beneficia Regiae Capellae adnexa recensuit (*Dipl. CXXI.*). Praetereaque omnes Regii Visitatores Ecclesiam S. M. Magdalenae Palatino Sacello suffraganeam, et regio patronatus juri obnoxiam contestati sunt.

Anno 1382 dicta Ecclesia consentiente sub certis conditionibus ejus Beneficiario, Laicorum Sodalitatem excepit; et anno 1607 Coenobium illi accessit fratrum S. Francisci de Observantia, uti narrat Invegius. At sodalitas adhuc ibi viget, Coenobium non item: quod enim militaris statio munitionibus ciogenda esset, Invegio teste quadraginta post annos dissolutum est, transeuntibus Fratribus ad Ecclesiam SS. Cosmae, ac Damiani, quam huc usque retinent. Jamvero S. M. Magdalenae beneficio fraudi fuerunt pacta conventa inter Beneficiarium, et Sodales anno ut diximus 1382. Nempe ab eo tempore vix tareni septem, et sesqui annuum Beneficiarii censum constituunt.

De Ecclesia S. Pauli de Algas.

Vetustissimum templum D. Paulo Gentium Apostolo sacrum prope Palatium adsurgebat, in ea Regione, quam de Algas vulgus appellat. Templum hoc referente Fazello, probatae noxae homines Bernardo Caprera Motycae Comiti adhaerentes per summum facinus dejecerunt. Sed ex lapidibus Palatii Manciplorum ejusdem Comitis, Artificum poliendis ensibus operam dantium sodalitas aedem refecit, uti Senatus consultum anni 1433 demonstrat.

Hujusmodi Ecclesiam, quae nupera excepta fronte, antiquam adhuc formam retinet, Palatinae Capellae suffraganeis non immerito Pirrus accenset. Enimvero a Rege Alphonso Regia Ecclesia dicta est in diplomate, cujus fragmentum in autographo opere de pan. Ecclesiis existente inter Codices publicae Bibliothecae h. U. recitat Mongitorius. Porro ipsius Ecclesiae beneficium passim in sacri Palatii jurisdictione dicitur institutum (*Dipl. LXXXV. et CXXI.*) Praeterea Franciscus de Puteo dictam Ecclesiam regia cum potestate invisit anno 1583 simul et sodalibus praescripsit, ut ne illius usum sibi a Regia Majestate confirmari negligerent. Et regius quoque Visitator Angelus de Ciocchis anno 1741 Ecclesiam S. Pauli de Algas Palatinae suffraganeam declaravit, eique Palatinum Canonicum tunc ab eo designatum, et postea a Capitulo designandum imminere statuit. Jamdudum vero extinctum est S. Pauli beneficium, et qui Ecclesiae deservit, merus est Sodalitii Capellanus cum stipendio, quod ab eo recipit.

De Ecclesia S. Jacobi de Mazzara.

De fundatione hujus Ecclesiae sic habet Petrus Cannizzaro de pan. Relig. *Autumant nonnulli, Ecclesiam S. Jacobi de Mazzara Saracaenorum, sive Graecorum tempore fuisse constructam: fundantur, quia turris Campanaria per totum . . . characteribus arabicis in petra incisis est inscripta . . . at a Northmannis fuisse constructam, constat; quia haec Ecclesia semper fuit juris regii: verba autem arabica fuere incisa, quia eo tempore Saracaena lingua erat in Sicilia in usu.* Jam siquis adpellationis de Mazzara causam in-

Digitized by Google

quirat, auctore utar Fazello: *Erat, inquit, eo loci ad fluvii Papyreti dexteram Saracaenorum tempore Trapetum, ubi et Cannae mellitae frustatim conjectae, et oleae fluvii cursu molebantur, Mahassar Saracaenice dictum, ut in Northmannorum Regum privilegiis legitur. Super cujus postmodum rupem a Northmannis Regibus aedes D. Jacobo dicta est, et a Mahassar appellata, quae corrupte hodie a Mazzara, correpta media a Panormitanis Civibus appellatur* (*Decad. I. lib. VIII.*).

Hanc S. Jacobi Ecclesiam cum regio suo beneficio inter Palatinae Capellae suffraganeas referunt antiqua monumenta (*Dipl. XXXIV. et CV.*) Eo donatus beneficio Palatinus Canonicus Leonardus Vitale anno 1377 ut in tabulis Notarii Henrici de Cortese legere est, cum onere trium augustalium aureorum in omnes annos Beneficiario solvendorum, Ecclesiae usum dedit laicorum Sodalitio, qui, quod ultro incussis verberibus sese affligtabant, Disciplinantes audiebant. Postea Rex Alphonsus, Sodalibus haudquaquam abire jussis, Templum cum facultate finitimas hinc inde aedes extruendi concessit Presb. Henrico de Simone pro instituendo sub titulo Principis Apostolorum Sacerdotum Collegio, qui evangelicis ibi ministeriis incumberent. Cujus regiae concessionis diploma datum anno 1433 eodemque anno publicatum fuisse Collegium Teste Mongitorio auctor est Manganantius. Cum autem anno 1436 inter sacri Palatii Canonicum Michaelem de Cancellario S. Jacobi Beneficiarium, et Sodales nonnullae quaestiones existerent, placuit eidem Regi, ut beneficium statim a sua vacatione Collegio in perpetuum adscriberetur (*Dipl. CV.*). Quare obitu illius, beneficium a palatinae Capellae jure protinus avulsum, cessit Collegio.

Efflornit inde Collegium, quod anno 1486 accessit ad Ordinem Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, uti Philippus Thomasinus in ejusdem Ordinis annalibus habet. Eo tamen loci Sodalitium, et Collegium consedere ad annum usque 1650. Nam teste Invegio, quod Militum statio novis esset operibus instruenda, Sodalitium ad Ecclesiam SS. Philippi, et Jacobi prope portam Hiccarensem transiit; Collegium vero in Ecclesiam S. Mariae majoris, prope Monasterium Montis Virginis, Quo stetit ad annum usque 1668, quo Canonicorum S. Georgii Ordinem Clemens X. edita bulla suppressit. Celeberrimum porro Templum S. Jacobi statim ab amoto Collegio profanas in aedes conversum est.

De Ecclesia SS. Trinitatis de Coperto.

Fuit olim Palatinae Capellae suffraganeis accensita Ecclesia SS. Trinitatis de Coperto adpellata (*Dipl. XXXIV.*). Quaenam vero fuerit, penitus in obscuro est.

De Ecclesia SS. Trinitatis de Zisa.

Sacro Palatio quoque obaudiebat altera SS. Trinitatis Ecclesia, quae de Zisa dicebatur (*Dipl. XXXIV.*). Ea creditur extitisse, ait Pirrus vel in pervetusto saracaenico Palatio, quod a moenibus Panormi ad p. 500 abest, a Zisa nuncupatum; vel ubi extat Ecclesia, et Coenobium Fratrum tertii Ordinis D. Francisci sub titulo Annunciationis B. M. Virginis de Zisa. Sed vero similius est, Palatio adnexam fuisse, quippe cum Coenobium illud aedes occupaverit, quas Nicolaum Spatafora fratribus concessisse, Mongitorius in suis M. S. publico ex instrumento colligit:

Digitized by Google

De Ecclesia SS. Philippi, et Jacobi.

Hujusmodi Ecclesia palatinae Capellae suffraganeis accensebatur (*Dipl. XXXIV.*), De ea Pirrus: *Dubitatur an sit illa, quae hodie est domus professa Societatis Jesu, sub eodem titulo in Urbe Panormi*. At in suo Capibrevio Lucas Barberius Ecclesiam fuisse scribit SS. Philippi, et Jacobi de Favara non procul a Regione, quae Mare dulce appellatur, extra moenia Urbis. Equidem eo loci fons est ingens a Favara S. Philippi dictus, ubi Rex Rogerius insignes aedes astruxit, quibus hortos adjecit omnis generis arborum consitionibus, aquisque perenniter irrigantibus amoenissimos. Vide Fazellum Dec. I. lib. VIII. Itaque admodum probabile est, ibi Rogerium SS. Apostolis Philippo, et Jacobo aedem dicasse, et hinc factum, ut locus ille una cum fonte, Favara S. Philippi adhuc nominetur.

De Ecclesia S. Nicolai de Castro ad mare.

Spectavit olim ad palatinae Capellae jura Ecclesia S. Nicolai de Castro ad mare (*Dip. XXXIV*). At mutato rerum statu, nullum hodie cum ea nexum habet, estque parochialis illius Oppidi Ecclesia, cujus Parochus ex institutione Mazariensis Episcopi Sacramenta Popularibus exhibet.

De Ecclesia S. Georgii.

Rex Rogerius Ecclesiam S. Georgii Palatino Sacello in coemeterium addixit his verbis: *Nomine dotis in praesenti damus ei Ecclesiam S. Georgii novum, hoc tenore, ut nulli liceat Personae aliquid de bonis ejusdem Ecclesiae subtrahere, vel auferre* (*Dipl. VII.*). Quae fuerit haec S. Georgii Ecclesia, Fridericus II. Aragonensis in privilegio, quod in Not. S. M. de Alto fonte ad ann. 1307 exscribit Pirrus, explicat his verbis: *Ecclesia S. Georgii de Kemonia ad collationem nostram jure spectans, sita in dicta Civitate Panormi, in Quarterio Albergariae prope Monasterium S. Joannis Heremitarum de Panormo.*

Additis vero temporibus eadem Ecclesia a sacri Palatii jure separata Monachis primum cessit Graecis, inde Cisterciensibus. Quod plane constat ex laudato diplomate, ubi Fridericus II. assignatis inter alia Monasterio S. M. de Alto fonte: *Casali Abdelali, et vineis, viridariis, seu Jardinis, domibus, censualibus, et omnibus aliis juribus ad eamdem Ecclesiam S. Georgii de Kemonia spectantibus*, haec subdit: *Quam unimus ex tunc dicto Monasterio de Alto fonte: et ad hoc, quod eadem Ecclesia S. Georgii, quae Monasterium esse consuevit Monachorum Graecorum, et nihil spiritualiter, ac temporaliter proficit, immo collabitur quasi in totum, per Abbatem, et Conventum S. M. de alto fonte, cum ad Civitatem Panormi eos descendere oportebit, quemadmodum vidimus, ibi celebrare ad honorem Dei, et S. Georgii de caetero serviant.* Ergo Ecclesia S. Georgii, quam Palatinae pro coemeterio assignarat Rogerius, primum Graecorum Monachorum propria evasit, et postea Friderici II. privilegio in Monasterii S. M. Alti fontis jura migravit.

Sed tamen praefata Ecclesia circa elapsi Saeculi medietatem cum Regis assensu ad Olivetanae Congregationis Monachos pervenit. Qui pactis conventis cum laicorum sodalitate, quae ab anno 1432 quod Cannizzarus refert, ibi substiterat, vetere disjecto, novum S. Georgii Templum, ac Coenobium a fundamentis magnifice erexerunt.

Digitized by Google

De Ecclesia S. Mariae de Itria.

Vetustissimam Ecclesiam S. M. de Itria inter Palatinae Capellae suffraganeas numeratam legimus (*D. XXXIV.*). Teste Jacobo Arnedo, qui eam anno 1552 regia cum potestate lustravit, angustior erat, quam ut frequentissimum Populum eo confluentem excipere posset. Hinc fidelium eleemosynis nova condi coepit Ecclesia, quae Deiparae cultum promovente Viceregina Felice Columna ante annum 1590 absoluta fuit auctore Valerio Rosso, qui eodem anno pani Urbis Ecclesias singulari libello descripsit. Stetit vero haec recens Ecclesia ad annum usque 1620. Cum enim Civium commodo portam juxta meridionale Palatii latus aperiri necesse esset; potestas a Prorege Comite de Castro facta est illius Beneficiario Canonico Gaspari Bruno de Ecclesia S. M. de Itria, quae sternendae portae consilium interturbabat, demolienda, et alia sub eodem nomine aedificanda cum Senatu paciscendi. Quare pactis initis, et in publicas Not. Nuntii Panitteri sub die 4 Junii relatis, Ecclesiam, quae nunc extat, S. M. de Itria, vetustiore prostrate, Senatus extruxit, et uncias 20 compensationis causa Beneficiario in perpetuum assignavit.

Ad eam Ecclesiam anno 1648 migravit Laicorum sodalitas, quae a S. Maria de Pinta nuncupatur. Nam dejecto ad Palatium muniendum Templo S. M. de Pinta, ejusdem Sodales Ecclesiae S. M. de Itria usum obtinuerunt cum onere un. 9 singulis annis Beneficiario solvendi pro aedibus ad ipsius Ecclesiae beneficium pertinentibus. Id constat ex tabulis Not. Josephi Oliveri sub die 23 Octobris, ac Tribunalis Regiae Monarchiae decreto sub die 26 ejusdem mensis, quod sic habet: *Concedatur, prout conceditur dictis Rectoribus* (S. M. de Pinta) *usus Ecclesiae S. M. de Itria de regio patronatu cum stantiis in ea adnexis. . . Pro quibus stantiis dicti Rectores teneantur solvere un. 9 annuales juxta formam contractus etc.*

Jamvero ab eadem Ecclesia Sodalium S. M. de Pinta usibus addicta, factum est, ut desueto Itriae nomine, a Pinta frequentius appelletur. Quod probe adnotans Regius Visitator Angelus de Ciocchis anno 1741 consulto edixit: *Ecclesiam, vulgo dictam della Pinta, pertinuisse, ac pertinere ad regium beneficium S. M. de Itria, ac iu ea dictos Confratres non habere nisi merum usum pro suis exercitiis, pro ut legitur in decreto Tribunalis Regiae Monarchiae anno 1648.* Praetereaque Ecclesiam ipsam cum regio beneficio Palatini Sacelli suffraganeam declaravit. Per idem tempus contendebatur de unciis 9 quas Beneficiario Rectores S. M. de Pinta captiosis rationibus detrectabant. Hanc litem praedictus regius Visitator in medio reliquit, sed Magistratus, qui regio praeerat aerario anno 1768 et rursus anno 1785 rejectis contrariis exceptionibus, illas Beneficiario adjudicavit. Qui proinde consequitur a Senatu quolibet anno un. 20 et a Sodalibus un. 9.

De Ecclesia S. Bartholomaei de Chasena.

Ecclesia S. Bartholomaei de Chasena inter Palatinae Capellae suffraganeas olim censebatur (*Dipl. XXXIV.*). Pirrus eam vocat Ecclesiam S. Bartholomaei de Seiperias, additque de ea nihil certum esse.

De Ecclesia S. M. de Cambiis.

Ecclesiam S. M. de Cambiis Lucas Barberius, et Pirrus Palatinae Ca-

Digitized by Google

pellae suffraganeis accensent. Quae tamen fuerit, omnino latet.

De Ecclesia S. Andreae de Gandala.

Ecclesiae S. M. de Itria finitima erat vetusta Ecclesia D. Andreae dicata, uti post Fazellum Dec. I. lib. VIII. Pirrus, et Invegius narrant, quam Petrus pan. Archiepiscopus anno 1132 palatino Sacello attribuit (*Dipl. VI.*). Nullum hodie istius Ecclesiae perstat vestigium: nam Palatii muniendi causa solo aequata fuit, quod Fazellus citato loco testatur.

De Ecclesia S. Michaelis de Parco.

Ecclesia S. Michaelis de Parco Palatinae Capellae olim addita fuit (*Dipl. XXXIV.*). A Parco haec dicta est Ecclesia, qui a Panormo VII. mill. pass. in occasum dissitus in deliciis fuit Regum Siciliae, qui ad animi relaxationem illuc venationi indulgebant. Qua de causa Parcus dictus: hoc est, *locus ad ferarum custodiam palis, cratibus, muris, aut fossis circumseptus*, ut habet Cangius in gloss. Voc. Parcus. Parcum hunc alium a vetere, qui pan. Palatio adhaerebat, et Rogerium Regem auctorem habuit, a Guillelmo II. conditum fuisse tradit Fazellus, et historiae monumentis apprime consonat.

Ergo Guillelmus ut se ex deliciis ad pietatis officia revocaret, Caelestis Aulae Principi aedem ibi dicavit, inque sacri sui Palatii jure constituit. Sed cum Fridericus II. Aragonius Cisterciensis Ordinis Coenobium eo loci condidisset, Parcum cum Ecclesia S. Michaelis Monachis assignavit, quemadmodum ex regio diplomate dato Messanae anno 1307 constat. Haec S. Michaelis Ecclesia veterem servans formam usque adhuc perstat, vigetque in ea Laicorum Sodalitium.

De Ecclesia S. Michaelis de Indulciis.

Ecclesiam Divo Michaeli Archangelo juxta pontem eximium, quo Orethus amnis trajicitur, Georgium Antiochenum Rogerii Comitis Admiratum una cum ponte, qui adhuc Admirati nomen servat, aedificasse, ducta per manus fama testatur. Quae praedicat etiam, Templo extruendo causam praebuisse S. Archangeli apparitionem, et victoriae praedictionem eo loci Rogerio factam dum Panormum obsidione cingeret. Utcumque res sit, haec coelestis Aulae Principi dicata Ecclesia, non secus atque ea, quae ab eodem condita est Georgio, et etiamnum D. Mariae de Admirato dici solet, fortasse quia nullo superstite haerede Antiochena familia extincta sit, regia evasit, et Capellae S. Petri suffraganeis accensita fuit (*XXXIV.*).

Sed lapsu temporis a regio jure decessit, ejusque Patronatus ad familiam Caggio pervenit. Quae anno 1513 aedem S. Michaelis et sua vetustate, et violenta fluminis ex alveo erumpentis inundatione semirutam cessit Rectoribus S. Michaelis intra Urbem existentis, ea conditione, ut eam proprio sumptu reficerent, quod publicis tabulis Not. Joannis de Catania sub die 9 Martii ejusdem anni liquet. Cum autem tempore addito a fundamentis revocari oportuisset; in parvum mutata est Sacellum, quod adhuc in Admirati ponte subsistit.

APPENDIX ALTERA

De Tertiariis palat. Capellae olim addictis.

Sequitur appendix altera, in qua de Tertiariis palatinae S. Petri Capellae olim adnexis, nos acturos esse pollicebamur. Ut ergo fidem nostram liberemus, disputationem omnem in certa quaedam capita dispescentes, illarum nomen, naturam, originem, et variam fortunam, sed ne plusquam necesse sit in rebus antiquis, et jamdiu obsoletis immoremur, paucis explicabimus.

De nomine Tertiariarum.

Atque nomen quod spectat, Tertiariae a tertia parte decimarum veterum jurium dictae fuerunt, quae a plurimis Civitatibus, Terrisque Siciliae, Regiae Curiae obveniebant. Quippe talium decimarum tertia pars, palatinae Capellae Cantori, Canonicis et Clericis, nec non suffraganeis Ecclesiis ab ipsa olim regia Curia pendi consuevit. Id quidem ex libro pandectarum Regiae Duanae, et aliis ex monumentis perspicuum est, sed quare vetera jura Regiae Curiae in censum veniunt, quandoquidem de Tertiariis verba faciunt, expositione indiget.

Adnotandum est igitur, Fridericum Imperatorem, et Siciliae Regem jura, et vectigalia Northmannorm Principum insigniter exaggerasse, nec tamen eorum pietatem, religionemque ad imitandum sibi proposuisse. Providit enim Constit. lib. I. Tit. VIII. ne decimarum nomine plus daretur Episcopis, quam Guillelmi II. tempore a regia Curia percepissent. *Officialibus nostris universis, et singulis, praesentis legis auctoritate mandamus, decimas integre, pro ut Regis Guillelmi tempore Consobrini, et Praedecessoris nostri, ab Antecessoribus Officialibus, et Bajulis exsolutae fuerunt, locorum Praelatis exsolvere absque omni difficultate procurent*. Ad quae verba sic Andreas Isernia: *De illis vectigalibus* recens imperatis *non vult Ecclesia decimas, tamquam de male ablatis, quae imposita fuerunt per illum contra Deum, et justitiam, per quod videtur ille Fridericus quiescere in pice, et non in pace*. Novis itaque indictionibus, et oneribus, quae Friderici tempore supra mensuram a Northmannis Regibus constitutam Regno imposita fuerunt, Regiae Curiae jura fortasse duplo, vel triplo, eoque amplius aucta sunt; sed non ideo decimae solvendae Ecclesiis, ac proinde Tertiariae Palatino templo assignatae creverunt. Quin data opera regia jura in vetera, et nova distingui coepta sunt, ne Ecclesiarum decimae, et ipsius regiae Capellae Tertiariae nisi de veteribus regiae Curiae juribus intelligerentur.

De natura Tertiariarum.

Tertiariae a Civitatibus, vel Terris, unde manabant, inter se distinctae, totidem veri nominis beneficia Palatinae S. Petri Capellae olim addicta constituebant. Namque in antiquis monumentis beneficia expresse vocantur, sacrum ipsis in eadem Capella tribuitur officium, et possessore solutae ibidem vacare dicuntur (*Dipl. XIX. et XLX.*). Caeterum etsi Tertiariae palatino Sacello decretae fuerint (*Dipl. XXXIV.*); Clericis etiam ibi nec adscriptis, nec sacro alicui ministerio vacaturis pro Regum arbitrio conferebantur (*Dipl. LXII.*.

Porro talium beneficiorum primaria institutio, ab ea controversia, ut equidem sentio, repetenda est, quae tempore Rogerii Comitis inter sic dictos Terrarios, hoc est Terrarum Possessores, et Locorum Episcopos de decimis efferbuit. Nempe Terrarii decimas renuebant Episcopis, quod nihil ad rurales Ecclesias impendii, laborisve conferrent. Id vero gravate ferebant Episcopi, haud nescii Canonum, quibus cautum, ne laici decimas sibi usurparent, sed Ecclesiarum Praelatis sponte exhiberent. Hanc litem, ne ultra procederet, exemplo potius quam auctoritate sua dirimendam censuit Rogerius. Et hinc vectigalium suorum decimas concessit Episcopis, ut ex mente Canonum Episcopatus onera substinerent. Deinde omnium terrae fructuum decimas Praelatis Ecclesiarum pariter solvendas edixit; sed ut aequis conditionibus res utrinque consisteret, voluit, Praelatos tertias decimarum partes relaxare Terrariis, ad Capellas suas, earumque Ministros congrua ratione sustentandos (*Dipl. IV.*). Haec summa est pacificationis illius, quam postea Rex Rogerius ratam et firmam fore decrevit. Enimvero Agrigentinae Dioecesis Terrarios Episcopo suo decimas suppeditare jussit, secluso triente, qui paterna lege illorum Ecclesiis perpetui census loco cesserat (*Dipl. VIII.*).

Quando autem Terrariorum Ecclesiae de fundis ad eos pertinentibus tertiae decimarum partes adscitae fuerant; quid magis aequum esse poterat, quam ut regia Capella de decimis, quas regia Curia pendebat Episcopis, tantundem quoque reciperet? Id profecto animadvertens dictus Rogerius minime passus est, Capellam suam regiam eo, quod omnibus Terrariorum Ecclesiis commune erat, jure destitui. Non autem jubendo, sed potius obsecrando, regiarum decimarum Tertiaria quibus Palatinam Ecclesiam augeri volebat, ab Episcopis magna voluntate annuentibus impetravit.

Sane praedicto Regi ea de re vota sua expromenti morem gerens anno 1145 Catanensis Electus cum Canonicorum assensu tertiam partem decimarum Castrijoannis, et Aydonis Palatinae Capellae Canonicis attribuit publico instrumento, quod Successoribus Episcopis donationis vel oppugnandae, vel in dubium revocandae ansam praeriperet (*Dipl. X.*). Praeterea regiae voluntati pariter obsecutos fuisse reliquos Episcopos, hinc manifestum esse debet, quod Regnante Carolo Andegavensi quinque et quinquaginta ex omni Siciliae numerarentur Civitates atque Oppida, unde decumani Trientes palatinae S. Petri Capellae obveniebant (*Dipl. XXXIV.*). Vides igitur, ut Rex Rogerius nihil antiquius, et praestantius habuerit, quam ut sacri sui Palatii Capellam supra caeteras Regni Ecclesias extolleret, ac magnifaceret.

De interitu Tertiariarum.

Palatinae Capellae exitiosum accidit diuturnum illud bellum, quod inter Carolum Andegavensem, ejusque Filium Robertum, et Fridericum II. Aragonium Siciliae Regem flagravit. Nam Fridericus ad ferendos belli sumptus, Regni Secretis universe imperavit, ut omnem pecuniam, quam ex vectigalibus colligerent, in regium Thesaurum inferrent, nihil cuique pensitando, qualecumque vel nomen, vel regium mandatum ostenderent (*Dipl. XXXV*). Ità omnes ferme Regiae Capellae census pendi desierunt, et ipsi praesertim decimarum trientes, qui ab regiorum Vectigalium redditibus emanabant.

Sed pacem teste Nicolao Speciale in hist. Sic. C. x. apud Castrumnovum initam Bonifacius P. M. ea lege probavit, ut Siculis Ecclesiis, bona omnia,

Digitized by Google

quae ante pulsos Gallos possidebant, redderentur. Hinc Fridericus ad fidem suam liberandam Ecclesias omnes in pristinum restituit, et ipsam cumprimis Regiam Capellam, cujus prisca jura, et privilegia rata esse jussit (*Dipl. XXXV.*). Quare sacrae Capellae intermortua Tertiaria revixerunt, ut ex regiis provisionibus inde consecutis apparet (*Dipl. XLV. et LXII.*).

Inde inter Claromontanae Factionis tumultus depraedationes, incendia, ultimam passa est Palatina Ecclesia labem, atque perniciem. Regno composito Rex Martinus ad resarcienda Capellae suae damna animum adjecit (*Dipl. LXXVI.*), sed Tertiariarum proventus ita partiri voluit, ut una medietas regiis Capellanis cederet, altera in Eleemosynas expenderetur (*Dipl. LXXI.*). Tandem involutis perturbatisque superiorum temporum institutis, eo ventum est, ut pristina Regiae Capellae Tertiaria prorsus obsoleverint, et ipsa Capella omnibus eversa bonis, nova dote indiguerit, uti suo loco diximus.

§. V.

De Capella Regii Palatii Messanae.

Vetustiori regio Palatio Urbis Messanae congruo instructum beneficio Sacellum haerebat ab Urbano II. Summo Pontifice, si Bonfilio credimus, anno 1088 dedicatum: ubi anno 1305 die undecima Junii Arnaldus Monregalensis Antistes Michaeli Abbati S. Mariae de Altofonte sollemnem benedictionem est impertitus, ut ex privilegio, quod exscribit Lellus apparet. Id Sacellum referente in App. ad Ann. Mess. Dom. Gallo, Fridericus Aragonius anno 1309 amplificandi Palatii causa everti, et novum condi fecit, sub nomine S. Jo. Baptistae, quod Regia diplomata (*Dipl. XLVI.*), et alia monumenta commemorant.

Postmodum Garsias de Toledo Prorex antiquo illo diruto Palatio, novum anno fere 1563 moliendum curavit, et quidem tanta magnificentia, ut quamvis illius Successores usque ad Philibertum Subaudiae Principem strenue opus prosecuti fuerint, nihilominus minime absolutum perfectumque reliquerint. In hoc recentiori Palatio aedes condita est, nec D. Petro, ut ex errore putat Samperius, nec D. Jo. Baptistae, sed Apostolo, et Evangelistae dicata, cui vetus regiae collationis beneficium adnexum remansit. Sed sacra haec aedes cum insigni Palatio corruit anno 1783 ex iteratis terrae concussionibus, quae nobilissimam Urbem, proximasque Calabrias ingenti clade affecerunt. Hinc Rector S. Joannis Palatii Messanensis in casulam, quae Ecclesiae figuram exprimeret, subito extructam, et ornatam transmigravit. Cum autem ibi functiones suas commode exercere non posset; Ecclesiae S. Luciae de Graecia intercedente publica auctoritate, usum obtinuit, usque donec Palatium, et regia Capella instaurentur.

Census est illi annuus beneficii nomine un·7 36 exigitque pro benedictione cum Sacramento quotidie fidelibus impertienda un·7 24 praeter fixam pecuniae summam, quam sacros in usus debet expendere.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Regiis Capellis Civitatum Calaxibettae, S. Luciae ac de Plano Milatii.

Ecclesiae Civitatum Calaxibettae, ac S. Luciae de Plano Milatii, nullis licet ad praesens haereant regiis domibus, ac Palatiis, inter illustriores regias Capellas numerantur, Nempe variant, prout Regibus libet, situs, et loca regia, sed in suo statu, et conditione permanentibus Ecclesiis ibi aedificatis, praesertim si congruo ac perpetuo censu donatae fuerint, et in viciniae commodum institutae. Hinc patet, quare cum nec Calaxibetta sit nunc sedes regia, uti tempore Petri II, qui Oppidum illud frequentare solitus fuit, nec S. Lucia sit hodie ut olim sub Friderico Imperatore, ac Rege Siciliae, regiis addicta deliciis; nihilotamen secius earum Civitatum Ecclesiae hactenus regiae Capellae nomen, et jura servent. De his igitur Ecclesiis utpote regiis Capellis agendum erit.

§. I.

De regiis Ecclesiis S. Petri, et SS. Dei Genitricis in Coelum assumptae Civitatis Calaxibettae.

Calaxibetta in Netinae Vallis confinio, et in editi montis jugo insidens ad Austrum leviter inclinata, Rogerio Comiti si minus exordium, at certe incrementum debet, qui Oppidum moenibus, et arce ad Aquilonem firmavit, ibique diu Ennam, quae in opposito sedet monte adgressurus, sese continuit. Iamvero Rogerius intra eamdem Arcem Divo Petro Apostolorum Principi Templum aedificavit, quod Petrus II, qui ibidem aestivare consuevit, et anno 1342 mortales deposuit exuvias, diplomate suo regiam Capellam edixit.

Hujus quidem diplomatis autographum deest, quin etiam nulla prostant exempla. Sed Pirro in Not. Eccl. Cat. et Amico in Lex. topograph. illud memorantibus, subsequentium Regum, et praesertim Friderici III. ac Martini luculenta testimonia fidem adimi posse non sinunt. Uterque enim beneficium S. Petri Calaxibettae ad regiam Capellam pertinere, ac regiae collationis esse contestati sunt (*Dipl. LII. et LXXVIII.*).

Ad S. Petri Ecclesiam hodie ruinis affectam ac destitutam accessit ea, quae sub titulo B. M. Virginis in Coelum assumptae in Civitate Calaxibettae colitur. Hujus quidem auctor incertus est. Constat vero S. Petri Ecclesiae quoad stetit, parem dignitate fuisse, et cum ea singulo quoque anno vices alternasse. Utraque enim regiae Capellae honore fulgebat; utraque majoris Ecclesiae praerogativam explicabat; utramque regius Canonicus, ac caeteri regii Capellani frequentabant, et sacris ministeriis excolebant. Praeterea nec sui magnitudine Deiparae templum Ecclesiae D. Petri erat secundum. Et certe amplum est, ac duplici Columnarum ordine subnititur. Decem praeter maximam aram numerat minora Sacella. Praefert Chorum, Organa, sacrum baptisterium, et porphyreticas conchas, e templo S. Petri eo asportatas, quae lustralem aquam exhibent. Habet sibi adnexam campanariam turrim, titulumque et arma prae foribus ostentat.

§. II.

De regio Canonico, et Collegio Ecclesiae Calax.

A sui primordio Ecclesia S. Petri Oppidi Calaxibettae, Rectorem excepit, quem Petrus II. regium Canonicum dici, et Canonicorum sacri pan. Palatii Collegio, adscribi voluit. Cum autem aucto ibi Populo una Ecclesia jam satis esse non posset, aliae deinceps extructae fuerunt, quarum illa ceu omnium Parens, Rectori suo unici, et universalis Parochi praerogativam conciliavit. Qua de causa jure ac merito regio Canonicatu privatus est Thomas Caropipi Paternionis Archipresbyter, ut qui duo simul curata ut ajunt, beneficia, quae assiduitatem aeque poscebant, obtinere prohiberetur (*Dipl. LII. et LVII.*).

Adfuere tamen a priscis temporibus Regio Canonico Sacerdotes alii sacri ministerii adjutores numero XI. Ex his Clericalis coetus coalnit sub nomine *Communiae*, quam Catanensis Episcopus Vincentius Cutelli tamquam Apostolicae Sedis Delegatus Ecclesiam Calax. visitans, firmam et ratam esse decrevit. Illius deinde Successores Antistites, praefatam Ecclesiam ordinario suo juri vindicantes, Regium Canonicum sic dejecerunt, ut ei cum reliquis Presbyteris Canonicorum titulo, et nigri coloris almutio pariter insignitis parocialia officia, et jura indivisa fecerint. Namque in actis Visitationis ejusdem Ecclesiae, habitae a Fabricio Mandosio Cat. dioecesis Vicario anno 1588 haec legi = *Dictae Ecclesiae cura spectat ad Communiam, quae constat in duodecim Canonicis per Rev. Episcopum Catanensem creatis, ac duobus Cappellanis, quos eligunt iidem Canonici* = Eademque repetunt Cat. Episcopi, vel eorum Vicarii, qui ejusmodi Ecclesiam tamquam Ordinarii subinde inviserunt. Quare mirari haud subit, nec regios Visitatores Jacobum Arnedo, et Petrum de Manriquez utpote recanti Ecclesiae statu deceptos Regium Canonicum ab ea, qua affectus erat injuria vindicasse (*Dipl. CLII. et CLIV.*).

At regius et ipse Visitator Angelus de Ciocchis, ut qui Ecclesiarum monumenta, et privilegia diligentius evolvebat, uni regio Canonico totius Civitatis Calaxibettae paroecialem curam asseruit, decrevitque, ne reliqui illius Ecclesiae Presbyteri, quod meri essent regii Canonici adjutores, sese Parochos, vel etiam Canonicos appellare prosequerentur (*Dipl. CCX.*). Quae Carolus III. olim Rex noster praevio maturo examine, et consilio approbavit, firmaque, et rata fore jussit (*Dipl. CCXIV.*).

Nunc temporis eo loco est Ecclesia, et regia Capella Calaxibettae, ut ejus decori, atque dignitati nihil deesse videatur. Habet quippe Canonicorum Collegium, quod anno 1783 Rege permittente Ill. Heracl. Archiepiscopus, et Capellanus major Alphonsus Airoldi ordinaria potestate usus instituit. Habet quoque ab anno 1787 Presbyteros alios Mansionarios dictos ab eodem Capellano majore cum Regis assensione constitutos. Atque Collegium ex regio Canonico et aliis XII. constat Canonicis Rocheto, et violacei, nigrique coloris mozzetta insignitis. Regius vero Canonicus est unica Collegii dignitas; ex inferioribus Canonicis duo supra caeteros eminent, quorum alter Poenitentiarii, alter cum onere casus morales explicandi, Theologi munus exercet. Mansionarii VIII. in primaria institutione, sed ab anno 1793 XII. rocheto, itemque violaceo, et nigro almutio condecorantur. Omnes autem Canonici et Mansionarii dictam Ecclesiam assiduo cultu celebrant, et Cathedralium more illustrant. Sed Canonici tantum si a Capellano majore approbati fuerint, verbum Dei, et Sacramenta Popularibus impertiunt. Man-

sionarii morientibus adsunt, et exsequialia explent officia.

Non solum autem in paroeciali Templo S. Mariae, verum etiam in Ecclesia S. Antonii, quae illius Filialis est, Sacramenta fidelibus administrantur. Hanc regii Patronatus juris Ecclesiam antea frequentabant quoque festo die bini primarii Canonici, totidemque Secundarii. Sed ab anno 1802 eidem adscripti sunt Capellani duo, ne in diebus speciatim Deo consecrandis, majoris, et principalis Ecclesiae cultus deficeret.

§. III.

De censu Ecclesiae Calaxibettae.

Ecclesiam Oppidi Calex. Rogerius idoneo censu donavit, quem Petrus II. amplissimis praediis, Civiumque auxit primitiis. His et alia ex privatorum hominum largitionibus bona supervenerunt, quae quoniam ad regii Patronatus Ecclesiam accedebant, regia pariter non absonum fuit existimari. Sicut enim aedificatio in alieno fundo Aedificanti; ita donatio alienae Ecclesiae facta Donanti nullum jus tribuit. Et hinc factum, ut bona omnia dictae Ecclesiae, undecumque provenerint, per Procuratorem regii Senatus, qui Regis aerario praeerat, administrarentur.

Jamvero e fundis omnibus Ecclesiae Calax. ad emphyteusim nuper maxima cum utilitate concessis, fere unz. 1700 census redit. Ex quo extra ratos partes, quae ad fabricas, sacras supellectiles, annuasque sollemnitates pertinent, Regius Canonicus, reliqui Canonici, et Mansionarii lautas praebendas, quae non multo post tempore augeri poterunt, adsequuntur. His etiam accedunt primitiae in frumento, hordeo, caseo, et leguminibus consistentes, et ea quidem lege, ut earum regio Canonico una medietas obtingat, altera inter XII. Canonicos aeque partiatur. Pari lege oblationum quae sponte a fidelibus fiunt in administratione Sacramentorum, exsequiisque Defunctorum, distributio instituitur. Annuo quoque stipendio gaudet uterque S. Antonii Capellanus: nec sua mercede vacant, qui aut Matricis, aut filialis Ecclesiae usibus inserviunt.

Petiit equidem anno 1583 a Prorege Andreas Patania regius Canonicus ne praestationibus, quas Optimates Regni negotia gerentes aestimabant, utpote regius Capellanus subjiceretur. At viceregia provisio edita est in hanc sententiam = *Quoad exemptionem regii donativi, stetur taxationi nuper factae* = Subest ergo regius Canonicus publicis oneribus, a quibus nec reliqui exempti sunt, Canonici. Quamquam ne singulorum statutae praebendae minuantur, de eo, quod superest, persolvi soleant.

§. IV.

De Ecclesia Civitatis S. Luciae, ac S. Philippi de Plano Milatii.

Parta inter Tyndaridem, et Mylas contra Saracenos victoria, Comes Rogerius D. Luciae Syracusanae Templum dicavit. Quod primum Troinensis, deinde Messanensis, ac denique Pactensis Episcopi juris fuit, ad quem etiam ex donatione Gaufridi Borrello, qui multa bona nostris obtulit Ecclesiis, Oppidum ipsum S. Luciae pervenit, ut in Not. Lipar. et Pact. Eccl. apud Pirrum legimus.

Anno 1206 vita functo Stephano Pact. Antistite Fridericus Imperator *ex antiqua dignitate*, *quam habet in Ecclesiis vacantibus Regni sui*, Oppidum S. Luciae cum suis juribus Gregorio Mustacio assignavit. De injuria sibi illata queritur Jacobus Stephani Successor, quod se ad Pact. Sedem electo, et confirmato, ea nec vacabat, nec pro vacante haberi poterat. Contra reponebat Mustacius, regiam concessionem irritam esse non debere, quod nondum a Jacobo inita Ecclesiae administratione facta fuisset. Deventum vero est ad transactionis actum, vi cujus Jacobo duo tarenorum millia solvit Mustacius, et Jacobus jure suo decessit.

Aliquot ad annos lis composita perstitit. Cum enim graves apud Imperatorem querimonias ingeminaret Philippus et ipse Jacobi Successor, et pactionem rescindi peteret; ad Magnum Comestabulum delata res fuit, ejusque auctoritate Pact. Ecclesiae per Guillelmum Villani Justitiarium Oppidum cum omnibus suis juribus restitutum est. Sed non diu Pact. Ecclesia in Oppidi possessione remansit. Illud enim decem post menses Imperatori cessit, a quo re cum re compensata, Oppidum Sinagrae ac Nemorum Ficarrae partem accepit (*Dipl. XXVI.*).

Jamvero Imperator eo quia Oppidum S. Luciae pro suis deliciis esse voluit, ex consequenti Ecclesiam ipsam S. Luciae regiam Capellam instituit. Hinc Rex Martinus a subsidiis per Pact. Ecclesiam praestandis S. Luciae Presbyteros, et Clericos declarat exemptos, quod Capellani essent regii, et regiae Capellae subjecti (*Dipl. LXXXVIII.*). Item Rex Alphonsus nihil ab eisdem Presbyteris, et Clericis ratione Legatorum ad pias causas exigi mandat, ob eam causam, quod de jurisdictione essent regiae Capellae (*Dipl. XCVI.*). Et Rex Ferdinandus Ecclesiae S. Luciae antiqua omnia privilegia rata esse jubet, *funduntur enim assidue in dicta regia Capella orationes spirituales*, *et Missarum sollemnia celebrantur pro salute*, *et prosperitate nostra*, *et domus regiae nostrae* (*Dipl. CXXII.*). Mitto reliqua, quae nos alibi opportunius, et proferemus, et commentabimur.

Templum S. Luciae nimia vetustate corruptum, Antonius de Franchis Abbas, et Capellanus major, cujus opinio Sanctitatis adhuc inter Cives viget, a fundamentis magnificentius erexit. Hoc postea perficiendum, ornandumque curavit Praedecessoris sui vestigiis inhaerens Vincentius Firmatura, qui et Abbatiale Palatium in meliorem formam redegit, aulisque laxioribus, et Viridario auxit. Porro Templum columnis XII. subnixum, ac testudinatum est. Praeter Sacellum maximum censet minores aras XII. praebetque Chorum, baptismalem fontem, ac Praelati hoc est Capellani majoris Sedem, qui ab anno 1611 ad 1801 ibi est commoratus. Templo haerent Sacrarium, et Campanaria Turris, nec ab eo dictum Palatium longo distat intervallo.

§. V.

De paroeciali beneficio, *et Collegio S. Luciae*.

Ecclesia S. Luciae sub Jure Pactensis Episcopi Paroecia erat proprio attributa Presbytero, ut apud Pirrum videre est in Not. Pact. Eccl. ad ann. 1199. In regiam inde Capellam abiens, Presbyterum, cui animarum cura inesset habere non destitit. Is a regio beneficio, quod adsequebatur, cum regius Beneficiarius dici consuevisset; anno primum 1458 Abbas est adpellatus ex erronea nomenclatione in assiduum usum deducta ob eam fortasse causam, quod in Hispania, ubi regia diplomata conscribebantur, quibusvis

Digitized by Google

ecclesiasticis praefecturis Abbatiae nomen dari solebat, ut observatum est a Francisco de Pisis Hist. Tolet. lib. II. Quare mutato nomine res ipsa seu beneficium in pristino suo statu, et conditione permansit. Sed anno 1505 Capellani majoris officio jungi simul et connecti accidit. Qui nexus ad annum usque 1801 indissolutus, distincta Parochi et Praelati officia miscuit, et istius amplissimam jurisdictionem intra perangustam S. Luciae dioecesim coegit, uti suo loco probatum ex instituto dabimus.

Aucti Capellani majoris dignitate Abbates S. Luciae, paroeciale munus in omnes ejus Oppidi Presbyteros rejecerunt, qui proinde Sacramenta communiter, et vicissim administrabant, quemadmodum in actis regiae suae Visitationis Franciscus Vento adnotatum reliquit (*Dipl. CXLI.*), Anno 1699 S. Luciae Abbas et Capellanus major Simon Impellizzerius ad augendum Ecclesiae suae splendorem, abolito Presbyterorum coetu, quem vulgo *Communiam* adpellant, ex ordinaria, qua pollebat auctoritate, Canonicorum in ea Collegium instituit, quos inter Archidiaconi, Decani, et Cantores dignitate supra caeteros eminerent. Mansionarios etiam designavit, qui Choro, sacrisque functionibus interessent, et binos Sacramentorum administrationi Capellanos addixit. Porro primarios Canonicos rocheto et violacei coloris almutio, Secundarios, hoc est Mansionarios nigro tantum almutio insignivit (*Dipl. CXCIV.*). Quibus non contentus Canonicorum suorum ornamentis Carolus S. Columba S. Luciae item Abbas et Capellanus major anno 1782 eosdem mitra, et Cappa magna, qua nunc utuntur, illustriorum Cathedralium more decoravit.

Divulso tandem anno 1801 S. Luciae beneficio a Capellani majoris officio, e re videbatur, quinimmo ad multa tollenda incommoda necesse erat, ut Parochus Ecclesiae suae Collegio in perpetuum adscriberetur. Hinc Rege adsentiente Joachim Sanacori, cui nudum et simplex paroeciale beneficium suppresso etiam Abbatiae titulo, collatum fuerat, Heracleensis Archiepiscopus Capellanus major Collegii S. Luciae Praepositum, et primam dignitatem constituit, cum omnibus honoribus, juribus, ac praerogativis, quae ad primarias Collegiorum Ecclesiasticorum dignitates pertinent (*Dipl. CCLIX.*). Paremque dignitatem cum paroeciali beneficio consecutus est Successor illius Jacobus Coccia, qui multa cum laude dictam Ecclesiam nunc temporis administrat (*Dipl. CCLFII.*).

Quo optimorum Sacerdotum sementem faceret, Simon Impellizzerius, ut qui suam Ecclesiam in amoribus habebat, Ephebeum instituit, ubi alumni ad sacra ministeria bonis artibus, et moribus informarentur. Hoc Ephebeum Auctore suo e vivis erepto, statim dilapsum est. Sed Regii Visitatoris Angeli de Ciocchis urgentibus decretis instauratum, viget hodie, et idoneos Ecclesiae S. Luciae comparat Administros.

Haec paroecialis Ecclesia eisdem descripta est finibus atque ipsa dioecesis S. Luciae, quae ad Capellani majoris, uti suo loco asseremus, jurisdictionem spectat. In qua dioecesi praeter Oppidum S. Luciae, jamdiu Civitatis nomine insignitum plures pagi vulgo dicta Casalia continentur. Hinc multas habet Ecclesia S. Luciae tam in Civitate, quam in districtu filiales Ecclesias, quarum in praesenti statu unicus Parochus est ipse Praepositus, ut qui Capellano majori in paroeciali jure succedit. Et sane anno 1748 quo adhuc beneficium sub nomine Abbatiae Capellani majoris, seu Praelati officio cohaerebat, paroecialium omnium Ecclesiarum Urbis, ac dioecesis S. Luciae unicum Parochum esse Praelatum, laudatus regius Visitator conceptis verbis expressit (*Dipl. CCVIII.*). Idque de hodierno Praeposito praecedente

Theologorum Virorum judicio, cui Praesidentium, et Consultoris suffragium accessit, regiis literis anno 1813 confirmatum est (*Dipl. CCLXXIX.*).

Jamvero in Civitate S. Luciae praeter majorem Ecclesiam, binae extant Filiales Ecclesiae, ubi Sacramenta fidelibus exhibentur. Quarum uni sub titulo S. Nicolai, vice Parochi, seu Capellani tres, alteri sub nomine B. M. Virginis de Annunciatione Capellani septem deserviunt. In Oppido Succursus pariter duae sunt Ecclesiae uni commissae vice-Parocho, qui aliorum Sacerdotum operam adhibet. Nec nisi Parochi vices agunt, qui Oppidorum Gualterii, et S. Philippi Ecclesias regunt, tametsi honoris ergo Archipresbyteri titulo condecorentur.

Tandem, ne quid notatu dignum omisisse videar, Presbyetri omnes, et Clerici S. Luciae, utpote regiae Capellae addicti, regiorum Capellanorum in antiquis monumentis titulum gerunt (*Dipl. LXXXVIII.*), et a vectigalibus exempti declarantur (*Dipl. CVI.*).

§. VI.

De censu Ecclesiae S. Luciae.

Accensita Capellis regiis Ecclesia S. Luciae, Beneficiario ipsius decimae cesserunt, quas antea Pactonsis Episcopus consequebatur. Sed ea de re anno 1323 inter Beneficiarium Alphonsum Fridericum, et Commune S. Luciae, acerrima mota est controversia. Petebat ille decimas, et alia jura, quae beneficii nomine ad se pertinere adfirmabat. Contra nihil ei se debere Syndicus, et Jurati reponebant, eo quia Oppidum S. Luciae jamdiu frequentibus hostium incursionibus depopulatum, et destitutum novis sub regiae arcis praesidio Incolis coalesceret, et juris esset regii domanii, eisdemque gauderet exemptionibus, et immunitatibus, quibus Messanenses Cives perfruebantur. Pactis conventis, et regia consensione firmatis statutum est, ut singulis annis Jurati Beneficiario un·7 25 pro omni, et quocumque jure solverent (*Dipl. XXXIX.*). Ex qua summa postmodum Rex Martinus tres uncias detrahi jussit, et Presbyteris assignari, qui Beneficiario adjutricem operam impendebant (*Dipl. XCIII.*). Aequum quippe erat, ut qui paroeciali beneficio in subsidium addicebantur, fructuum illius partem adsequerentur.

Beneficio S. Luciae cum Capellani majoris officio postea compacto, ex decretis regii Visitatoris Francisci de Puteo, Abbati et Capellano majori Hieronymo Reggio in sua Ecclesia perpetuo morandi onus est impositum (*Dipl. CLI.*). Sed quoniam lucra omnia dicti beneficii, et officii ab eodem regio Visitatore descripta ad annuam summam un·7 45 vix conscendebant, petiit ille in Tribunali regiae Monarchiae, ut rescissa transactione anni 1323 sibi decimae, ac caetera emolumenta tribuerentur, prout olim a Pactensi Praesule obtinebantur. Litem Actoris morte interceptam secundus ab eo S. Luciae Abbas, et Capellanus major Simon Rao prosecutus, un·7 600 tandem evicit in R. M. Tribunali anno 1606. Porro ibidem examinatis juribus, contradicentibus Juratis Oppidi S. Luciae sub die 12 Februarii sequentis anni favore Abbatis decisum fuit, *quod scilicet solvantur ei unciae sexcentum annuales in partem decimarum pro congrua substentatione super fructibus Civitatis Territorii, nemine exempto*. Quae sententia iterum firmatur a Tribunali sacrae regiae Conscientiae cum voto Judicis Ecclesiastici, ut moris est, sub die 14 Julii 1611 atque executioni mandatur, excepto quod unciae illae 22 quae prius solvebantur super Balia dicto Abbati, in un·7 600 inclusae fue-

Digitized by Google

rint. Et quamvis Jurati revocationem sententiae hujusmodi, via revisionis coram Judice ecclesiastico, cum voto M. R. C. Criminalis causarum delegatarum peterent; attamen ultra non processerunt (*Dipl. CLXXI.*).

Utrum Parocho an potius Praelato S. Luciae unciae sexcentae deberentur, in ambiguo erat; id enim fortasse ob utriusque officii in una eademque Persona nexum, et cohaerentiam, latae sententiae non satis explicabant. Sed eo nexu jam resoluto, integrum beneficium Parocho S. Luciae assignatum est anno 1803 salvis interim oneribus, quibus beneficium obnoxium erat, et nova pensione un·7 166 inde decerpenda, uti mox dicemus.

Ecclesia vero ipsa S. Luciae consequitur ex variis redditibus uncias fere centum, quae in Dei cultum insumi solent. Exigit pro fabricis, sacrisque supellectilibus uncias LX. quarum unam medietatem confert Beneficiarius, alteram Jurati praestant. Ad Canonicos quod attinet, eadem lucra Simon Impellizzerius eis praebendae nomine assignavit, quae universo Clericorum coetui seu *Communiae* obtingebant. Cujusmodi praebendarum tenuitate permotus regius Visitator Angelus de Ciocchis, regiae Majestati censuit consulendum, ut pro sua munificentia Collegio S. Luciae, quod laudabiliter sine ullo ferme stipendio sacra obit ministeria, congruum aliquod perpetuumque subsidium constitueret. Habent quoque ipsius matricis Ecclesiae ac Filialium Ecclesiarum Capellani suos proventus, sed adeo tenues, ut absque fidelium oblationibus vix ac ne vix quidem substentari possent.

At idonea nunc dote fruitur Clericorum Ephebeum. Siquidem ab ejus Conditore Impellizzerio quasdam terrulas, et annuum redditum obtinet, qui qui ex taxatione super Ecclesiis, locisque piis Civitatis, ac Dioecesis S. Luciae facta colligitur. Praeterea recipit a Communi quotannis un·7 42 et a Praeposito dictam pensionem un·7 166 quae Vicario generali Capellani majoris fuerat assignata. Denique suppressae hospitalis domus, aegrotantium Sacerdotum obsequiis addictae, proventibus augetur.

§. VII.

De Ecclesia S. Philippi de Plano Milatii.

Relata de Saracenis inter Tyndaridem, et Mylas insigni victoria, Comes Rogerius duo simul templa extrui fecit, quorum unum S. Luciae Syracusanae, alterum S. Philippo dedicavit. Hoc vero plurimis ditatum praediis Basiliani Ordinis dedit Coenobitis, ut ex diplomate, quod Regiae Monarchiae liber exhibet, compertum est. Temporis decursu Monachis deficientibus, Ecclesia S. Philippi in regium abiit beneficium, cujus possessor, Canonicus olim dictus, ab anno 1556 Abbas est nuncupatus. Quod autem et regii patronatus esset, et in S. Luciae districtu existeret, anno 1260 cum ipsa Ecclesia S. Luciae, in regiis Capellis computari coepit, et adhuc regiae Capellae nomen, et formam retinet.

Pinguia olim bona S. Philippi beneficio adnexa fuere. Sed iis deinde partim deperditis, partim valde imminutis, in Tribunali regii Patrimonii anno 1614 pro Abbate Andrea la Rosa dictum fuit, *Non faciat spolium, salvis tamen juribus Fisco in Successores*. Sunt hodie hujus Abbatiae census un·7 50 ex qua summa deductis expensis, remanent Abbati un·7 36. Et quamvis Rex Alphonsus Chirographo suo dato Puteolis beneficium S. Philippi a collectis exemptum edixerit; publicis tamen subest oneribus, Vide Pirrum in Not. S. Phil. de Milatio.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Castrorum Ecclesiis.

§. I.

De Castrorum Ecclesiis aliqua in genere praenotantur.

Superest, ut Castrenses Ecclesias attingamus, utpote quae ab antiquis temporibus ad regiam pertinent Capellam, ejusdemque jure censentur (*Dipl. XX.*). Hic autem de ejusmodi Ecclesiis in genere prout sese in praesenti statu habent, pauca tantum delibabimus, de quibusdam, quae caeteris praestant, dehinc in specie verba facturi.

Castrorum in Sicilia numerus non semper unus et idem fuit, sed varius prout Regni tuendi ac sospitandi exposceret necessitas. Regnante Carolo Andegavensi regia Castra praesidio munita quadragenario numero comprehensa fuerunt (*Dipl. XXXIII.*). Tempora Martini sex et quadraginta censenda fuisse hinc manifestum videtur, quod Regno petenta idem Rex totidem regio domanio Civitates atque Oppida in perpetuum reservanda constituit (*Dipl. LXXIX.*). Nunc temporis ea tantum loca munimentis ac militari praesidio instructa sunt, quae publicam ad farra securitatem existimantur. Unde fit, ut in Sicilia Insulisque adjacentibus septem et viginti arces numerentur. Porro mos fuit, nullam condi arcem, aut propugnaculum sine interiori Ecclesia, quae Militibus inserviat. Ita suis non carent Ecclesiis actu existentes arces, et clausae Militum stationes, nec non valetudinaria, quae ipsis morbo laborantibus curationem adhibant.

Hujusmodi Ecclesiarum aliquae paroeciali dignitate sunt insignitae, quales Ecclesia Castri ad mare Panormi, Stationis Militum ejusdam Civitatis, Castri Himerensis, et Insulae Usticae. Multo plures tametsi paroeciales non sint, Capellanis interim, ut ajunt Curatis, ad Sacramenta quoque omnia administranda instruuntur, quales ut plurimum, quae clausarum arcium, stationumque ambitu continentur. Reliquae militares Ecclesiae neque paroeciales sunt, neque Sacramentales, qua de causa Capellanos sibi vindicant ordinarios.

Porro istiusmodi Ecclesiarum Parochi, Capellani, at inferiores Administri congruis donati sunt pensionibus, quae singulis ceu Militibus emeritum stipendium ex militari arca exhibentur. Inde etiam sufficitur certa pro unaquaque Ecclesia pecuniae summa, quae in Dei cultum impendi debet. Siquidem incertae expensae ad fabricas, vasa, at sacra indumenta a regio antehac, nunc publico Nationis aerario subministrantur.

His ergo praehabitis, de paroecialibus Ecclesiis, quas paulo ante indicavimus, utpote quae supra caeteras Castrenses Ecclesias eminent, in specie disseremus.

§. II.

De Ecclesia Castri ad mare Panormi.

Panormitana Urbs maritima, eademque vetustissima arce tuatur, quam Robertus, et Rogerius Frater, ut in Siculis traditum est annalibus, instaurarunt. Huic haerebat olim Templum D. Jo. Baptistae sacrum, quod Fazello teste, Carolus V. Caesar ad muniendam firmissimis propugnaculis arcem, deleri jussit. Hinc nova ibi prodiit Ecclesia sub invocatione SS. Joan.

Baptistae ac Silvestri, cujus aedificationem Pirrus ad annum 1516 refert.

Hujusmodi Ecclesiam, quod magno jam praesidio arx instrueratur, petente Praefecto ipsius, ac Rege adsentiente, Pan. Archiepiscopus anno 1580 in Paroeciam erexit, et Parocho cum onere faciendi, et Sacramenta diu noctuque administrandi, constitutus est annuus census un·7 43 6 quemadmodum ex pragmatica M. Antonii Columna sanctione edita anno 1583 apparet. Quare Clemens VIII. in bulla de reformat. Paroec. quae apud Pirrum legitur, inter Paroecias pan. Civitatis, Pan. subjectas Antistiti, SS. Jo. Baptistae, ac Silvestri Ecclesiam recensuit.

Sed opinione non falsus regius Visitator Angelus de Ciocchis, dictam Ecclesiam Palatinae Capellae suffraganeam recognovit, et apertissimis verbis declaravit. Quamquam non protinus ab Ordinarii jure soluta fuerit, sed anno tandem 1784. Quo Parocho ipsius et auctus census, et additi Capellani duo, praeter Clericum, qui Ecclesiae usibus praesto sit (*Dipl. CCXXXI.*).

Exigit itaque Parochus extra un·7 54 de Legatis Ecclesiae relictis, pro se quolibet anno un·7 96 pro Eucharistica benedictione quotidie impertienda un·7 24 pro festo S. Jo. Baptistae, ac S. Silvestri un·7 20 pro majoris hebdomadae functionibus un·7 10 et pro solemni sacrae hostiae ad quadraginta horas expositione un·7 40. Uterque Capellanus recipit un·7 36 et Clericus inferior un·7 18.

§. III.

De Ecclesia S. Jacobi Stationis Militum Panormi.

Divo Sebastiano aedificata fuit Ecclesia, quae in pan. Militum Statione subsistit, et sub Divi Jacobi de Spada invocatione colitur. Auctor est enim Petrus Cannizzaro de Relig. pan. Senatum pan. praeclarissimo Christi Martyri cujus intercessione Civitas a contagio evaserat, anno 1482 ejusmodi Ecclesiam dedicasse: quod praeter Senatus insignia in supremo tabulatu depicta, confirmant inscriptiones, quae ad annum usque 1800 in abside legebantur. Sed anno 1505 eadem Ecclesia cum suo Viridario Sutoribus a Senatu concessa est, ut ex publico concessionis instrumento constat, quod in Senatus videre est Tabulario. Hinc desueto paulatim S. Sebastiani nomine, invaluit, ut a SS. Crispino, et Crispiniano Sutorum tutelaribus appellaretur. Et adhuc in Statione aedes visuntur cum epigraphe, qua ab eisdem Artificibus tum erectae, tum dedicatae praefatis Sanctis anno 1595 exhibentur.

Per idem tempus Hispanica Militia, cujus occasione tota Regio, dicta de Algas, vallis, uti par erat, obsepta in militarem abiit stationem, in aedibus ea inclusis D. Jacobi de Mazzara, Nosocomium sibi adornavit. Hoc tamen ob loci angustias neque satis spatiosum erat, neque medendis infirmis ob aeris gravitatem satis idoneum. Itaque anno 1589 Didacus Enriquez de Gusman Siciliae Prorex Militum saluti, et Urbis etiam dignitati consulens, sub nomine S. Jacobi de Spada, ut Hispaniae mores ferebant, insigne Valetudinarium jussit institui. Cujus aedificationem diu intermissam anno 1621 Comes de Castro ferventi opere prosequi fecit, rem maxime urgente Stephano de Muniera, ut in ejus vita Bernardus de Vargas, et Pirrus in Cephaludensibus Episcopis contestati sunt.

Jam novo eidemque amplissimo Valetudinario finitimam adjungi oportebat Sutorum Ecclesiam, ut aegrotantes piacularium sacrorum ope praesidioque facilius instruerentur. Quare damno compensato Sutores abire coa-

Digitized by Google

cti sunt anno 1636 et regiae Militiae cum adnexis aedibus cessit Ecclesia, quae protinus a D. Jacobo de Spada pariter est adpellata, Porro Ecclesiae dos constituta, et Capellanus assignatus, qui quotidie faceret, et vicissim cum alio Sacerdote hospitali domui proprie addicto, gravi ex morbo decumbentibus adesset, et extrema Sacramenta porrigeret.

Anno 1720 Vincentius Pecorella S. Jacobi Capellanus de Vicarii generalis pan. dioecesis licentia, in sua Ecclesia baptisterium erexit, et quoad vixit, cum Beneficiarii nomine paroecialia jura, et functiones explicuit. Unde in Visitatione ipsius Ecclesiae Angelus de Ciocchis in hunc modum habet: *Militum Statio Panormi perompla, et populata suom habet socramentalem Ecclesiom, cujus Beneficialis est D. Vincentius Pecorella, in qua Milites omnes, iique, qui in Statione morantur, Sacramenta percipiunt*. Et rursus: *Fontem hobet boptismalem, Oleorum socrorum armariolum*. Itemque: *Administrationi Sacramentorum praeest Beneficiolis Curotus, qui modo est D. Vincentius Pecorella*. Sed inter hujus Successorem, et Ferdinandum Stabile quod se Parochum diceret, et Cathedralem Ecclesiam obstinata lis exarsit, quae tandem anno 1764 conticuit. Nam post varia Magistratuum consulta, regiis literis a Neapoli redditis declaratum fuit, S. Jacobi Ecclesiam nec Paroeciam esse, nec Parochum ipsius Beneficiarium, ex defectu canonicae institutionis, sive praescriptionis, quarum vis ejusmodi titulos faciat legitimos: interim Regi placitum esse, ut in dicta Ecclesia tamquam filiali, et a Beneficiario tamquam Coadjutore Cathedralis Ecclesiae, omnia Militibus, et iis, qui statione degunt, Sacramenta praeberentur.

Hoc loco res stetit ad annum 1779 quo excurrente S Jacobi Ecclesia de Ordinarii jurisdictione exempta in veri nominis Paroeciam convertitur, (*Dipl. CCXXV.*) ejusque Beneficiario aucta dos, adjectique Capellani duo, quorum unus Oeconomi, alter Coadjutoris nomen gerit, itemque Clericus sacro ministerio inservire destinatus. Parochus igitur quolibet anno pro se consequitur ℥ 96 pro benedictione cum Sacramento quotidie tribuenda ℥ 24 et pro eo, quod in usus insumi debet ecclesiasticos un·7 60. Habet quoque pro solemni caelestis hostiae ad quadraginta horas expositione un·7 40. Praeterea Oeconomus recipit singulis annis un·7 36 Coadjutor un·7 12 totidemque Clericus inferior. Sunt etiam militari Valetudinario, quod anno 1800 in aedes D. Francisci Xaverii translatum est, bini Capellani, quorum uni solvuntur un·7 48 alteri un·7 36.

§. IV.

De Ecclesia Arcis Thermarum.

Thermae Himerenses praerupto colli, qua parte Tyrreni maris fluctibus alluuntur, imminentem, ac vetustam arcem ostentant, quae Gallis obsidentibus pluries restitit, ut in Siculis annalibus est legere. Hujus arcis Ecclesiae D. Aegidio Abbati dicatae regius observiebat Capellanus congrua praeter missae honorarium stipe donatus. Sed anno 1782 efflagitante Castelli Praefecto in Paroeciam sub titulo S. Ferdinandi conversa est Ecclesia, ejusque Capellano D. Liborio Rini paroecialis dignitas collata, cum accessione subsidiarii Capellani, et Clerici ultima obeuntis officia (*Dipl. CCXXXIV.*).

Constitutus Parocho census annuam un·7 48 summam non excedebat. Hinc anno 1804 duo beneficia S. Aegidii videlicet, et S. Mariae de Consolatione, propter obitum Decani Cephaludensis D. Antonii Musso, posses-

sore soluta, Castri Himerensis Parocho, licet, qua ratione id factum sit, nesciam, in supplementum assignata sunt. Quamvis enim a Pan. Antistite conferri consuevissent; regiae nihilominus jurisdictioni erant obnoxia. Et sane primum exhausto antiquo S. Aegidii Templo, cui adnectebatur, in dicta Ecclesia, quoniam S. Aegidio pariter dicata fuit, constitit: et alterum ob interdictam S. M. de Consolatione aedem, Capellae in eadem Ecclesia conditae adhaesit, ubi ipsius SS. Dei Genitricis imago colitur. Non ergo praefata beneficia regio juri erant abroganda, quandoquidem accessoria principalis sui naturam sumere, apud omnes in confesso est.

Praeterea Castri Thermarum Parochus aliorum duorum beneficiorum, S. Luciae videlicet, et S. Antonii, quae regiis ex literis anni 1806 in Capellanias mere laicales evaserunt, cum onere missae honorarium Capellano praebendi redditus administrat. Itemque pro mercede Clerico tribuenda, et aliis expensis recipit quoquo anno ♉ 18 3 4, Capellanus vero pro suo stipendio habet ♉ 26 14.

§. V.

De Ecclesia Insulae Usticae.

Ustica olim habuit referente Fazello ejusdem nominis Oppidum, ac Templum Deiparae sacrum, quae tandem ruinis affecta, solius antiquitatis vestigia reliquerunt. Anno 1597 petiere generalia Regni Comitia, ut in Insulam jamdiu desertam, ne maxime cum Commercii detrimento Pyratis asylo esset, incolae inducerentur. Atque anno 1600 Siculorum votis annuens Philippus III. arcem in ea condi jussit, sed res eventu caruit.

Postmodum anno 1761 Regio nomine palam facto, Usticam esse muniendam, optimisque propositis conditionibus, iis, qui suum ibi figere domicilium vellent, habitari quidem coepta est, sed funestissimus casus rei progressum intercepit. Nam Septembri mense anni 1763 Turcae inopinato Insulam adgressi, quantum erat hominum miserrimam in captivitatem abduxerunt. Interim Colonos in Usticam inducendi non est abjectum consilium, nec multo post tempore Insula rursus populo frequens evasit. Siquidem ex una parte eo demigrantibus, quos melioribus pactionibus allici oportebat, indulta est per decennium immunitas a vectigalibus, itemque a censu seu terrarum, seu domorum, quae illis concedebantur. Ex altera validis operibus, ac munimentis Insula firmata, nec non militaribus speculis undique versum instructa, ubi diurni, nocturnique excubitores custodiam agerent. Porro extra praesidiaries Milites, armatorum, et stipendia facientium incolarum in sex cohortes distinctum, agmen institutum, qui pariter Militiae laboribus assuescerent, Insulamque a Barbarorum insultibus tuerentur. Ita factum est, ut tota Insula in clausam veluti arcem abierit, ejusque habitatores, demptis iis, quibus per aetatem vel sexum arma capere haud licet, armatae Militiae corpus efficiant.

Unicam habet Insula paroecialem Ecclesiam, cui a Rege ipsius conditore S. Ferdinandi nomen est inditum. Principio ejusmodi Ecclesia saeculari Presbytero a Pan. Archiepiscopo tamquam loci Ordinario committebatur. Sed ab anno 1778 utpote Castrensis, regioque aere condita, et sustentata, ab Ordinarii jure soluta est, eidemque serviunt de pan. Capucinorum Familia Presbyteri sex, Rege sic disponente, ut parva Insula, cujus Coloni nunquam nisi aliquo necessitudinis vinculo inter se conjuncti, externis libentius ac securius quam indigenis Sacerdotibus peccata sua confitentur,

Digitized by Google

opportuniores Sacramenti Poenitentiae haberet Administros.

Jamvero Capucini Sacerdotes cum binis laicis Fratribus in Hospitio regiis quoque sumptibus extructo degunt, communemque, ac religiosam vitam agunt. Ex eorum Sacerdotum numero superior Parochi munus explicat, reliqui sunt ipsius Coadjutores, paroecialis laboris, et curae participes. Ex laicis unus Sacrarii Praefectum gerit, alter vitae communis usibus inservit. Habent nunc ex publico aerario pro alimentis quoquo anno $\mathcal{Q}$ 192 praeter missarum stipendia, et fidelium obletiones. Ipsum quoque aerarium divini cultus, et supellectilium praestat expensas.

APPENDIX

De Troinensi Ecclesia, et Monasterio Sacrarum Virginum de Basicò Messanae.

Capellam omnem regiam, ut est in praesenti statu descripsimus, proindeque nullam de peculiaribus Capellis mentionem habuimus, quae actu non existunt, aut ex illarum numero expunctae sunt. Interim de Troinensi Ecclesia, et Monastriarum de Basicò Messanensi Coenobio, brevem subnectere appendicem, operae pretium duximus, ut constet, ad regiam Capellam olim pertinuisse, licet inter ejus membra amplius non computentur. Hoc enim praestituto, ad propositam rem facere diplomata, quae dictam Ecclesiam, et Coenobium spectant, et in loco proferentur, facilius perspectum erit.

De Troinensi Ecclesia.

Regiam Capellam dant locus, aedificatio, et usus regius. Haec autem, quorum unumquodque per se ac separatim ad illius naturam constituendam sufficit, in una Troinensi Ecclesia simul concurrunt, et manifeste se produnt. Nam Comes Rogerius illam in Castro Troinae fundavit, ubi in ipso Saracenici belli primordio sedem suam, ac domicilium fixerat. Necmodo aedificavit, verum etiam dotavit, quod ex mente Canonum in ipsa aedificatione continetur. Vetant quippe Ecclesiam condi, nisi prius satis reddituum alendis Ministris, et sustinendo Religionis exercitio tribuatur. Can. 26 C. 16 q 7 can. 9 D. 1 de consecr. Denique exstructam Ecclesiam suo et suae Familiae usibus addixit. Testata haec dedit ipse Rogerius (*Dipl. II.*). Praeterea ejusmodi Ecclesiam *in Castro Troinae ad commodum signanter suum, et suae Familiae* Rogerium aedificasse Malagerius (*Dipl. III.*), Rex Rogerius (*Dipl. IX.*), et Guillelmus I. (*Dipl. XII.*) luculentis verbis affirmant. Itaque Troinensi Ecclesiae ingenitam regiae Capellae naturam, et conditionem nemo abnuet.

Neque vero Episcopali mox dignitate ornata, pristinum decus amisit. Namque unam eamdemque Ecclesiam, Episcopalem Cathedram, et regiam Capellam esse, nullam contradictionem involvit, cum de eodem secundum idem, juxta Logicorum effatum, sit contradictio. Sane dum Troinensem Ecclesiam Roberto ejus Episcopo assignat Rogerius, eam vocat suam, et sibi, et Familiae suae addictam esse debere expressis verbis ostendit. Sic enim Robertum alloquitur. *Hanc igitur Ecclesiam nostram tibi trado ad gubernandum . . . . Tibi igitur sit cura, et Ecclesiam, et Clerum praedictum regere . . . . et mihi cum in dictam Ecclesiam me conferam pro adimplendis sacris praeceptis, benigne assistere, et opportuna ministrare etc.* Ergo Troinen-

Digitized by Google

sis Ecclesia ad Episcopatum evecta, regiae Capellae formam retinuit, regioque usui dedita permansit.

Translata dehinc episcopali Sede Troina Messanam, eximio, quo aucta fuerat honore decessit. Siquidem ratio Cathedralem Ecclesiam constituens est, quod sit Cathedra et Sedes Episcopi, Unde maximum inter Episcopi, ac Sedis episcopalis translationem discrimen intercedit. Potest nempe Sedes episcopalis ex uno in alium locum transferri, et in hac specie, *ille locus* verba sunt Michaelis Franges de Eccles. Cathedr. C. VII. Num. 69 *ad quem transfertur, assumit naturam translati, et remanet Cathedralis*; contra si transfertur Episcopus: *quia translato Episcopo, non transfertur Sedes*. At non subito cognitum est, Troinensem Ecclesiam ob translationem Sedis vix ac ne vix quidem in Cathedralibus esse numerandam. Hinc tempore addito ceu postliminio revocari, atque adeo pro regia Capella unice haberi coepit, quamvis jamdiu in Messanensis Archiepiscopi jure persistat.

De Monasterio sacrarum Virginum de Basicò Messanae.

Bina adhuc Messanae sunt Monastriarum Coenobia, unum videlicet S. Clarae, alterum S. Mariae de Pietate, dicta de Basicò, propterea quod in ejus nominis Oppidulo intra S. Luciae fines exstructa, primum Ramettam, et postea Messanam translata fuerunt. Horum Coenobiorum unum regiae Capellae vindicant Regis Ludovici, ac Reginae Elisabethae privilegia (*Dipl. XLIII. et XLIV.*) sed e duobus quale fuerit, minime innuunt.

Equidem Pirrus ea privilegia ad Monasterium refert, quod S. Mariae de Pietate nomen gerit. Ego tamen probabilius censeo, utrumque Monasterium regiae olim Capellae membrum extitisse. Cum enim ambo in districtu S. Luciae, atque adeo sub Magistri Capellani jure instituta fuerint; equidem non video, quare postea Messanam deducta, unum a Messanensis Antistitis jurisdictione liberum sese praestiterit, alterum vero non item. Maxime cum vel unico exemplo satis certum esse debeat, non unum, aut alterum, sed plura Monasteria praesertim aere regio fundata, olim fuisse in sacri Palatii jure instituta. Primus itaque liber in hunc modum absolutus sit, quem plus fortasse nimio longum fecimus, tametsi non sint longa, quibus nihil est, quod demere possis.

Digitized by Google

LIBER II.

Regiae Capellae Siciliae πολιτειαν illustrat.

PROOEMIUM.

Duo potissima capita sunt, quae quoniam R. Capellae Siciliae politiam spectant, hoc libro necesse est concludi, et quanta maxima liceat accuratione tractari. Unum, quod nullis addicta locorum Episcopis, Capellano majori utpote suo proprio Antistiti subjecta est. Alterum, quod jus praerogativum conferendi omnia ejusdem Capellae beneficia, et sacra officia, non excluso ipsius Capellani majoris officio, Regi competit. Res autem ipsa postulat, ut in iis pervolvendis, historia juri praeluceat, et ex factis, quod rectius existimatur, jura constituantur. Ita pro duplici themate, duabus non modo partibus liber continebitur, sed etiam utriusque partis duae sectiones existent, quarum altera factum perquiret, altera jus, quod facto inducitur, explicabit.

PARS I.

De Regiae Capellae Siciliae exemptione, et Capellani majoris ordinaria in eam jurisdictione.

SECTIO I.

Regiae Capellae Siciliae exemptionem, et ordinariam Capellani majoris in ea jurisdictionem percenset in suo statu antiquo, novo, et novissimo.

CAPUT I.

De conditione Regiarum Capellarum, quo tempore instituta fuit R. Capella Siciliae.

§. I.

Regiae Capellae Saeculo XI. exemptae erant, et Capellanis majoribus addictae.

Saeculo vertente XI. quo Regnum, et Regia Capella Siciliae prodiit, jamdiu invaluerat, ut regiae Capellae de Episcoporum potestate exemptae ab ipsis Capellanis majoribus regerentur. Sane hujusmodi conditionis fuerant Palatinae Capellae Longobardorum Principum, qui in Italia dominationes, et imperia tenuerunt. Unde anno 839 de Ecclesia S. Felicis Beneventanae dioecesis magno animorum aestu agitata lis intercessit. Contendebat Episcopus = *quod Ecclesia, quae lavacrum baptismi aedificatum habuerit, semper sub dominio Episcopi subjacere debeat*. Reponebat vero Abbas Palatinus, *quod Ecclesia S. Felicis tantum Palatio obaudivit, nam nihil ad Episcopum quandoque obedientiam habuerit*. Et in causa concidit loci Ordinarius: *Chron. Vultur.* apud Muratorium Rer. Ital. T. I. P. II. Porro in Beneventani Principatus

divisione, quae facta est anno 851, pactiones inter Siconulfum, et Radelchisium initae fuerunt his etiam legibus, *ut singulae Ecclesiae primatum habeant integrum, sicut semper habuere in omni loco, quemadmodum decet causam Dei, exceptis Canonicis, Abbatibusque ad Palatium pertinentibus: nam Abbatum res, quae ad Palatium pertinent, in cujus divisione res ipsae venerint, ille eas habeat, in cujus fuerint parte*. Et artic. VI. et VII. *ut omnes Clerici sint sub potestate Episcoporum suorum exceptis Clericis, qui in Palatio serviunt, similiter fiat de Clericis, qui in rebus Abbatum ad Palatium pertinentium morantur; qui Clerici in illius parte sint, in cujus sortem res ipsae venerunt*. Vid. Capitul. apud Camillum Pellegrino. Quibus ex monumentis fit omnino manifestum, atque perspicuum, *eo ab hinc aevo viguisse Cleri Palatini exemptionem ab ordinaria Episcoporum jurisdictione, subjectio nemque Abbati palatino, quem nunc dicimus Capellanum majorem;* ut habet Carolus Gagliardo Instit. Jur. Can. lib. I.

Parem fuisse conditionem Regiarum Capellarum Angliae fuse probat Thomasinus V. et N. D. P. I. Lib. III. C. 36. Ibi ex antiquis illius Regni constitutionibus refert, Eduardum I. declarasse I. Capellas suas regias *ab omni jurisdictione ordinaria exemptas penitus, et immunes*. II. Earumdem Clericos quamdiu Regi observiunt, cogi non posse in suis ut resideant Ecclesiis, vel ut sacris innectantur ordinibus. *Cum Clerici nostri ad ordines suscipiendos, vel ad faciendum in suis beneficiis residentiam personalem, dum nostris immorantur obsequiis, compelli non debeant*. III. Ante hominum memoriem eo Reges Angliae usos esse jure. *Nosque ac Progenitores nostri Reges Angliae hujusmodi libertate, seu privilegio pro Clericis nostris, a tempore quo non extat memoria, semper hactenus usi sumus*. Cangius etiam in suo Gloss. Voc. R. Capella Chartas memorat Henrici II. ac III. Regum Angliae, quae Regiis suis Capellis antiquam de Episcoporum potestate exemptionem ratam habent.

In has quidem exemptiones. quod jura laederent sua, insurgebant quandoque Episcopi, sed eas Reges tuebantur vetusta possessione innixi, quae hominum memoriam excederet. Observat proinde laudatus Thomasinus I. in hisce privilegiis regiarum Capellarum Angliae, mentionem a Regibus non haberi de bullis anterioribus Pontificum. II. Unum adstrui exemptionis fundamentum antiquam possessionem, cujus contraria memoria non extaret. III. Solam consuetudinem, et spontaneam Episcoporum consensionem, concessionemque his libertatibus dedisse initium, quas postea praescriptio roborasset. IV. Capellas regias dioecesanorum Antistitum subductas potestati, alii subjectas evasisse Episcopo Regis Capellano. V. Cumque semper essent Regibus Episcopi quidam Capellani munus obeuntes, potuisse per istiusmodi Episcopos jurisdictionem in regias Capellas exerceri, et praescribi contra Dioecesanos. Ita ille Vir doctus, et Ecclesiasticae disciplinae admodnm peritus.

Vetustissima etiam indicari possunt monumenta, quibus ejusdem fuisse conditionis regias Capellas Galliae ostendamus. Ut enim auctor est Adelardus in libello de Ordine Palatii, seu Hincmarus Ep. 3 ad Episcopos Franciae, Clerus Palatinus Magno suberat Capellano: *Apocrisiarius autem, quem nostrates Capellanum, aut Palatii Custodem appellant, omnem Clerum Palatii sub cura, et dispositione sua regebat*. Et Concilium Moguntinum anno 813 celebratum Can. 22 in tres classes distinxit Clericos universos, alios sub Episcopi cura, alios Abbatibus subjectos, alios *in servitio Domini* Regis constitutos: quo ipso Clericos palatinos Episcoporum jure praestat absolutos. Hinc ejusmodi Clerici plures sibi conscivere libertates, quae cum ecclesiasticam disciplinam graviter deturbarent, Canonibus Synodorum comprimeban-

tur. Ex Synodo Francofordiensi Can. 38 colligitur, illos id sibi juris asseruisse, ut communicarent cum Presbyteris, quos Episcopus communione sua privarat, nempe hanc disciplinae relaxationem vetuit, cujus inducendae causam, nisi illorum exemptio praebere non poterat. Eodem jure excipiebant Clericos aliarum Dioecesium sine proprii Episcopi consensu: unde Concilium Aquisgranense anno 836 Can. 23 decrevit: *De Presbyteris, qui in Palatio morantur, ut sine proprii Episcopi consensu, ibi locum consistendi non habeant, nec recipiantur*. Et Concilium Meldense anni 845 Can. 58 statuit, ut ne Clericus aliquis adjungeretur Clero Capellae regiae inscio Episcopo suo: *Cum quilibet Canonicorum ad Regiam venerit Majestatem, et suo se voluerit mancipare servitio, consensu Episcopi, ad cujus Dioecesim pertinere dignoscitur, cum recipiat. Et si in ordine clericali eum promovere voluerit, manus ipsius impositione ad Ecclesiasticum Ordinem, si dignus fuerit, consecretur*.

Nulli itaque Clerici inscils, vel invitis Episcopis suis, poterant in Capellam regiam assumi; etsi hujus Clero adscripti, jam haberentur tamquam exempti, ideoque vocarentur *liberi Clerici*, quemadmodum Fauchetius in lib. de Familia Caroli M. C. 1 ? et Peiratius lib. I. de Orat. Reg. Galliae C. 16 adnotarunt. Ea phrasis, qua exemptio Clericorum Aulicorum declaratur, occurrit in Synodo Tullensi anno 859 ubi Carolus Calvus ajebat, Episcopatum Senonensem contulisse *Weniloni Clerico meo in Capella mihi servienti, qui more liberi Clerici, se mihi commendaverat, et fidelitatem Sacramento promiserat*. Neque sine consensu Episcopi excitabantur Palatinae Capellae, ut patet ex lib. V. Capitul. Caroli M. Cap. 182. *Ne Capellae in nostro Palatio, vel alibi sine permissu Episcopi, in cujus Parochia sunt, fiant*. Et tamen exemptae erant; ideoque Concilium Parisiense anno 829 lib. III. C. 19 hortatur Ludovicum Pium, ne sineret, indignos in regiis Capellis ministrare; et ut Aulici, saltem diebus festis, adessent sacro. Sane cum summa esset in toto Regno Archicapellani dignitas, et auctoritas; summaque esset Episcoporum in Archicapellanum observantia, dubitari vix potest, quin iis ultro consentientibus, Archicapellanus plenissima libertate praefuerit sacro Aulae ministerio, et Clericis Palatinis.

Postremo illud praetereundum non est, regiam Hispaniae Familiam Dumiensi Praesuli olim fuisse assignatam. Id constat ex divisione Provinciarum et Dioecesium Hispaniae facta sub Rege Vamba in Concilio Toletano, quam exhibet Binius ad calcem Concilii Lucensis anni 567. Ibi: *Ad Sedem Dumiensem Familia Regia*. Quando autem Regia Familia Dumiensi Praesuli adscripta erat, per se patet, sub ejus tamquam Regii Capellani jurisdictione contineri debuisse regiam Capellam, seu Clericos, et Sacerdotes, qui sacrum in Aula ministerium peragebant.

§. II.

Erant Capellani majores Episcopi Aulae.

Sacra potestas, quam Capellani majores in Regiis Capellis explicabant, eosdem regiae totius Aulae constituebat Episcopos. Nam regiae Capellae inserviebant Regibus, atque Aulicis omnibus, et paroeciali etiam jure Sacramenta administrabant. Inde consequens erat, ut Episcopali Capellanorum majorum jurisdictione tota regia Aula contineretur.

Sane Capellanos majores existimatos, dictosque fuisse Episcopos Aulae,

vel unius Regum Francorum Archicapellani exemplo compertum esse debet. Nempe antiquo Merovingiorum Apocrisiario successerat, referente Hincmaro, Ep. III. ad Ep. Franciae, seu Adelardo de Ordine Palatii, qui Apocrisiarium dicit, quem posterior aetas, Archicapellanum nominavit. Atqui Apocrisiarius a Clodoveo, qui primus ex Francorum Regibus Christo nomen dedit, ad Pipinum, et Carolum M. ex Episcopis eligi consuevit. Subdit quippe Adelardi verba recitans Hincmarus: *Per successiones Regum S. Episcopi ex suis Sedibus, et tempore competenti Palatium visitantes, vicissim hanc administrationem disposuerunt*. Ergo non dubitandum, quin Apocrisiarii, seu Magni illorum Regum Capellani, utpote qui episcopale, ac solis reservatum Episcopis munus exercebant, Aulae totius Regiae fuerint, Episcopi.

Profecto alterius regiae stirpis Archicapellani, non semper ex Episcoporum coetu deligebantur. *A tempore Pipini, et Caroli* (scribit loc. cit. Hincmarus) *per Diaconos vel Presbyteros magis, quam per Episcopos hoc officium executum extitit, quia Episcopi continuas vigilias supra Gregem suum debent assidue exemplo et verbo vigilare, et non diutius secundum sacros Canones a suis abesse Parochiis*. Etsi vero in Archicapellanos vel Diaconi, vel Presbyteri assumerentur; episcopale nihilominus officium gerebant, ut ex iis, quibus afficiebantur titulis omnino liquet.

Et certe Hilduinus primum Ludovici pii, ac postea Lotharii Archicapellanus, dictus est ab Agobardo Lugdunensi Ep. ad Hild. *Antistes sacri Palatii*, et in monumentis, quae Auctor antiquitatum Abbatiae S. Dionysii profert libro I, *Archiepiscopus sacri Palatii*. Porro ipsimet Episcopi, Archicapellani honore aucti, ejusmodi nominibus donabantur, quae nisi Aulae Episcopis convenire non poterant. Ita Aiglibertus Cenomanensis Episcopus, ac Theodorici Regis Archicapellanus ab Anonymo, qui ejus vitam et res gestas conscripsit, adpellatus est *Princeps Episcoporum totius Regni*, itemque *Archiepiscopus, ac Magister totius Regni Episcoporum*. Hildeboldus Coloniensis Antistes, et Caroli M. Archicapellanus in praefatione Moguntini Concilii legitur *Archiepiscopus sacri Palatii*. Angilramnus Metensis Episcopus ejusdemque Principis Archicapellanus ab Alcuino Poemate 164 dicitur. *Pontificalis apex, Pastor, Patriarcha, Sacerdos*. Et Drogo Metensis quoque Episcopus, et summus Ludovici Pii Capellanus in Apologetico Ebbonis *Archipalatini Praesulis* titulo condecoratur.

Nec mirum, in Regno Francorum, ubi plures Metropolitani, et Primates erant, simplices Presbyteros, vel Episcopos caeterorum Praelatorum Principes, Magistros, ac Patriarchas dici potuisse. Namque ut Aulae Episcopi omnibus Regni Praelatis longe praestabant, qua de causa in Episcoporum Synodis primas ferebant Archicapellani. Sic Hildeboldus Moguntino Concilio sub Carolo M. primo loco subscripsit, etsi praesens adesset Ricolphus Moguntinae Sedis Antistes. Ebroinus Pictaviensis Episcopus, et Magnus Caroli M. Capellanus, Concilio praefuit Vernensi anno 844 ut ex procemio illius actis praemisso constat, Grimoldus Abbas S. Galli praeponitur Salomoni, et Theodorico Episcopis in actis de Indulgentia Lodovici Regis Germaniae, quod summum Aulae Capellanum ageret, uti notat Balutius. In Concilio Ticinensi sub Ludovico II, caeteris praefertur Episcopis Joseph Archicapellanus. Et in Synodo Ingelesheimensi anno 840 sub Lothario ad restituendum Remensi Sedi Ebbonem, et rursus in Synodo apud Theodonis Villam anno 845 praecipuo jure fuit tamquam primus Ludovici pii Capellanus, Drogo Metensis. Erant ergo Archicapellani regiae totius Aulae Antistites; eo nomine caeteros Regni Praesules antecellebant, inque episcopalibus Synodis potiores sibi par-

tes vindicabant.

Ad haec Magnus tertiae stirpis Eleemosynarius Episcopus fuit Aulae, quod in veteris Archicapellani locum succedebat. Peiratius de Orat. Reg. Gall. lib. 1 Cap. 62 sic habet. *Cette maxime que le grand Ausmonier de France est l' Evesque de la Cour, n' est pas sans raison dans la bouche des Courtisans, et elle est fondée en la cognoissance de l' antiquité: Car le grand Ausmonier de France tient la place de l' Apocrisiaire du sacre Palais sous la premiere race de nos Roys, et de l' Archicapellain sous la seconde, et l' un, et l' autre en son temps a tousiurs estè tenu pour l' Evesque de la Cour*. Peiratio suffragantur alii Scriptores. Nam Joannes Lomedus in tractatu Privilegiorum, scribit: *Aulicis exemptis M. Eleemosynarius est pro Episcopo*. Petrus Gallandus in vita Petri Castellani: *Aulae regiae unicus Episcopus est; quocumque in loco per totum Regnum Rex versetur, ab eo Sacramenta petere solet*. Et Rovillardus in lib. de M. Eleemosynario, hunc adserit esse Regis Episcopum, tametsi Parochi Aulee qualitetem Parisiensi [illegible]uat Archiepiscopo.

CAPUT II.

Capellae omnes regiae Siciliae olim exemptae fuerunt, et Capellanis majoribus obnoxiae.

§. I.

Id probat generali argumento ex regiorum omnium Capellanorum conditione ducto.

Una eademque regiorum Capellanorum, et Capellarum inde prodeuntium, oportebat esse conditio. Siquidem corpus morale, non secus ac physicum a partibus, unde coalescit, netura dissimile ac diversum esse non potest.

Capellanos omnes regios in Sicilie, vel in sui primeria institutione ab omni Episcoporum jura liberos fuisse, luculentam ex Mazariensi Concordia fidem hebet. Nempe Terrarii, hoc est Optimetes terras, et Castra possidentes, ideo decimas detrectabant Episcopis, quod privilegia Rogerii Comitis affectantes, Capellanos cum Capellis suis de omni ordinaria jurisdictione contederent exemptos. Unde licet Rogerius aequi bonique Terrariis fecerit tertiam decimarum partem, ceu necessariam Ecclesiarum ad eos pertinentium dotem; statuit nihilominus, ut harum Capellani, tamquam si eb Episcopis alimenta perciperent, eisdem subessent, consuetaque ac debita jura perselverent. Cavit praeterea, ne Terrarii Capellanos suos eligendi jure, cum aliqua Episcopalis auctoritatis derogatione pollerent. Quippe decrevit, electos Presbyteros Episcoporum examini subjiciendos, ut adeo si facto examine, minus idonei reperti fuerint, vel post approbationem inobedientes, et contumaces evaserint, eos Episcopi ab Ecclesiis pro suo jure repellerent. Hujus igitur Concordiae tenore invitis Terrariis, eorum Capellani ordinariae Episcoporum potestati addicuntur, regii vero Capellani non item. Namque in suo statu permanentes tum in Episcopalem jurisdictionem lapsuri declarantur, si Civitas, vel Castrum Principis in alicujus privati dominium transire contingeret. Tunc enim translatio dominii, Capellae, et Cepellani regii conditionem immutabat (*Dipl. IV.*).

Praeterea Capellanos regios ab omni ordinario jure probat exemptos, decimarum Castrijoannis, et Aydonis facta ipsis ab Episcopo Catanensi dona-

tio. Siquidem ex publico hujus donationis instrumento apparet, inter Principis, et Procerum Capellanos id interfuisse, quod hi Episcopis sisti deberent, et certa jura in Cathedrae honorem, subjectionisque signum offerre, quandoquidem illi ab ea dependentia, et oneribus essent exempti. Unde Capellani regii ab omni Episcopali jure absoluti ab ipsis Episcopis agnoscebantur. (*Dip. X.*) Denique regios Capellanos in pristina status sui conditione diu perstitisse, plurima posteriorum temporum monumenta evincunt, quae postea nos opportuniore in loco referemus.

At vero exempti Capellani regii non erant ακεφαλοι, ut qui sacrae Capellani majoris potestati subderentur. Non enim fieri poterat, ut sacrorum hominum coetus nullum haberet Superiorem, atque adeo ecclesiastica ministeria sine certa lege, atque auctoritate peragerent. Sane Magistri adpellatio, qua in antiquis monumentis designari solent Capellani majores (*Dipl. I. XX. et alibi*) magisterium et praefecturam connotat, quae sine praeminentia, et jurisdictione exerceri non potest. Venerabilis quoque nomen Magistro Capellano ibidem datum, Magistrum indicat non qualemcumque, sed eum, qui sacra, et spirituali potestate augeretur. Quare regni Episcopi, et Archiepiscopi, in tabulis, quas refert Pirrus, eodem donati titulo perhibentur.

Praeterea Capellani omnes regii, quibuscumque in causis Capellanum majorem pro Judice competente habebant (*Dipl. C.*). Quod quidem propter caussas non modo spirituales, quae ad forum Ecclesiae spectant, verum etiam, temporales, in quibus cognitio ad Laicos Magistratus pertinet, sacram et episcopalem Capellani majoris in omnes regios Capellanos arguit potestatem. Cum enim constet, Magnum Cancellarium olim, ut observat Freccia in libro de subfeudis, ejusmodi caussas dijudicasse; pro certo esse debet, talem jurisdictionem inde in Capellanum majorem fuisse devolutam, quando videlicet, eadem jurisdictione in Clericos suos Praelati Ecclesiarum ancti fuerunt ex concessione Principum. Vide Const. Guill. I. Siquis Clericus Tit. de Clericis conveniendis et Guill. II. De Personis Tit. Ubi Clericus in maleficiis debeat conveniri: nec non Frider. II. De Burgensaticis Tit. de Sacram. praestando Bajulis etc. Nempe praerogativam omnibus Regni Praelatis indultam, uni Aulae Antistiti, seu Capellano majori non aeque concedi, ab humanae judicio rationis abhorrebat.

Ad haec denique accedit, quod eam quam Presbyteri in sacra ordinatione spondent Episcopis suis reverentiam, et obedientiam, Capellani omnes regii Capellano majori deferre cogebantur. Cujus rei causa solemne fuit Regnantibus Aragoniis, pro Capellanis majoribus noviter constitutis diplomata edi cum formulis, quae istius reverentiae atque obedientiae legem juberent. (*Dipl. XLVII. LV. LXX. et alibi*).

Hoc vero exemptionis, et proprii Paesulis in Capellano majore privilegium personale erat, quatenus regiis Capellanis nulla etiam loci exempti, cujus membra essent, habita ratione competebat. Enimvero illud participabant et regii Capellani nullis donati Ecclesiis, vel beneficiis exemptis, quales erant, qui Regis obsequio mancipati, Aulam sequebantur. Namque istis etiam Capellanus major in omnibus caussis, et negotiis pro competente Judice assignabatur (*Dipl. LXXXVI. LXXXIX. et alibi*). Ergo vel sola personae qualitas Capellanos regios ubique locorum ab omni ordinaria jurisdictione subtractos, et regiae Capellae Magistris praestabat obnoxios.

Quae cum ita sint, omnes regias Capellas seu ambulantes, seu permanentes, quoniam a Capellanorum, unde componebantur, statu, et conditione differre non poterant, ab omni ordinario jure liberas, et Capellanis majori-

bus adscriptas fuisse, extra controversiam esse debet.

§. III.

Idem confirmatur ex conditione Personarum, quibus Capellae omnes tam ambulantes, quam permanentes inserviebant.

Quandoquidem de Episcoporum potestate eximebantur, et Capellano majori suberant personae, quibus Capellae sive ambulantes, sive permanentes operam dabant; manifestum erit, parem ejusmdi Capllarum fuisse conditionem. Non enim Ecclesiae alio jure esse possunt ab eo, quod proprium est personarum, ad quas sacris imbuendas institutae sint.

De Siculis Regibus, nulli subjectis Episcopo, et Capellani sui majoris curae commissis, praeclarissimum extat in Petri Blesensis epistolis documentum. Ad Agrigentinae Ecclesiae Sacerdotium Rex noster Guillelmus II. hominem tanto imparem ministerio promovere destinaverat. Ne igitur ea Sedes tantam subiret calamitatem, ad Gualterium dicti Regis Capellanum majorem scripsit Blesensis, ut pro ea qua valebat apud Regem auctoritate, ipsum a proposito removeret, atque adeo satis officio suo faceret. Haec itaque habet. *Si non annuntiaveris impio impietatem suam, ipse in impietate sua morietur, et ejus anima de tuis manibus requiretur. Ovis tua Rex est, et in periculum tuum ipsius custodiam suscepisti. Vide ne alios imiteris, qui lac, et lanam quaerunt de ovibus non salutem. Periculosum tibi est, si in tonsoris officium convertas ministerium pastorale* (*Dipl. XIII.*). Gualterius ergo pastorali ministerio in Aula fungebatur: cumque ipsius ovis Rex esset, ad eum spectabat cura animae Regis, ejusque partes erant Regem ab impietate prohibere, ut adeo poenas daturus esset, huic si officio defuisset.

Id privilegium, quod Capellanum majorem, veluti proprium, et peculiarem Pastorem Regi assignabat, non aliunde quam ex eo repetendum est, quod Reges, et qui summum in civili societate habent imperium, ratione sui muneris, atque dignitatis nullibi perpetuo morari possint, utpote qui eo se conferre parati esse debeant, quo Reipublicae seu ordinandae, sive tuendae eos advocet necessitas. Hinc enim illius oritur convenientia privilegii, ne identidem coelum regionesque mutando, interim certo Praesule ac Pastore careant. Itaque Reges nostros ubique locorum de omni ordinaria jurisdictione olim exemptos, et Capellae suae Magistris fuisse addictos, quis non facillime intelliget? Praesertim cum nulla alia rationabilis caussa in promptu sit, quare Capellani majores, sic olim Regibus ipsis adhaeserint, ut eos quocumque pergebant, comitarentur, ut alibi observavimus.

At vero istiusmodi privilegium non desinebat in regem, sed ab eo non secus, quam par erat, in Aulicos effundebatur, et Milites. Utrique enim arctissimo nexu regibus adstringuntur, et unum cum ipsis veluti corpus compingunt. Quo spectat Lex quisquis Cod. ad Leg. Jul. Majest. *ubi familiares Principis seu Curiales censentur esse pars corporis Principis*. Hinc non mirum, quod ab ipso Siculi Regni primordio Aula, et Militia ceu corpus Principatui cohaerens, nemini praeterquam Capellano majori, et quidem ubique gentium addictum fuerit, ut ex Benedicti XIV. Bulla *Convenit*, inconcussa argumentatione colligitur.

Et sane ibi enarrantur, et a Pontifice rata habentur antiqua jura, et facultates, quibus usi fuerant Capellani majores Neapolis, quemadmodum ex toto ipsius Bullae contextu apparet. Et inter alia illud, quod rei caput est,

Digitized by Google

luculentis verbis exprimitur, dictos videlicet Capellanos majores a sui principio episcopalem in Aulicos, et Milites, ubicumque etiam itineris vel bellicae expeditionis causa versarentur, exeruisse potestatem. Atqui hujusmodi Sacra potestas, et jurisdictio, a Capellano majore Siciliae, tamquam a priore fonte manavit. Postquam enim Carolus Andegavensis ex Provinciis ultra pharum Neapolis regnum coagmentavit, cum regia ejusdem regni Capella novus emersit Capellanus major. Id ipsimet Neapolitani Scriptores ingenue fatentur, inter quos Petrus Giannone lib. XXI. C. V. scribit, Capellanum majorem Siciliae, Neapolitano esse vetustiorem, et Neapoli regnante Carolo Andegavensi, audiri coeptum Magistrum Capellae Regis. Porro indubitatum est, hunc recentiorem Magistrum Capellanum sine particulari aliquo privilegio in scenam prodiisse, sed officium cum adnexis, juribus, et facultatibus asseruisse; prout a Capellanis majoribus Siciliae, quibus in Regno Neapolitano succedebat, sub Northmannis Suevisque Regibus exerceri consueverat, sibi proprium. Fatendum est igitur, Capellanum majorem Siciliae proprium totius Regiae Aulae, ac Militiae Episcopum extitisse.

Sed huic nostrae sententiae obluctari videntur Gregorii XI. ad Ubertinum Friderici III. Siciliae Regis Capellanum majorem litterae anno 1372 conscriptae. Quippe ibi Ubertino conceditur, ut Regi, et omnibus, qui Regiam Curiam sequebantur, nullius Parochi, vel Episcopi petita licentia, Sacramenta quaelibet conferre posset. Verum ab eo facilis est, et expedita defensio. Pontificium nempe rescriptum non ita est intelligendum, quasi insuetam Capellanus major de Apostolicae Sedis indulgentia facultatem acceperit circa res sacras. Enimvero parum est verosimile, Petrum Blesensem virum doctum, qui et multum temporis in Sicilia exegerat, et Aulae nostrae mores probe cognitos habebat, tam turpiter errasse, ut pastorale munus, cujus expers erat, Guillelmi II. Capellano mejori appingeret. Erant igitur Capellani majores in Regno Siciliae Episcopi Aulae, eoque nomine suapte auctoritate Sacramenta omnia Regi, atque Aulicis administrabant, vel per alios Presbyteros seu Capellanos inferiores administranda curabant. Interim Regno intestinis bellis exagitato, et pontificiis diris etiam involuto, justa esse potuit Ubertino caussa petendi diplomatis, vi cujus ipsi dum munus explicare vellet suum, locorum Parochi, et Episcopi negotium facessere prohiberentur. De regiis igitur Capellis tam ambulantibus, quam permanentibus nulli subjectis loci ordinario, et unius Capellani majoris juri adscriptis, nisi simus pertinaces, vix possumus ambigere.

§. III.

Idem de Capellis permanentibus in genere confirmatur ex natura loci.

Praeter personarum conditionem, ut vidimus, Capellas permanentes natura loci exemptas, et Capellano majori constituebat obnoxias. Equidem praerogativa exemptionis propriique in Capellano mejore Pastoris Regi competens, non modo personas ei devinctas, quales erant, qui ab Aula, et Militia censebantur, sed etiam loca ipsa, quae ad Regem pertinebant, et Aulae, ac Militiae usui erant, amplectebatur.

Hinc omnes permanentes Capellae nullo Episcopis reservato jure, Capellanum majorem utpote loci ordinarium colebant, et observabant. Quo nomine anno 1424 cognitionem in quibuscumque regiorum Capellanorum caussis

adversus pan. dioecesis Vicarios D. M. de alto fonte Abbas, et Capellanus major sibi propriam vindicavit: illud addens, a tempore, cujus initii memoria non extabat, Capellanos tam palatinae quam aliarum regalium Capellarum, de sacra Capellani majoris jurisdictione existere, nec alium eis competere posse Ordinarium (*Dipl. C.*). Hoc vero nomen ex nova disciplina cadit in eos, qui episcopalem jurisdictionem in loco obtinent. Congruitque adeo non modo Episcopis, verum etiam Praelatis inferioribus, qui territorium habent a quacumque dioecesi separatum, in quo iis exceptis, quae ex ordine pendent, episcopalia jura explicant. Vide Card. Petra ad Constit. IV. Callixti III. Sect. I. Tom. V. et Benedictum XIV. de Synodo lib. II. C. II. Igitur Capellae permanentes eo usque natura loci exemptae, immo ab Episcoporum dioecesibus exclusae, ut Capellanum majorem pro loci ordinario haberent, et recognoscerent.

Confirmat hoc vel maxime, quod permanentes Capellae cum adnexis Palatiis Castellis, Oppidis, Arcibus etc. territoria erant omnino separata, et ordinario Capellani majoris juri transcripta. Siquidem ex una parte non solum Regi, Aulae, ac Militiae inserviebant, sed etiam cujuscumque generis personis, quas materialis istiusmodi locorum ambitus comprehendebat. Licet enim non omnes paroeciales essent, Sacerdotibus interim per Magistrum Capellanum ad Sacramenta cunctis eo residentibus administranda, facultate auctis instruebantur. Quo sensu Capellae seu Ecclesiae Palatiorum, Castrorum, Terrarum etc. in monumentis dictae videntur (*Dipl. XLVI. et LXXIII*). Ex altera parte certum est, Populum semper paris esse conditionis cum Ecclesia, cui sacris imbuendus addicitur.

Satis ergo persuasum esse debet, permanentes Capellas cum ipsis, quibus cohaerebant, locis, territoria fuisse a quacumque dioecesi sejuncta, et ordinariae Capellani majoris potestati subjecta, ipsius rei natura exigente, ut privilegium Regis loca etiam regia complecteretur. Sed haec ex iis, quae de Capellis permanentibus in specie mox dicturi sumus, luculentiora evadent.

CAPUT III.

Peculiaria exhibet argumenta exemptionis, subjectionisque Capellarum permanentium in specie Capellano majori tanquam loci ordinario.

§ I.

Agitur de palatina S. Petri Capella, ejusque suffraganeis.

Plurima, praeter generalia, quae percensuimus, argumenta particularia palatinam S. Petri Capellam in antiquo suo statu probant exemptam. Et I. quod ab Rege Rogerio ea lege fundata fuerit, ut in ea sibi aliquid vindicare, nulli nisi per eum, et ejus in Regno Successores liceret (*Dipl. VII*) II. Quod cum toto Regali Palatio, et Castro superiore, territorium a dioecesi omnino separatum etiam ex concessione Pan. Antistitis evaserit, de qua re inferius. III. Quod Pan. Ecclesiae, ac Palatinae Capellae Clerus inter se distinguerentur (*Dipl. XXXII.*). Non enim distinguendi fuissent, quando uterque pariter in Pan. Praesulis dioecesi, et jurisdictione subsisterent. III. Quod de legatis piis ex Domesticis sacri Palatii extra illud obeuntibus, quarta pars Palatinis Canonicis deberetur (*Dipl. XXXVIII.*).

Quod sane regiam Capellam non modo exemptam, verum etiam Cathedralibus Ecclesiis praestat assimilem. Nam C. cum conquerente de Off. Ordin. et Concilium Tridentinum Sess. XXIV. C. III. de quarta relictorum ad pias caussas Episcopis attribuenda statuunt.

Plura similiter ex antiquis monumentis argumenta suppetunt, quae S. Petri Capellam sub ordinario Capellani majoris jure constitutam ostendunt.

Primum argum. Ad Capellanum majorem proprio jure spectabat in magnis solemnibus in Capella sacri Palatii rem divinam facere, ita ut alii cuiuscumque dignitatis Praelato id sine illius venia, neutiquam permitteretur (*Dipl. XI.*). Ergo Capellani majoris officio ordinaria insita erat in Regiam Capellam jurisdictio. Quippe in Ecclesia parocciali, ubi Collegium curam habitualem gerebat, et Cantor, seu Vicarius perpetuus illam administrabat, Missae solemnia exequi, Capellano majori, nisi loci ordinarius existeret, haud licuisset. Id siquidem in quavis inferiori Ecclesia nec ipsis fas est Episcopis, nisi tamquam supremis Pastoribus, ad quos jus sacrorum in tota dioecesi pertinet. Praeterea per Capellanum majorem, si quando ordinaria potestate carebat, neque annui potuisset cuicumque Praelato in eadem Capella solemniter, et cum usu pontificalium sacris operari. Nulli videlicet, praeterquam Episcopo, et loci ordinario de jure competit, alienis Praelatis dare veniam, ut pontificalia explicent.

Secundum argumentum. Capellani majores vi suae dignitatis, et officii palatinam Capellam visitabant, ejusque Canonicorum, et Clericorum excessus corrigebant, et emendabant (*Dipl. XI.*). Et quamvis protestati sint anno 1332 Cantor, et Canonici, se Damianum de Palitio Visitatorem admittere, non uti Magistrum Capellanum, *sed quia de mandato Regis, cui subest Regia Capella, procedit visitatio, et inquisitio* etc. nihilominus ecquis illos reprehensione dignos non facile existimaverit? Nam Capellanus major in Capella Regis, qui erat ejus ovis, non delegatam sed propriam, et officio suo insitam exercebat jurisdictionem. Eratque ibi veri nominis ordinarius, quemadmodum de eo non modo Abbatis D. M. Alti fontis, sed etiam Regis Martini luculenta est auctoritas, uti mox adnotabimus. Itaque jus visitandi Regiam Capellam, eique obreptos abusus reformandi, Capellano majori congruebat, non equidem ex mandato Regis, hoc est ex delegata, et Vicaria jurisdictione, sed tamen ex officio, cui episcopalis cura inerat, atque adeo proprio, et ordinario jure, ut ab ipso Damiano de Palitio expressum in ipsa Canonicorum protestatione legitur.

Tertium et postremum argumentum. In caussis omnibus Canonicorum, sacri Palatii penes Capellanum majorem erat juris dicundi potestas. Hinc Bartholomaeus Antiochenus vertentem inter palatinum Canonicum, et Clericum controversiam, non tamquam pan. Archiepiscopus, sed utpote Cappellanus major dijudicavit (*Dipl. XXXIV.*). Et Rex Martinus ad Pan. Antistitem scripsit, ne in caussas palatinae Ecclesiae Canonicorum sese interponeret, quod eos coram Magistro Capellano utpote ordinario suo in quibuscumque actionibus conveniri, et rei natura, et antiqua pariter, ac laudabilis posceret consuetudo (*Dipl. XCI*).

Itaque Capellanus major tamquam loci ordinarius Canonicorum, et Clericorum palatinae Capellae qualiscumque caussas cognoscebat; et spirituales quidem jure, quod ipsius officio proprium, et intrinsecum erat, temporales vero jure, quod eidem officio extrinsecus adveniebat, ex privilegio videlicet Regni Praelatis a legibus concesso, ut alias diximus. Neo obstat, Fridericum III, in caussis civilibus, et criminalibus dictorum Canonicorum et Cle-

ricorum Cantori Francisco da Vitali jurisdictionem delegasse (*Dipl. LXVI.*). Id enim extra ordinem factum debet existimari, cum talis etiam jurisdictio in explicato sensu Capellani majoris officio adhaeresceret.

Quibus rebus expositis, illud reliquum est, ut Palatinam Capellam cum regio Palatio, et Castro Superiore, territorium a Pan. dioecesi separatum, et ordinario Capellani majoris juri addictum fuisse statuamus. Quod quidem nedum ex dictis debet intelligi, verum etiam ex Petri Archiepiscopi, et Canonicorum concessione fit manifestum.

Ac certe regium Palatium, et Castrum superius cum toto materiali, et formali eorum districtu praefatae Capellae in Paroeciam assignant (*Dipl. VI.*) Paroeciae vero nomen ea tempestate non plurium domorum viciniam, et circumhabitationem, hoc est Paroeciam in sensu hodierno, sed potius episcopalem dioecesim etiam apud nos connotabat. Unde in privilegio, quod Pirrus exhibet in Not. Eccl. Cat. ad ann. 1091. Comes Rogerius, quas nunc dioeceses dicimus, *Parochias* adpellat. *Per diversa*, inquit, *Siciliae loca Ecclesias aedificavi jussu Summi Pontificis apostolici, et Episcopos ibidem collocavi . . . . . Unicuique autem Episcopo parochiam suam dedi etc.* Praeterea clarissimis verbis in sua concessione testati sunt Archiepiscopus, et Canonici, sese eo libentius regiae petitioni annuisse, ut eximiis, quibus ab eo cumulati fuerant, beneficiis responderent, ac satisfacerent. Atqui si *Parochiae* vocabulum, prout hodie sonat, adhibuissent, nullam regi gratiam reddidissent, immo suae potius utilitati prospexissent, Palatii Capellam sui juris efficiendo contra voluntatem Regis, qui eam expressa fundationis lege, suo suorumque haeredum juri adscripserat. Denique etsi *Parochiam*, prout haec in praesens a dioecesi distinguitur, praedicti Archiepiscopus, et Canonici palatino Sacello attribuere intenderint; quod pro confesso haberi nolumus, parum refert. Quippe in hac etiam hypothesi verum erit, Palatinam Capellam cum toto regii Palatii, et Castri superioris ambitu, territorium a dioecesi separatum, et ordinariae Capellani majoris jurisdictioni additum evasisse. Accedebat nimirum ad Ecclesiam et natura loci, et expressa fundatoris voluntate liberam, ut adeo principalis sui conditionem assumeret, sibique propriam vindicaret.

Nunc de Ecclesiis palatinae Capellae Suffraganeis, pauca subnectam. Quod enim cum suis beneficiis in sacri Palatii jurisdictione institutae in monumentis adpellentur (*Dipl. LXXXV. et CXXI.*) perinda est, ac si claris verbis aequa earum cum Capella, cui cohaerebant conditio et status exprimantur. Constat praeterea, istiusmodi Ecclesiarum, aeque atque aliarum regalium Capellarum Beneficiarios in quibuscumque caussis Capellano majori subditos fuisse, quemadmodum in laudatis Alti fontis Abbatis ad Pan. Vicarios litteris comprehensum est. Non secus igitur atque ipsa Palatina Capella Ecclesiae omnes ei suffraganeae cum adnexo quaeque loci ambitu ad propriam Capellani majoris quasi dioecesim spectabant, et ordinario ejus juri suberant.

§. II.

Agitur de Ecclesia et Regia Capella Oppidi Calaxibettae.

Sequitur, ut de Ecclesia S. Petri Terrae Calaxibettae in specie disseramus. Cujus Ecclesiae omnimoda exemptio, et ordinariae Capellani majoris potestati subjectio, ex illo cumprimis evincitur, quod de caussis omnibus, et juribus ad illam spectantibus, Capellani majoris erat proferre sententiam. Hine

Digitized by Google

enim Fridericus III. Capellano majori, an Thomas Caropipi in Terra Paternionis Archipresbyter paroeciale beneficium S. Petri Calaxibettae absens jure retineret, decernendum commisit (*Dipl. LII.*). Et absoluto judicio beneficii jure illum privavit (*Dipl. LVII.*). Praeterea Rex Martinus Catanensem Episcopum, quod Presbytero Andreae de Panormo idem beneficium ademisset, gravissimis verbis reprehendit, Capellano majori simul demandans, ut Beneficiarium cum suis juribus universis strenue defenderet, ac tueretur (*Dipl. LXXIX.*). Ergo Ecclesia et regia Capella Terrae Calaxibettae de Cat. Praesulis jure exempta erat, omnemque jurisdictionem, quae Praelatos decet ordinarios in ea Magister Capellanus explicabat.

Porro eamdem Ecclesiam cum toto praedictae Terrae districtu, territorium fuisse a Cat. dioecesi prorsus disjunctum et ordinario Capellani majoris juri attributum, evidentius est, quam ut locum dubitationi relinquat. Nam I. ille districtus paroecialem ipsius Ecclesiae ambitum constituebat, atque adeo alium ab eo, qui eidem Ecclesiae proprius erat, ordinarium Praesulem habere nequibat. II. Capellani majores in ea Terra non solum Procuratores designabant, qui fructus et redditus administrarent suos (*Dipl. LXVI.*), verum etiam Vicarios, qui sacrae jurisdictioni praeessent (*Dipl. LXV.*). III. *Quia totus Clerus et Populus ejusdem Terrae sub gubernatione, et spirituali cura Magistri Capellani fuerant, et erant soliti permanere;* ab Rege Friderico III. Fr. Simoni de Leontino uti Magistro Capellano, reverentiam et obsequium praestare jubentur (*Dipl. LVI*).

Quamobrem cum lapsu temporis Cat. Antistites Calaxibettam juri suo adscripserint; Seren. Infanti Petro supplicem libellum obtulit saepius laudatus D. M. de Alto fonte Abbas, et Capellanus major. Quo libello probe ac merito petiit, se in illius possessionem immitti, eo quia in dubium revocari non possent duo. Primum, quod ea Terra in spiritualibus ad Magistrum Capellanum pertinuisset, ac pertineret. Secundum, quod Catanensis Episcopi tempore intestinarum discordiarum, et bellorum, quae Regnum sus deque verterant, abutentes illam indebite, et inique sibi occupaverint (*Dipl. XCVIII.*).

Refert equidem Joannes Baptista de Grossis in sua Catana sacra, semel, iterum ac tertio idest anno 1333 1358 et 1379 caussam de jure Terrae Calaxibettae inter Magistrum Capellanum, et Cat. Episcopos agitatam, totidemque vicibus pro Episcopis fuisse definitam. Sed haec fabella audaci quadam temeritate ex hactenus dictis et conficta proditur, et minimo negotio refellitur; ut adeo manifestum sit, propitia usos tempestate dioecesis ordinarios in alienam jurisdictionem irruisse.

§. III.

Agitur de Ecclesia S. Luciae.

Plurima eademque maxima ad Ecclesiae S. Luciae plenissimam exemptionem, et ordinariam Capellani majoris in ea jurisdictionem adstruendam, argumenta ex monumentis eruere possumus.

Ordiar autem ab eo, quod Ecclesia S. Luciae tamquam regia Capella regi suberat (*Dipl. XXXIX.*). Hinc enim consequens erat, ut nullum admitteret loci ordinarium praeter Capellanum majorem, utpote quem Reges per liberam officii collationem omnibus Capellis suis Palatinis, Castrensibus, et Ruralibus praeficiebant. Sane haud sustinuit Rex Martinus Fr. Philippum

Ferreri regiae Capellae Magistrum, uti Pactensem Episcopum pro solvendis oneribus Pactensi Ecclesiae impositis a Presbyteris S. Luciae subsidia extorquere: *In quantu* (regii diplomatis verba sunt) *li ditti Presbiteri di S. Lucia su de numero, et subjetti alla nostra regia Cappella, et per consequens non subjetti a diocia alcuna . . . Che se avissiru a contribuiri; fora in la nostra regia Cappella, e per lu nostru Mastru Cappillanu etc.* (*Dipl. XC.*). Neque passus est Rex Alphonsus Messan. Antistitem Clericos S. Luciae Capellanos regios a foro et jurisdictione illius exemptos, et Magistro Capellano subjectos ad collectas persolvendas cogere. Nam Praesuli edixit, ne praefatos Clericos ulteriori molestia afficeret, nec suo juri subjungere auderet, sed eos ad Magistri Capellani jurisdictionem remitteret (*Dipl. CVIII.*).

Porro Ecclesiae S. Luciae Capellanos majores tamquam loci ordinarios praefuisse, manifestum est. Hinc enim illius Beneficiarios confirmabant, si quando reges non collationis, sed merae praesentationis formulas adhibuissent (*Dipl. LXXXIV.*). Deinde etiam dictae Ecclesiae beneficium conferebant in casu, quo primo vacasset, postquam quis de beneficio regii patronatus juris primo vacaturo, gratiam, quam expectativam vocant, ab regibus obtinuisset (*Dipl. XCVII.*).

Totum praeterea Terrae S. Luciae districtum, seu territorium a quacumque dioecesi separatum Magistri Capellani ordinario comprehensum jure fuisse, non solum ex eo apparet, quod Terra, et Paroecia S. Luciae eosdem habebant limites, verum etiam tam multis et perspicuis suadetur argumentis, ut ea vel cursim ac festinanter, satis fuerit indigitare.

I. Ubi quis regiae Capellae Magister designabatur, peculiares ad Clerum et Populum Terrae S. Luciae, ac S. Philippi de plano Milatii litterae mitti solebant, ut datum sibi Praesulem agnoscerent, eique obedientes sese praeberent (*Dipl. L.*).

II. Capellanis majoribus tamquam loci ordinariis de territorio S. Luciae temporales fructus, et redditus obveniebant, quorum solutio, cum occasio postulabat, regiis jussionibus urgebatur (*Dipl. LXVIII.*).

III. Totius Terrae S. Luciae Laici, et Clerici Capellano majori ex privilegio et antiqua consuetudine subjecti erant, nec coram alio in spiritualibus, et temporalibus negotiis impeti poterant. Unde ob defectum Capellani majoris certa de caussa nondum electi, Regina Maria binos in Terra praedicta Vicarios instituit, quorum alter sacrae, alter civili jurisdictioni praesideret (*Dipl. LXXIII. et LXXIV.*).

IV. Ipsimet Capellani majores, ut qui Aulam sequebantur, neque in diversis Ecclesiis adsidui esse poterant, Vicarios in Terra S. Luciae constituebant suos, qui utramque jurisdictionem administrarent. Ita Fr. Philippus de Ferrerio Episcopus primum Pactensis, inde Agrigentinus, et Capellanus major vices suas in ea Terra demandavit Presbyt. Bartholomaeo lo Presti, quem illo vita functo Prorex in Vicariatus possessione reliquit (*Dipl. XCVI.*).

V. Magistris Capellanis utpote loci ordinariis etiam competebat S. Philippi de plano Milatii regios Beneficiarios instituere, siquando reges obliterato collativo suo jure non conferebant, sed nominabant. Uti Rex Martinus, qui Thomam de Bufalis elegit S. Philippi Beneficiarium *per Magistrum Capellanum canonice confirmandum* (*Dipl. XCIII.*).

VI. Capellani majores tamquam Praelati nullius cum territorio separato, et quasi episcopali jurisdictione, a Messanensi Antistite jure poscebant, ut incolis S. Luciae chrisma, et ordines conferrent. Qua de re scripsit ad praefatum Archiepiscopum Rex Alphonsus, laudabilem consuetudinem, quae sa-

Digitized by Google

lutem spectabat animarum observari praecipiens (*Dipl. CVIII.*).

VII. Tandem Capellani majores utpote ordinarii Praelati Terrae S. Luciae poenis et censuris ecclesiasticis in contumaces animadvertebant. Quamobrem cum Terrae illius Officiales laici poenas a Magistro Capellano eis ob violatam ecclesiasticam immunitatem impositas contemnerent; Viceregio chirographo ipsis denuncietum fuit, Capellanum majorem in spiritualibus habere sibi subjectam Terram S. Luciae, ibique a tempore immemorabili episcopalem jurisdictionam obtinere: nec non Straticoto Messenensi praescriptum, ut repressa inobedientium audacia, illius in eadem Terra sacram potestatem revereri faceret (*Dipl. CXVI.*).

Quae cum ita sint, de Ecclesia et territorio S. Luciae a quacumque dioecesi distinctis, et Capellani majoris ordinariae auctoritati subjunctis, erit omnino consentiendum.

§. IV.

De Castrorum Ecclesiis, ubi de Troinensi Ecclesia, deque Monasterio de Basicò Messanes.

Castrensium Ecclesiarum omnimoda exemptio, et Capellani majoris ordinario juri attributio his etiam particularibus argumentis evincitur. I. Istiusmodi Ecclesiarum Capellani omnes nulli obaudientes Episcopo sub cura, et gubernatione venerabilis Magistri Capellani existebant. Cujus rei ipsissimis verbis declarandae caussam praebuerunt Constantiae Imperatrici, et Reginae Siciliae Mess. Archiepiscopus ejusque Vicarius generalis, qui Presbyt. Petrum Moraldo Capellanum Castri ad mare Messanae suae adnitebantur jurisdictioni subjicere (*Dipl. XX.*). II. Castrenses omnes Ecclesiae ejusmodi conditionis erant, ut de jure non locorum Episcopis, sed Capellano majori addicerentur. Quod de ipsa Ecclesia Castri ad mare Messanae testatum dedit Rex Ludovicus Messanensi Archiepiscopo expresse mandans, ut ab ea ordinariae suae potestati adscribenda desisteret (*Dipl. XLIII.*). Jamvero easdem Ecclesias cum clausarum arcium, quibus haerebant, ambitu a circumjacentibus dioecesibus fuisse distinctas, et Capellano majori ceu loci ordinario subjectas, manifestius est, quam ut in dubium revocari possit. In eum quipe finem extruebantur, et Capellani majoris quasi dioecesi accrescebant, ut praesidiario Militi, et personis aliis ibidem commorantibus aut veri nominis paroeciae, aut paroeciarum loco essent.

Ad Troinensem Ecclesiam quod attinet, translata ipsius episcopali Sede Messanam, haud sane erat, quod in Mess. Praesulis manu persisteret. Siquidem a Comite Rogerio in Castro Troinae, et in suum suaeque familiae usum condita fuerat, uti jam diximus. Id satis animadversum atque adnotatum sero tandem effecit, ut in pristinam status sui conditionem rediret, caeteris accensita Capellis regiis, quae ad Magistri Capellani jura pertinebant. Sane Mess. Antistitem Rex Martinus a solicitando ulterius Presbyt. Nicolaum de Castello dictae Ecclesiae Praepositum omnino prohibuit, interdicti sui rationem proferens his verbis. *Quia beneficium praedictum, ejusque collatio ad nos de jure, uti Capellae nostrae pertinet, et spectat, et sub nostra, nostrique Magistri Capellani permanere debet jurisdictione*. Qua de caussa et Magistro Capellano in mandatis dedit, ut praefatum Presbyterum defenderet, eique beneficii sui redditus, et proventus ex integro faceret responderi (*Dipl. LXXIII.*). Habes igitur Troinensem Ecclesiam de Mess. Archiepiscopi potestate exemptam, et more regiae Capellae in regis, et Capellani majoris jure constitutam.

Nec dubitandum est, cum dicta Ecclesia Civitatem ipsam Troinae ordinario dioecesano subductam fuisse, ac Magistro, Capellano tamquam proprio suo Praesuli, adjudicatam. Rogerius enim illam instituit, non modo ut suum esset, ac suae familiae privatum oratorium, sed etiam uti publicum ac paroeciale templum, in quo Christi fidelibus ecclesiastica Sacramenta porrigerentur, et cunctis Infidelibus Sacrosanctae Catholicae Fidei dogmata praedicarentur, ita ut ex verbi Dei ministerio Christianum genus incrementum acciperet (*Dipl. II.*). Hinc Troinensis Ecclesia unica fuit olim, ut est hodie Civitatis illius Paroecia, quemadmodum Ill. Dom. D. Angelus de Ciocchis in actis suae visitationis indicat in haec verba: *Ea est unica Civitatis Paroecia, licet pro commodiori Sacramentorum administratione, quatuor habeat per Civitatem Ecclesias Sacramentales, seu, ut dicuntur Vice-parochias.*

Ad Coenobium S. Clarae de Basicò Messanae duo spectant rescripta alterum Regis Ludovici, alterum Reginae Elisabethae matris. Satagebat Mess. Pontifex non modo Ecclesiam Castri ad mare, sed etiam Coenobium hoc suo juri transcribere. Ergo Rex Ludovicus ad eum rescripsit in hanc sententiam; id maxime mirum sibi accidere, cum apostolico ex privilegio in dictam Ecclesiam, et Coenobium nihil reservatum sit loci Episcopo, sed omnis jurisdictio ad Magistrum Capellanum referatur. Quocirca caveat, ne quid simile amplius attentare praesumat, quoniam sua regia jura proscindi ac minui nulla ratione pateretur (*Dipl. XLIII.*). His fere consonant, quae in laudatae Reginae ad praefatum Antistitem litteris habentur (*Dipl. XLIV.*).

Itaque praedictum Monasterium tamquam regiae Capellae membrum Capellano majori suberat, utpote quem ordinarium Praelatum omnes regiae Capellae sibi proprium adserebant.

§. V.

Capellani majoris in regias Capellas jurisdictionem ex dictis explicat, et illustrat.

Quae hactenus exposita sunt, quasi Episcopalem in omnes regias Capellas jurisdictionem Capellani majoris officio insitam ostendunt.

Nam I. Sacro et in Aula, et in Castris ministerio praeerat. II. Nullius requisita licentia Sacramenta Regibus ubique locorum administrabat. III. In majoribus Palatinae Capellae solemniis proprio jure sacris operabatur. IV. Pro suo arbitrio celebrandi in eadem Capella alienis Praelatis veniam dabat, et pontificalium usum annuebat. V. Regiarum Capellarum Beneficiarios instituebat, si quando Reges de suo jure decedentes, merae praesentationis verba usurpabant. V. Collationis etiam jure utebatur, siquis ad beneficium regii patronatus juris primo vacaturum consequendum gratiam ab regibus expectativam obtinuisset, et aliquod ad regiam Capellam pertinens primo vacasset beneficium. VI. Capellanos inferiores ad Sacramenta Aulae ac Militiae omnique populo regiis Capellis addicto administranda adprobabat. VII. Capellas regias cum ordinaria potestate adibat, eisdemque obreptos abusus corrigebat, et emendabat. VIII. In quibuscumque caussis, quae ad regias Capellas, earumque Administros spectabant, jus dicebat. IX. Subditis suis dimissorias ad ordines suscipiendos litteras concedebat. X. Sacra olea pro suae quasi dioecesis baptizatis confirmandis, infirmisque ungendis a vicinioribus Episcopis postulabat. XI. Poenas et censuras ecclesiasticas pro re nata intentabat, ac decernebat. Uno verbo exceptis iis, quae episcopalem characte-

Digitized by Google

rem requirunt, quaecumque juris sunt episcopalis in sua propria quasi dioecesi Praelatorum nullius more explicabat.

Haec autem jurisdictio pro diversa Capellarum ambulantium, et permanentium natura in Capellano majore duplex erat. Una siquidem certas personas, non certa loca, altera e contrario certa loca, non certas personas sibi vindicabat. Nempe Capellani majoris in Capellas ambulatorias jurisdictio nullis locorum finibus erat interclusa, tantum eos attingens, qui regem et signa sequebantur. Quare loca ipsa intacta relinquendo, personas sibi devinctas quocumque ibant, directe afficiebat. Ipsius vero Capellani majoris in Capellas permanentes jurisdictio nulli certo personarum generi addicta, quantum erat hominum ibi domicilium habentium complectebatur. Qua de caussa multarum quoque regionum Clerus, et populus universus Capellano majori subdebantur.

Equidem ex dictis evidens fit, Capellanum majorem Siciliae non tantum Aulae, sed etiam militiae ac plurimarum reginnum Episcopum extitisse. Namque Militia sive in stationibus, sive in bellicis expeditionibus, Terra Calaxibettae, ac S. Luciae cum suis oppidis, et pagis, quin etiam Civitas ipsa Troinae, sub ejus episcopalem potestatem concedebant. Quo videas, Northmannos Principes ad normam Archicapellani Regum Francorum, instituisse in Sicilia Capellanum majorem Episcopum Aulae; atvero latius quam apud Francos, inter nos Capellani majoris patuisse jurisdictionem. Quod enim ex militaribus illius Regni copiis, aut civitatibus et oppidis amplificata fuerit Archicapellani dignitas et potestas, nulla quae hactenus perlegerim, historica produnt monumenta.

SECTIONIS I. ALTERA PARS.

De regiae Capellae Siciliae exemptione, et Capellani majoris in eam jurisdictione, in suo statu novo seu collabente.

CAPUT I.

Caussas enarrat, unde S. Lucia Capellani majoris sedes evaserit, ejusdemque Praelati aruerit amplissima jurisdictio.

§. I.

Quare Capellani majores suam in S. Lucia sedem fixerint.

Prima sane ratio, quare Capellani majores in oppido S. Luciae sese continuerint, ex regum e regno absentia repeti debet. Cum enim obitu Martini Junioris Regum Siculorum series defecisset, illis Aulae vinculo exsolutis integrum fuit, ubi vellent, proprium sibi domicilium constituere. Equidem decuisset, ut Panormi, quae Regni caput, et Proregis et curiae sedes erat, subsisterent, ac permanerent. Sed eos fortasse alio miserrimus palatinae Capellae status avocabat. Siquidem ea tempestate dispoliata bonis omnibus, unde suos congruis pensionibus aleret Administros, ex intervacante sacrorum celebratione, nonnisi orbitatem et luctum praeseferebat. Ergo Capellani majores libentissime praefatum oppidum frequentare coeperunt, ubi Templum extabat satis conspicuum, et Sacerdotum ministeriis excultum, in quo velut in sua Cathedrali Ecclesia, quae muneris sunt episcopalis convenientius exequerentur. Sane Capellani majoris in Ecclesia S. Luciae assiduitatem comprobat,

Digitized by Google

quod caput dicti officii, et dignitatis extiterit (*Dipl. CXVII.*).

Legitima deinde ratio subiit, quare Capellani majores in S. Lucia potius, quam alibi degerent. Nempe ab anno 1505 quo Joanni Michaeli Mayo id officium, ac paroeciale S. Luciae beneficium conferri accidit, diu simul consociata perstiterunt. Et si quando Summi Pontifices ob pacta et resignationes, unde sacros canones relaxari opus erat, dictum officium nulla beneficii facta mentione concedebant; id sane probat, quod alterum sub alterius conceptu, et notione amplexabatur. Nam praeter Capellanum majorem non habebat Ecclesia S. Luciae veri nominis Parochum, sed pluribus instructa erat Sacerdotibus, qui communiter, et vicissim Sacramenta populo administrabant, uti regius Visitator Franciscus Vento adnotavit (*Dipl. CXLIV.*). Praeterquam quod beneficii census Capellano majori obveniebat, quemadmodum non modo laudatus Vento, sed etiam regii pariter Visitatores Jacobus Arnedo, et Franciscus de Puteo testatum reliquerunt (*Dipl. CXLV. CXLII. et CXLVII.*).

Itaque ad voluntariam Capellani majoris in Ecclesia S. Luciae adsiduitatem, vinculum quoque juris accessit. Praesertim post publicatos ea de re Concilii Tridentini Canones, Sess. VI. de Ref. C. 4 et Sess. XXIV. de Ref. C. 17, et regiae visitationis Francisci de Puteo decretum, quod Capellanos majores perpetua in eadem Ecclesia morandi lege adstrinxit (*Dipl. CXLVII.*) quamquam non subito ei se legi submiserint, sed ab anno 1611 post latas videlicet sententias, quae ipsis un. 7 600 quolibet anno solvendas decimarum loco assignarunt (*Dipl. CLXVII. et CLXVIII.*).

§. II.

Quibus etiam de caussis Capellani majores a pristina sua jurisdictione desciverint.

Etsi Capellani majores in Ecclesia S. Luciae subsisterent; non inde tamen consequens erat, ut in aliis regiis Capellis jurisdictione sua prohiberentur. Sane Capellani majoris Regni Siciliae titulum conservabant, ut Summorum Pontificum rescripta, et regiorum Visitatorum acta testantur. Huic autem titulo non inclusa S. Luciae ambitu, sed in omnes regias Capellas extensa congruebat jurisdictio. Insuper Pontifices Capellani majoris officium conferebant *in loco S. Luciae, vel alibi*, ut est in Bulla Pauli III. pro Hieronymo Zaffarana (*Dipl. CXLIII.*): *itemque cum omnibus et singulis juribus, jurisdictionibus privilegiis, praeeminentiis, facultatibus et indultis, ac pertinentiis suis etc.* ut in Bulla Gregorii XIII. pro Petro de Manriquez legimus (*Dipl. CXLIX.*). Et denique certum est, Capellanos majores, ex quo in S. Lucia subsidere coeperunt, usque ad longum tempus jurisdictionis suae amplitudinem retinuisse. Namque anno 1535 adhuc Episcopi Aulae reputabantur: quo nomine Hieronymus Zaffarana S. Luciae Abbas, et Capellanus major honorem consecutus est, Carolo V. Caesari per id temporis inserviendi, quo in Sicilia substitit (Vide Amicum in Not. Capell. maj. apud Pirrum Tom. II.). Deinde adhuc anno 1540 Capellanos regios ab ordinariis exemptos in quibusvis caussis sibi deditos habebant Capellani majores, quod eorum etiamtum vigentem in Capellas omnes regias enunciat jurisdictionem (*Dipl. CXL.*).

Sic igitur mea est ratio, et sic animum induco meum, ut putem, multo magis quam recessum in S. Lucia, Capellani majoris officio nocuisse externos homines, quibus Hispanicae dominationi subjacente Sicilia, diutius committi consuevit. Tales fuere Dalmatius Tolosanus, Joannes Michael Mayo, Ja-

Digitized by Google

cobus Conchilles, Didacus Herrera, Clemens Mayo, Petrus Manriquez, et Joannes Espinar. Qui cum Hispani essent, et in Hispania degerent, per Vicarios interim in S. Lucia constitutos munus administrabant. Et qui fieri poterat, ut mercede conducti Vicarii muneris dignitatem atque auctoritatem sustinere aut possent, aut omni ope contenderent?

Perniciem illustravit eventus: nam Capellani majoris jurisdictio exaruit, et intra S. Luciae confines limitata permansit, uti mox demonstrabimus.

CAPUT II.

De protrita et quasi ad nihilum redacta praeterquam in Ecclesia S. Luciae Capellani majoris jurisdictione.

§. I.

Lapsam exhibet Capellani majoris in Capellas ambulatorias jurisdictionem.

Capellanis majoribus Ecclesiae S. Luciae perpetua lege alligatis, omnis de facto interiit eorum in reliquas Capellas regias pristina jurisdictio.

Et sane ad Capellas quod attinet ambulatorias, quae Aulam sequebantur; indubitatum est, Capellanis majoribus Panormo absentibus suffectos fuisse Magistros Caeremoniarum, qui Proregibus in publicis functionibus adessent. Unde mirari haud subit, Regnum pro Rege Philippo IV. moderante Seren. Dom. D. Joanne ab Austria ejus filio, vocatum non fuisse Martinum la Farina tunc S. Luciae Abbatem, Capellanum majorem, ut tamquam Episcopus Aulae regio saltem Principi assisteret, et officii sui partes exsolveret. Id enim occasionem praebuit Martino ad Principem recurrendi, et caussam suam eo successu vindicandi, quem postea explicabimus.

Praeterea si de Capellis loquimur ambulatoriis, quae Militiae observiebant; constat, sub Regibus Hispaniae Sicularum Triremium Capellanos in bellicis expeditionibus a Capellano majore Siciliae spiritualibus instrui facultatibus desuevisse. Cum enim dictae Triremes Hispanicae classi adscriberentur; consequens erat, ut ab ipso ejusdem Classis Vicario et illarum Capellani adprobati, Sacramenta Militibus administrarent. Itaque privilegia quae Hispanicae Classi Apostolica Sedes indulsit, quaeque ex Tom. II. manuscriptorum Chioccarellii, enarrat Joseph Carafa de Capell. Reg. Cap. IV. Episcopali jurisdictioni, quam Capellani majores Siciliae in Siculum exercitum actu militantem explicuerant, noxia evenerunt.

§. II.

Idem quoad ad Capellas spectat permanentes ostenditur.

Una tantum excepta Ecclesia S. Luciae, omnis exaruit in Capellis permanentibus Capellani majoris antiqua jurisdictio.

Troinensem Ecclesiam Archiepiscopi Messanenses periniquo animo a suo jura ferebant abalienatam; ut quae prima eorum Episcopalis Cathedra, et Sedes extitisset. Quo ergo tempore Capellani majores in Terra S. Luciae rusticari, atque otio indulgere videbantur, primus, ni fallor Messanensium Antistitum Antoninus Lombardo praedictam Ecclesiam in regiis computatam Ca-

pellis, suo suorumque Successorum juri vindicare constituit. Hinc anno 1593 tamquam loci ordinarius eam visitavit, uti praestant visitationis acta, quae hoc habent exordium. *Cunctis pateat, et notum sit omnibus, quod Ill. et Rev. Dom. D. Antoninus Lombardo Dei, et Apost Sedis gratia Archiepiscopus Messanensis, regiusque Consiliarius, visitaverit, prout ejus munus, et onus sit, civitatem Troinae, ejusque Matricem Ecclesiam sub titulo S. M. Assumptionis, sive de Stellis. Mess. dioecesis.* Ab eo igitur tempore Troinensem Ecclesiam Messanenses Antistites usque adhuc in suo jure retinent.

Sub regibus olim Aragoniis coeperant Catanenses Episcopi Ecclesiae ac regiae Capellae Oppidi Calaxibettae obrepere, sed irrito conatu, contra obnitentibus Capellanis majoribus, qui strenue sua jura tuebantur. Permutatis postmodum rebus, facile voti compotes evaserunt. Namque imprudenter, ne dicam impudenter putantes, Capellanos majores, quod sese in oppidum S. Luciae recepissent, reliqua suae jurisdictionis membra Episcoporum arbitrio permisisse, dictam Ecclesiam, ceu arcem ab hoste derelictam uno aditu, atque adventu occuparunt. Quo factum, ut eam seu per se, seu per Vicarios suos generales saepissime inviserint, et omnia episcopalia jura ibi deprompserint ad annum usque 1750 quemadmodum suo loco referemus.

Panormitani quoque Praesules Palatinam S. Petri Capellam, quasi proprio in perpetuum Pastore destitutam, et vacuam, ad se legitimo jure spectare arbitrati sunt. Nam et illius Canonicos, et Beneficiarios instituebant, eosdem ad excipiendas confessiones in dicto Sacello adprobabant, et vetitas nuptias permittebant iis, qui fixum habebant in sacro Palatio domicilium. Sed non est hic silentio praetereundum, quod hisce etiam infelicissimis temporibus, Palatina Capella originariae suae exemptionis non obscura vestigia, et monumenta servavit, quae sunt ejusmodi.

Cum anno 1525 Martinus de Antigverren Palatinae Ecclesiae Cantor stupri accusatus, inque Archiepiscopali curia conventus fuisset, per bullas apostolicas ab ordinaria jurisdictione declaratur exemptus. Superveniente anno 1584 controversia, eo quia Ordinarius regii Sacelli Canonicos volebat cognoscere, jussu Comitis Briatici degentis Messanae per litteras Joannis de Gradu tunc Regiae Monarchiae Judicis indictum fuit Ordinario, ne cum exemptis se interponeret. Praefatus quoque Judex in litigio Capituli Metropolitanae Ecclesiae ac Regiae Capellae circa praecedentiam declaravit, ut tam earum cruces, quam Canonici et Clerici juxta morem antiquum in supplicationibus pari passu procederent. Per idem tempus Pan. Archiepiscopus tunc Caesar Marullius contendebat Canonicos et Clericos palatinos sibi subjici in processionibus, et visitare regiam Capellam. Et quia reclamabant et obsistebant illius Canonici, et Clerici, eos prohibuit a confessionibus audiendis, et missis extra Sacellum celebrandis. Sed ex mandato Sacrae rituum Congregationis Cardinalium, se subscribente Cardinale Alexandrino Romae sub die 13 Octobris 1584 decretum fuit, ne molestentur in Confessionibus, et Missis. Permittente Cantore, et Capitulo Palatino ne regiae Capellae labefactaretur exemptio, licuit Pan. Archiepiscopo Didaco de Haedo anno 1593 in eadem Capella ordines conferre. Denique, ut alia praetermittam; anno 1598 injunxerat Regiae Monarchiae Judex Palatinos Canonicos post obitum Guillelmi Cantavena Cantoris, ne Sacramenta communiter administrarent, sed ab uno Canonico de Anastasio tamquam Ordinarii Vicario id munus exerceri sinerent. Mox tamen re melius perpensa interdictum delevit, et Canonici dictum de Anastasio elegerunt, qui vigore actus electionis Canonicorum suo functus est officio. Ex his evidens est, nativam Palatinae S. Petri Capellae exem-

Digitized by Google

ptionem pessumdari quidem potuisse, non autem oblivione conteri. Vide Pirrum in Not. Reg. Cap. cum addit. Mongitorii.

At vero Castrorum Ecclesias, ac militares copias a Capellani majoris munere abstrahi prorsus avellique contigit. Postquam enim ex codicillo Regis Philippi II. morientis anno 1598 constitutus est Hispanicae Militiae Capellanus major, huic cessit in Siculam aciem, et arces, stationes, et Hospitales domos eidem addictas sacra jurisdictio. Nec sane est, quod quis ea de re admirationem capiat. Quippe per summam injuriam Regno illatam, dum noster exercitus Hispanici pars censebatur, fieri aliter non poterat, quam ut totius Hispanicae Militiae Capellano majori adscriberetur. Quare istius in Sicilia Vicarii solebant institui, qui jurisdictionem in personas, et loca militaria expedirent. Quales fuerunt inter alios D. Raimundus Marton, et D. Joseph Naselli, quorum alter Carolo II. alter Philippo V. regnante, istiusmodi Vicariatus gessit officium (*Dipl. CLXXXIX. et CXCIX.*).

C A P U T II.

Quo successu Capellani majores jura sua persequi instituerint.

§. I.

De redintegrato Capellanis majoribus sacrorum in publicis regum vel proregum functionibus jure.

Martino la Farina, de quo superius facta est mentio, injucundum accidit, anno 1650 quo Joannes Austriacus paterna vice imperabat, eum non sibi honorem concedi, quem antecessor suus Hieronymus Zaffarana in Aula Caroli V. Caesaris dum in Sicilia constitit, fuerat consecutus. Petiit ergo, ut sibi Capellani majoris munus apud eumdem Seren. Proregem exequi liceret. Id enim nedum ad reges, sed etiam ad Regios Principes extendi, nec secus in regnis Lusitaniae, Neapolis, et Belgio cum Ducissa Mantuae, cum ipsomet Joanne ab Austria, et cum Cardinale Infante actum fuisse ostendebat. Itaque Martini petitio, eidemque addita Lucubratio, in qua rationum momentis, et exemplis jus suum propugnabat ad Benedictum de Trelles tunc regni consultorem transmissae fuerunt, ut ea de re cognosceret, atque ad Excellentiam suam de scripto referret.

Is responsum suum sub die 20 Maii anni sequentis protulit, in quo brevem, et meo judicio minus accuratam Capellaniae majoris Siciliae historiam clausit his verbis: *Ex hac itaque serie, atque enarratione clarissime apparet, quae sint officia majoris Capellani propria, ea quidem omnia, quibus in Belgio, Hispania, et Neapoli majores Capellani fruuntur, Magistri nempe Caeremoniarum, ac Judicis ordinarii in omnes regiae Capellae Ministros* (*Dipl. CLXXXV.*). Porro autem Seren. Princeps alium Consultorem Marchionem de Torralva sub die 27 Maii de caussae jure interrogavit: sed dum haec agebantur, a Regno discessit.

Sub ejus Successore Duce de lo Infantado, Martinus caussam diligentissime prosequi non destitit, et anno tandem 1655 pervicit. Nempe Viceregium obtinuit chirographum, quo Capellano majori ut in publicis functionibus Proregi adsit, et munus expleat suum fit facultas; simul et quaevis Ecclesia vel locus ubi E. S. solemni apparatu sacris intersit, regia Capella declaratur (*Dipl. CLXXXVI.*).

Hoc sane pacto praesente Rege aut Prorege Capellanis majoribus sacrorum jus adjudicatum, et restitutum est. Sed quoniam de honore personis regiis assistendi contendebant, eo sibimet adserto, ac reservato, Magistris Coeremoniarum minime obstiterunt, quominus viceregiam aulam sequi pergerent. Unde primus ab Hieronymo Zaffarana, regibus adstitisse memoratur Franciscus Barbara S. Luciae Abbas et Capellanus major, qui regi Victorio Amedeo operam dedit, ut in Not. Capellaniae majoris refert Amiens.

§. II.

Capellanis majoribus ad jurisdictionem in Capella Sacri Palatii rursum adquirendam R. Mon. Tribunal magna opposuit impedimenta.

De Palatina Capella pristino suo juri restituenda soliciti admodum fuere e Capellanis majoribus Hieronymus Reggio, Simon Rao, et Simon Impellizzerius, pro certo habentes, primariam et maximam regni Capellam si recuperassent, sese coeteras minimo negotio recepturos (*Dipl. CLIX. CLXVIII. et CXCII.*). Sed eorum conatus irritos fecit, regiae Monarchiae Judicis institutio, in quem uti Judicem exemptorum, antiqua Capellani majoris jura putabantur, falsa licet opinione transfusa.

Equidem jurisdictio in caussis civilibus, et criminalibus Canonicorum, et Clericorum regiae Capellae ceu sponte sua regiae Monarchiae cessit Judicibus. Quamvis enim teste Pirro, Hieronymum Reggio in ordinarium suum anno 1585 admiserint Canonici, et ipse capta possessione curiam erexerit, et officiales instituerit; dum tamen Praelati munus ac praeeminentias inter Canonicos habere voluit, illico ejectus est, ac recusatur. Et sicut ante ad nutum Proregis Judex Capellae concedebatur, sic postea Capituli votis etiam rege annuente, datus est Joannes de Gradu R. M. Judex. Post ejus obitum similiter dati sunt Emmanuel de Quero, et reliqui deinceps R. M. Judices, utpote qui Exemptorum caussas proprio jure cognoscerent. Quae ratio fuit, quare Philippus Jordi regiae suae visitationis decreta ut exequi faceret, R. M. Judici commiserit subjungens: *Ad quem hodie uti Judicem Exemptorum jurisdictio in regiam Capellam, ejusque Ministros spectat* (*Dipl. CLXV.*).

Verum enimvero sacra etiam et episcopalis in regiam Capellam jurisdictio R. M. Judicibus adscripta est. Nam I. coram Proregibus, et regio Senatu, in Palatii Sacello pontificalibus amicti nullius exorata venia sacris operabantur. Quod quidem argumento est, pro ordinariis regiae Capellae Praelatis habitos fuisse. Siquidem juxta Canones, quos Tridentina Synodus renovavit Sess. VI. de Ref. C. V. nulli fas est Episcopo, nisi permittente loci ordinario, pontificalia in aliena dioecesi explicare. Quare ad conferendos uti Pontificem decet, in regia Capella ordines, et ipse Didacus de Haedo, Pan. Archiepiscopus, Proregis et Capituli expresso consensu, uti superius dictum est, indiguit.

II. Palatinae Capellae Canonici, et Capellani etiam Castrenses, discessoriales ut ajunt, seu commendatitias litteras ab R. M. Judicibus accipiebant (*Dipl. CXCI. et CXCV.*). Non autem dubium est, quin ejusmodi litterarum expeditio inter ordinariae jurisdictionis actus recenseatur. Vetant quippe antiqua Concilia, ut Antiochenum Can. VII. et Chalcedonense Can. XIII. quominus peregrinis, et ignotis Clericis sine proprii Episcopi testimonio sacra obeundi detur facultas. Eosdemque Canones Tridentini Patres Sess. XVIII. de Ref. C. 16 restituunt in haec verba: *Nullus praeterea Clericus peregrinus*

sine commendotitiis suis Ordinarii literis ab ullo Episcopo ad divina celebranda, et Sacramenta administranda admittatur.

III. Ad haec Proreges munus visitandi regiam Capellam regiae Monarchiae Judicibus demandabant. Hinc R. M. Judices Emmanuel de Quero anno 1590, Joannes de Torres anno 1599, Joseph Buglio anno 1737, et Agathinus Reggio Archiepiscopus Iconiensis anno 1755, illam visitarunt, multaque ad Dei cultum, et sacrorum officiorum ordinem pertinentia decreverunt. Porro etiam ipsi Proreges de caussis omnibus Palatinam Capellam spectantibus R. M. Judices interrogabant, et juxta eorum responsa et consulta decernebant. Quibus ex rebus liquet persuasum fuisse Proregibus, R. M. Judices loci esse Ordinarios, a quibus sacrae regiae Capellae visitatio absolvi, deque dubiis, et quaestionibus circa eam incidentibus consilia peti oporteret.

Duo igitur constare videntur. Et I. Erecto Tribunali R. M. communem omnium fuisse de transfusa in R. M. Judices Capellani majoris jurisdictione sententiam: II. Id ipsum Capellanis majoribus obfuisse, ne Capellam sacri Palatii, quod potissime erat in votis, denuo adsequerentur.

C A P U T III.

De explicata per Capellanum majorem in Terra S. Luciae jurisdictione.

§. I.

Probat Episcopalem jurisdictionem in S. Lucia Capellani majoris, non Abbatis fuisse propriam.

Quod Capellano majori ex una parte nocuit, ex altera ad illustrandam episcopalem ipsius jurisdictionem maxime profuit. Namque angusto S. Luciae ambitu coercita, quasi ad centrum compulsa radiorum suorum conjunctione splendidius effulsit. Sed quoniam ex concurrentibus in unam eamdemque personam Abbatis, et Capellani majoris titulis, controversum est, utrum potius uni, quam alteri adhaeserit jurisdictio; nos eam Capellano majori adseremus, probaturi deinceps, quod eos ultra limites progressa sit, qui Praelatis inferioribus etiam nullius praefigi solent.

Capellani majoris in Ecclesia, et districtu S. Luciae propriam fuisse jurisdictionem, nemo nisi per summam pervicaciam inficiabitur. In primis Leo X. Ecclesiam S. Luciae non episcopalem, sed paroecialem vocat, ab eaque distinguit Capellaniam majorem Regni Siciliae, utpote dignitatem in eodem Regno existentem, *cuique cura jurisdictionalis in dicta Terra, et toto ejus districtu imminet animarum*. Porro Ecclesiam, et Capellaniam praedictam ob utriusque nexum, et consociationem Joanni Petro Riccio confert (*Dipl. CXXXV.*). Igitur Capellano majori adservata erat in Ecclesia S. Luciae jurisdictio; ac proinde Abbas a Capellano majore, uti Parochus a Praelato internoscebatur.

Post Riccium, Hieronymus Zaffarana, Petrus Manriquez, Hieronymus Reggio, Joannes de Espinar, Simon Rao, Antonius Franco, Vincentius Firmatura, Martinus la Farina, Simon Impellizzerius, et Carolus Massa, Capellani majores a Summis Pontificibus unice instituti, cum Abbatis nomenclatione paroecialem curam sibi censuerunt assumendum. Atqui ob intermissam, et neglectam paroecialis beneficii collationem, istiusmodi curam in se trahe-

Digitized by Google

re non potuissent, nisi ipsius Ecclesiae Ordinarii Praelati tamquam Capellani majores existerent. Siquidem deficiente Parocho, cui paroecialis Ecclesiae procuratio in titulum data sit, omnis evolvitur in Episcopo jurisdictio, et omnis in eum defluit obligatio illam gerendi seu per se, seu per Vicarium, prout circumstantiis, et animarum saluti conducibilius existimaverit. Quod si Ecclesia S. Luciae erat Episcopalis, et Abbas Praelatus ejus Ordinarius, quomodo tot, tamque conspicui scientia, et probitate Viri adeo turpiter in jure Canonico aberrassent, ut cum simplici, et nudo Capellani majoris titulo, dictam Ecclesiam rexerint, et procuraverint? Sed pergamus ad reliqua.

Anno 1670 Clemens X. tametsi sciret, quod vacaret = *Capellania major seu Magistra Regni Siciliae, et Abbatia nuncupata S. Luciae in plano Milatii;* tamen Abbatiam silens, expresse contulit, *Capellaniam praefatam, cui cura jurisdictionalis tantum imminet* (*Dipl. CLXXXVII.*). Illud ergo complexus est animo, eum, qui Ordinarii qualitatem suscipiebat, ex consequenti idoneum per Canones effici ad subjectum beneficium, quod Abbatiam vocabant, administrandum.

Praeterea regii tres Visitatores Franciscus Vento, Jacobus Arnedo, et Franciscus de Puteo Capellanis majoribus utramque curam episcopalem videlicet, ac paroecialem incumbere, et ℥ 25 anno 1323 pro omni, et quocumque jure Beneficiario constitutas deberi agnoscunt. Nec eis tituli defectum objiciunt, immo testati sunt, Capellanum majorem habere *jurisdictionem Terrae S. Luciae ordinariam, sicut quilibet Praelatus in sua Dioecesi ex antiqua observantia*. Pari ratione licet regiae Monarchiae Judex anno 1607 et Concistorii Judices anno 1611 Capellaniam majorem sine beneficio Simoni Rao collatam esse non ignorarent; ei nihilominus ut Ordinario simul, et Parocho ℥ 600 decreverunt loco decimarum, et jurium, quae regiam beneficii dotem constituebant.

Profecto ab anno 1707 ad annum 1767 in bullis pontificiis pro Petro Soler, Francisco Barbara, Antonio Ura, et Marcello Moscella iterum Abbatiae fit mentio. Sed non inde sequitur, mutato Ecclesiae statu, et conditione, Abbatem in Praelatum evasisse. Siquidem in earum bullarum prima, et altera, Ecclesia paroecialis dicitur; in tertia, Capellania major cum jurisdictione confertur, et in postrema siquid est observatu dignum illud est, quod sub unico titulo detur *Capellania* major Abbatia nuncupata in Ecclesia S. Luciae = (*Dipl. CCIII.*) ad normam antecedentium provisionum, quae quoniam a Capellania majore beneficium non separabant, in unum faciebant utrumque coalescere.

Ad haec regii Visitatoris Angeli de Ciocchis accedit auctoritas. *Olim*, inquit, *Oppidum S. Luciae, quod primum ad dioecesim Pactensem pertinebat, cum Fridericus Imperator Rex Siciliae majori suo Capellano eam donasset, ejus jurisdictioni obnoxia evasit. Ecclesia vero tunc regia Capella constituta fuit, et in Praelatiam attributa. Dioecesi subinde erecta, major inde Capellanus, qui primum Beneficialis dicebatur, Abbatis postea titulo fuit insignitus cum potestate ordinaria, et jurisdictione quasi episcopali*. Nec est, quod mireris, Magistrum Capellanum olim Beneficiarii, ac deinde Abbatis titulo dici insignitum. Id enim ad parum accuratas, falsasque ideas referendum est, quae a duplicis tituli confusione, et ultimo illius Ecclesiae statu promanabant.

Duo nunc subnectam, quae episcopalem jurisdictionem in Ecclesia S. Luciae comprobant adscriptam. Primum est illud, quod Simoni Rao, qui non alio, quam Capellani majoris titulo praedictam Ecclesiam moderabatur,

Digitized by Google

Sacra Congregatio pontificalium usum competere declaravit. Quamquam ea declaratione non indiguisset Simon, cum ex jure publico ecclesiastico certum sit, istiusmodi praerogativas, honorumque significationes Capellanis majoribus, et Episcopis Aulae convenire. Alterum illud, quod Abbas S. Luciae tamquam Capellanus major in generalibus Regni Comitiis sedebat loco XI. post novem Regni Episcopos, et Archimandritam Messanensem: itemque titulo eodem, quo caeteri Episcopi, donabatur, quemadmodum Viceregiis rescriptis fuerat constitutum. Vide Mongitorium in Auct. Not. Capell. maj. apud Pirrum Tomo II.

§ II.

Capellani majoris in Ecclesia S. Luciae jurisdictio eos limites praetergressa est, qui Praelatis etiam nullius constituuntur.

Multa etsi alias jurisdictioni inhaereant, Praelatis tamen inferioribus prohibentur, ut inter eos, qui humanae sunt institutionis, et Episcopos, qui ad Hierarchiam divino jure in Ecclesia constitutam spectant, servetur disparitas.

In primis indicere, et habere Synodos Dioecesanas, nec Praelatis fas est nullius, nisi expresso Pontificis privilegio, quod in praxim deductum sit, ad eas celebrandas augeantur. Consule Benedictum XIV. de Syn. dioec. lib. II. C. 2. Tum Praelatis quibuscumque inferioribus exercere haud licet, quae novae disciplinae Canones praesertim Tridentini solis permittunt Episcopis. Cujus generis sunt causae criminales, et matrimoniales, Trid. Sess. XXIV. de Ref. C. 20 et monitoria excommunicationis ad res subtractas perditasque revelandas. Trid. ibidem C. 3. Quamquam usu haec invaluit opinio, quam Congregatio interpretando Tridentino Concilio addicta probavit, ut primores Praelati instar Episcoporum de criminibus judicent, non item de matrimoniis, nisi praevia in singulis causis delegatione Pontificis. Vide Card. Petra ad Constit. IV. Callixti III. Sect. II. Insuper dimissorias Subditis suis dare literas ad ordines recipiendos, Praelati vetantur inferiores. Trid. Sess. XXIII. de Ref. C. 10 et Bened. XIV. loco citato. Praeterea ex communiori sententia denegatur non modo Praelatis inferioribus, verum etiam Episcopis, facultas erigendi Collegiatas Ecclesias, quia sumpto argumento à lege 3. § in summa ff. de Collegiis illicitis, ecclesiastica Collegia praeter Summi Pontificis auctoritatem non debent institui. Vide Card. Petra ad Constit. VII. Innoc. IV.

Jamvero sine hujusmodi circumscriptionibus, quae Praelatorum inferiorum jura coercent, Capellani majores in Ecclesia S. Luciae ordinaria sua potestate usi sunt. Hieronymus Reggio Capellanus major anno 1595 Synodum dioecesanam coegit, cujus acta nunquam typis excusa in S. Luciae tatabulario delitescunt. Simon quoque Impellizzerius dioecesanam anno 1679 Synodum habuit, ubi ad reformandos mores, et Ecclesiasticam disciplinam instaurandam plura constituit. Haec Synodus e Vincentii Amico praelo exiit Messanae anno 1681.

Deinde causas criminales cognoscebant Capellani majores teste Regio Visitatore Francisco de Puteo his verbis: *Item totum spirituale Cleri, et Sacerdotum dictae Terrae cognoscitur tam civiliter, quam criminaliter per dictum Magistrum Capellanum*. Matrimoniales etiam causas dijudicabant, et monitoria revelandi ergo res perditas edebant, quod Regius Visitator Jacobus Arnedo testatus est in haec verba: *Praedictus Capellanus major habet jurisdictionem Terrae S. Luciae ordinariam, sicut quilibet Praelatus in sua dioecesi.*

Digitized by Google

Et Jacobo Arnedo consonat Franciscus de Puteo regius et ipse Visitator, sic enim scribit: *Capellanus major praedictus habet in Terra S. Luciae et eidem Terrae subjectis jurisdictionem ordinariam in spiritualibus, sicut quidem Praelatus in sua dioecesi.*

Porro subditis suis, qui Ordinibus essent initiandi dimissorias ad eos obtinendos Capellani majores literas concedebant. Quarum formam hanc esse reperi. *Nos N. N. Dei, et Apostolicae Sedis gratia Abbas S. Luciae, et major regius Capellanus . . . Tibi dilecto nobis in Christo . . . ut a quocumque catholico Antistite ad Ordinem . . promoveri possis, et valeas, facultatem, in Domino concedimus, et impertimur.*

Postremo Simon Impellizzerius Capellanus major in Ecclesia S. Luciae Canonicorum Collegium uti loci Ordinarius instituit. Namque in ejus rei publico instrumento legitur. *Sponte auctoritate ordinaria suppressit . . coetum Clericorum vulgo dictum la Comunia . . . ac etiam eadem auctoritate approbavit, et confirmavit Ecclesiam praedictam S. Luciae a sui exordio in Collegiatam, et quatenus de jure opus esset, erexit denuo dictam Ecclesiam S. Luciae in Collegiatam, et pro Ecclesia Collegiata non numerata.*

Quae igitur ad ordinariam jurisdictionem spectant, in Ecclesia S. Luciae Capellanus major expediebat. Hinc probe ac merito de eo sic habet laudatus Mongitorius. *Ex eadem jurisdictione ordinaria Confessarios approbat, casus peculiares sibi reservat, dimissoriales literas suis concedit dispensando ab interstitiis, a juramento absolvit, dispensat in petitione debiti, monitoria pro rebus deperditis ad effectum revelandi profert, Beneficiales instituit, vel a se electos, vel ab aliis praesentatos, excommunicat, absolvit, carceribus addicit, super validitate Matrimonii, et sponsalium recognoscit, facultatem denique concedit extrahendi ab Ecclesiis etc.* Propterea consentiamus opus est, Capellani majoris in Ecclesia, et districtu S. Luciae jurisdictionem episcopalem non iis fuisse limitibus, intra quos Praelati inferiores etiam nullius continere se debent, coercitam et definitam.

SECTIONIS I. POSTREMA PARS.

Regiae Capellae Siciliae exemptionem et Capellani majoris in ea jurisdictionem explicat in suo statu novissimo, et reflorescente.

CAPUT I.

De Revocata ad Magistri Capellani jurisdictionem Ecclesia Calaxibettae, deque subortis circa Palatinam Capellam inde controversiis.

§. I.

Ecclesia Calaxibettae de Cat. Episcopi potestate solvitur, et R. M. Judici tamquam Capellano majori adscribitur.

Regiae Capellae Siciliae in integrum restitutioni Ill. Dom. D. Joannis Angeli de Giocchis Viri doctissimi, et in jure publico ecclesiastico peritissimi regia prolusit Visitatio. Is equidem non omnia prae oculis habere potuit vetera monumenta, unde dignosceret, quos, qualesve abusus cuncta permiscens

aetas in regias Capellas invexisset. Sed Ecclesiae Civitatis Calaxibettae (jam enim Civitatis jure donatą fuerat) antiqua privilegia pervolvit, ex iisque apprime didicit, quemadmodum per summam injuriam de Capellani majoris jure subducta, Episcopo Catanensi fasces submitteret. Itaque hujusmodi Ecclesiam regiam Capellam, ejusque regium Canonicatum exemptum, et Capellano majori subjectum declaravit. Praeterea regio Canonico tamquam unico, et universali Parocho, Civitatis illius atque districtus Ecclesias adseruit, quas etiam ad regiam Capellam pertinere edixit.

Non subito decretum hoc a Rege approbatum, et executioni mandatum est. Namque altas Catanensi Praesuli de eo querimonias ingeminanti benigne Rex annuit, ut res legibus, et jure disceptaretur. Qua insuper mente jussit, regium Visitatorem decreti sui defensionem de scripto edere, ut expensis utriusque partis rationum momentis, rectius, et accuratius judicium exerceri posset.

Ecclesiam Calaxibettae non debere a sua jurisdictione abstrahi tribus praesertim rationibus contendebat Episcopus; una, quod non esset regia Capella, altera, quod in Dioecesi Catanensi existeret, tertia, quod episcopalem jurisdictionem longissimi temporis roboraret praescriptio. Causam suam Regius Visitator ita complexus est, ut una etiam opera, sibi opposita argumenta dissolverit. Respondit nempe ad primum, antiqua monumenta Ecclesiam Calaxibettae veri nominis regiam Capellam ostendere: ad secundum, esse quidem Cat. dioecesi circumscriptam, sed territorium ab ea separatum constituere: ad tertium Capellani majoris in regias Capellas episcopale munus in Regiae Coronae privilegium resolvi, atque adeo nulli esse praescriptioni obnoxium.

Cum ergo patuerit, decretum, quod impetebat Episcopus, nullam habere controversiam, non modo Praesidentium, et Consultoris, verum etiam togatorum Jureconsultorum, qui Neapoli de Siciliae rebus ad Regem referebant, adprobatum suffragiis, regia firmatum est auctoritate, praeterquam in ea parte, quae Capellano majori in Ecclesia Calaxibettae jurisdictionem assignabat. Mutato siquidem Capellaniae majoris antiquo statu, placuit ea jurisdictione R. Monarchiae augeri Judices, in quos illius officii, atque dignitatis jura transfusa censebantur (*Dipl. CCVII.*).

Petiit vero regius Canonicus utpote universalis Civitatis Calaxibettae Parochus, multa facere, quae proprie ad ordinariam pertinent jurisdictionem. Sed ea petitio tametsi a supremo Siciliensi Consilio Regi probata, et regiis fulta literis ne episcopalis, et paroecialis muneris fines deturbarentur, effectu caruit. Namque ex gravissimis consultationibus hinc Neapolim transmissis facile cognitum est, quod non satis in re maximi momenti deliberatum fuisset, et praecipiti festinatione statutum quod necessarium in Ecclesia ordinem susque deque verteret. Itaque aliae regiae literae a Neapoli redditae fuerunt, quibus rejectis omnino inanibus regii Canonici postulatis, plenissima in Ecclesiam Calaxibettae uni R. M. Judici confirmata est jurisdictio.

§. II.

De controversiis circa Palatinae Capellae exemptionem, et Praelatum ordinarium excitatis.

Quamvis jus liberum collativum circa palatinae S. Petri Capellae Cantoriam, Canonicatus, et reliqua beneficia, Regiae Majestati vindicatum fuerit

Digitized by Google

annò 1749; tamen de jure Electos instituendi inter Pan. Antistitem, et R. M. Judicem non diu post contendi coepit. Ex ea principe quaestione aliae pluras veluti illius germina pullularunt, imprimisque controversum est, an regia Capella exempta esset, et in hac hypothesi, ad quem spectaret, in ea ordinariam profarre jurisdictionem. Nos praefixo rerum ordini inhaerentes, primariae illius quaestionis historiam a suo ceu contextu separatam dabimus in altera hujus libri parte, in qua da jura collativo Regis in regiam Capellam disseremus. Hoc loco tantum reliquarum causarum, in quibus Capellae ipsius exemptio, et legitimus Praelatus in dubium vocabantur, specimen axbibebimus.

Cum anno 1756 Iconiensis Archiepiscopus, et R. M. Judax Agathinus Reggio Pan. Palatii Sacellum regia, et ordinaria cum potastate Instrasset, Archiepiscopalis Curiae abusiones adhuc in aa gliscentes animadvertit. Gravissimam argo consultationam E. S. proposuit in hanc sententiam: Oportera, ut inveterati abusus tandam aliquando evallantur, qui regiaa Capellaa privilegia, et Capellani majoris jura proscinderent: Se vigore regiaa sanctionis annl 1750 pro Ecclesia Calaxibettaa raapse Capallanum majorem esse, ac proinda legitimum in aadem Capella Ordinarium: Pro monstro fore, si principalis, et primaria Regni Capella a filiali statu, et conditiona differrent.

Da causa, quae maturo egebat examina Regii Fisci Patronum Dominicum Pansabana cansuit E. S. consulendum. Is vero in sua consultatione Ragiaa Capellaa exemptionem ambiguam non habuit, sed non probavit R. M. Judicem se dicere Capellanum majorem, quippe cum Abbati S. Luciae ragia, et pontificia diplomata id munus adscriberent: intulitque, praetensam ab R. M. Judica jurisdictionam fundamento destitui, usque dum Regi ad normam Ecclesiaa Calaxibettaa, palatinam Capellam ordinare placuerit.

Utraqua consultatio cum supplicibus Cantoris, et Canonicorum libellis, in supremi Siciliensis Consilii manum, at cognitionem venit, ut rem dispiceret, et mentem suam Regi proponeret. Contendebat Cantor jurisdictionem omnem sibi in sacri Palatii Capella deberl excluso nedum Pan. Antistite, sed etiam R. M. Judica. Poscebat Capitulum palatinum, regiae Capellaa proprium decerni Praalatum, ne ulterius ajus exemptio damnum raciperet. Porro aliqui ex Canonicis R. M. Judicem dari sibi Praesulem flagitabant, ne dissentiens a regia sanctione anni 1750 in regia Capella ordo induceretur.

Ra cognita supremum Consilium de Archiepiscopala Curia sacri Sacelli simul et Capellani majoris jura proculcante, deque R. M. Judice hunc titulum assumante Regli Fisci Patronl sententiam comprobavlt. At vero subtexuit, R. M. Judicem ax ragio pro Ecclesia Calaxibettae diplomata mala intellecto turpitar dacipi, atqua daslpere. Illud anim Consilii responsis omnino cohaerens, forensem tantummodo Capellani majoris jurisdictionem in R. M. Judices traductam declarasse. Quo fieri, ut episcopalis jurisdictio, quae Capellanum decet majorem, adhuc in Abbata S. Luciaa constet, etsi de facto illam intra parvae suaa dioecesis fines axarceat.

Sed non secus quam par erat, postramum hoc consulti mambrum Regi displicuit. Fixum quippe in mante ac cogitatione habebat, quod juxta atque Consilium faciandum censuarat, da Ecclesia Calaxibettae R. M. Judicibus utpote Capellanis majoribus attribuenda decrevisset. Tunc igitur a re de-

finienda supersedit, et literis sub die 3 Martii 1759 exaratis Consilio rescribi voluit, ut interveniente Marchione Fragianni Regio Administro, et Rodiensi Episcopo Angelo de Ciocchis, scripta omnia, et consulta pro Ecclesia Calaxibettae, ac Pan. Palatii usque ad id tempus edita pervolutent ob utriusque causae affinitatem, et concordantiam: subinde articulatim expendant I. Quae sit Palatinae Capellae indoles, et natura, II. Utrum loci Ordinario subesse debeat, III. Sin minus, cui potius adjudicanda sit, an R. M. Judici, aut Cantori, aut Abbati S. Luciae: porro de singulis ad Regem referant, ut regia tandem auctoritate controversiarum omnium ansae praecidantur, et Regiae Capellae fixa et immutabilis forma constituatur.

Dum haec disceptantur, Pan. Pontifex relicta Sede Neapolim pervenit, et a Regis clementia impetrat, ut insignis non modo Regiorum Administrorum, verum etiam Episcoporum, ac Theologorum consessus ad omnem controversiam suis ponderibus examinandam destinetur. Nec diu post summo labore inflatum opus in lucem prodiit, cujus Auctor, palatinae Capellae exemptionem conatus est evertere. Quia Petrus Archiepiscopos anno 1132 praefatam Capellam paroeciali tantum dignitate adauxit, non a sua dioecesi avulsit. Et praeterea sine assensu Pontificis nullam vim habere poterat avulsio, cum reservationes jamtum introductae, omnem alienandi juris episcopalis facultatem Episcopis ademissent.

Sed designatus ad regiae Capellae causam propugnandam Franciscus Pequeneda vir bonis artibus, et non vulgaris Jurisprudentiae laude conspicuus, numeris omnibus, et partibus absolutam contrariae scriptioni lucubrationem opposuit. In qua regiam Capellam a sui principio exemptam adstruit non solum ex ipsa Ordinarii concessione, quam spectata et illius temporis disciplina, et pontificiae facultatis accessione jure factam comprobat, verum etiam ex lege fundationis Rogerii Regis, in quo legati Apostolici concurrebat auctoritas: ex natura loci, quae palatinas, aut castrenses Principum Capellas efficiebat exemptas: ac denique ex proxima fundationi observantia, et aliis indubitatae exemptionis monumentis, quae nulla temporis vetustas oblivione deleverit.

Sed Adversarium manus dare victas prorsus dedecebat, quandoquidem praematuro, aestu eo usque abreptus fuerat, ut inviolabilia Religionis, et Sanctuarii jura se tueri existimaret. Itaque sibi non defuit, et prolixierem defensionem protulit, ubi Oppugnatorem suum configere molitus est, sed imbecillioribus armis, quam ut ejus tela, et jacula retundere possent. Interea cum institutus ad rei discussionem consessus, bis septem Arbitris componeretur, ac propterea vix ac ne vix quidem cogi posse contingeret; quaestio de regiae Capellae exemptione cum reliquis inde pendentibus, non secus ac ea, quae jus collativum spectabat, indefinita ad annum usque 1794 remansit, uti suo loco dicendum erit.

Digitized by Google

CAPUT II.

De disjuncto a S. Luciae beneficio Capellani majoris officio, et explicata per Capellanum majorem Neapolis in Sicilia jurisdictione.

§. I.

Capellani majoris officium a S. Luciae Abbatia seu beneficio divellitur, sed ad tempus et pro Civitate S. Luciae Abbati committitur.

Vacata per obitum Marcelli Moscella Abbatia, et Capellania majore S. Luciae, regias per literas significatum est Proregi, Majestatem suam certiorem fieri velle, utrum ab se invicem illa duo sejungi possent, ac deberent. Eam rem E. S. ad Fisci Patronum Dominicum Pensabene detulit, ejusque responsum Neapolim ad Regem transmisit. Quod una et altera toto coelo distabant, et monstruose innectebantur, inferebat Fisci Patronus, operae pretium esse, ut separentur, et juxta regiam sanctionem anni 1750 R. M. Judex in toto Regno Cappellanus major instituatur. Hanc sententiam supremus Siciliae Senatus probavit, ejusdemque praelucente Consilio Rex firmam, et ratam esse jussit. Quo factum est, ut Joannes Baptista Ricciolus ad beneficium, quod Abbatiae nomine veniebat, unice designaretur.

Sed aegre id ferens Ricciolus nihil cunctatus Regiae Majestati supplicem libellum reddi curavit. In quo cum exposuisset, se Capellani majoris titulo carentem populo S. Luciae futurum invisum, et ♃ 600 Capellanis majoribus pendi solitas amissurum, postulabat aut consueta ornari dignitate, aut veniam sibi concedi dimittendae Abbatiae, unde invidiam potius, ac molestiam, quam commodum esset consecuturus. Assiduis quoque libellis S. Luciae Civitas Regam fatigabat, ut Abbate simul et Capellano majore donaretur, sic minus ab onere contribuendae pensionis exsolveretur.

Negotio admodum perplexo, et opportuna quadam ratione expediendo admotus est Rege jubente Ill. Dom. D. Alphonsus Airoldi, nunc R. M. Judex, et Capellanus major. Hic bene norat, institutas de jure quaestiones recte transigi non posse, nisi prius, a quibus pendent, facta illustrentur. Historicam ergo attexuit memoriam, ubi accurate percensuit, constituitque, I. Ecclesiam S. Luciae paroecialem esse, ejusque Parochum et Rectorem, Beneficiarium olim dictum, ex errore Abbatem consuevisse adpellari. II. Capellaniam majorem quasi episcopalis jurisdictionis officium esse, eique substitisse omnes regias Capellas, et ipsam cumprimis Ecclesiam S. Luciae postquam anno 1250 in regiam abiit Capellam. III. Paroeciale beneficium et episcopale officium ad annum usque 1505 ita exigente diversa utriusque natura et constitutione, separata extitisse. IV. Incidentes deinde causas effecisse, ut alterum cum altero compactum fuerit, et ambo indivisa, et indivulsa constiterint.

His praestitutis Vir sapientissimus consultationem adornavit, cujus haec summa est. Decere ut Parochi, et Praelati munus ab se invicem abstrahantur, ne diutius obrepta confusio, et permixtio invalescerent. Aequum tamen esse, si electo Ricciolo distincte beneficium, et Capellani majoris officium in Ecclesia S. Luciae conferantur; Sic enim nac male a Populo acceptum iri, nec de censu fore controversiam. De caetero Majestati suae integrum esse, si velit, pro toto Regno Capellanum majorem instituere, cui proinde non modo

Ecclesia S. Luciae, verum etiam Capellae omnes regiae in perpetuum adjudicentur.

Prudentissimo responso laudatus R. F. Patronus, nec non Laodicenus Archiepiscopus et R. M. Judex Hieronymus Palermo rogati sententiam suffragati sunt. His deinde accessere togati Jureconsulti, unde supremus constabat Siciliae Senatus, calculo suo idem probantes, nisi quod opinati fuerint, et in sua consultatione suggesserint, usque donec exortae de palatina Capella lites ferverent, intempestivum esse Capellanum Regni totius eligi majorem: quod Regi placuit.

Cum ergo Ricciolus nondum capta beneficii possessione, naturae concesserit; obitu Marcelli M. Moscella S. Luciae tantum Abbas renunciatus est anno 1767. Scipio Arduinus, et anno sequenti Capellanus major, sed pro Civitate, ac districtu S. Luciae, et quousque Capellanum majorem pro toto Regno Siciliae cum omnibus juribus, praerogativis, et facultatibus ad hanc dignitatem spectantibus, eligere Majestati suae fuerit collubitum (*Dipl. CCXXI.*). Porro sub eisdem clausulis Emmanuel Rao anno 1771. et Carolus S. Columba anno 1780 S. Luciae Abbates in antecessum instituti, Capellaniae majoris deinde munus adepti sunt.

§. II.

Capellani majores Neapolis suam in Sicilia jurisdictionem explicant.

Hoc loco res erat, cum Curia Capellani majoris Regni Neapolis suam in Sicilia jurisdictionem prolatare adgressa, inopinantium, et nihil tale suspicantium Siculorum animos admiratione defixit. Tantae intemperantiae obtentus fuit Benedicti XIV. Summi Pontificis Bulla *Convenit*, et motus proprius *Cum alias*, quasi Capellano majori Neapolis Siciliam facerent addictam. Sed pudendum est, Viros caeteroquin doctos, et consilio praeditos tam turpiter aberrare, ac praevaricari potuisse, ut alienam Provinciam veluti propriam sibi sumerent, ac venditarent.

Prima novitatis portenta recenset annus 1779. Quo excurrente praefata Curia Sac. Ferdinandum Stabile Cathedralis in Ecclesia Sancti Jacobi pan. Militum Stationis Coadjutorem ab officio suspendit, et aliquot post menses redintegravit. Mox eamdem Ecclesiam ab omni ordinaria jurisdictione avulsam, et paroeciali jure auctam praedicto Sacerdoti prius examinato, et approbato contulit, addita praeceptione, ut a publico quovis Tabulario possessionem caperet, et eorum Praesbyt. Bartholomaeo Carrozza Capellano Castrensi, fidei confessionem emitteret. Jamvero principiis obsistendum rati Ill. XII. Viri, qui Regni negotia temperabant, gravissimam anno 1780 Regiae Majestati submisere consultationem, ut nimiam refraenare licentiam dignaretur, quae Regni Siciliae leges, constitutiones, at jura proscinderet.

Insequens annus aliud singularis, et insolitae rei monstrum peperit. Ferdinandus Stabile patentes literas typis mandatas protulit, in quibus D. Jacobi Parochum, Beneficiarium, et Rectorem se nominabat, praetereaque Neapolitani Capellani majoris Vicarium. Quo titulo Sac. Liborium Rini Regiae Thermitanae ad Himeram Arcis Capellanum ad sacras utriusque sexus confessiones ibi audiendas adprobavit. Novum ergo XIIviri Procuratores Regni consultum adornarunt, in quo de injuria Regno illata conquerentes a Rege flagitabant, ne permitteret, recens malum ampliato remedio convale-

scere. Re tamen ad Senatum delata, quem S. Clarae Cameram appellant; tertia superioribus accessit Regni Procuratorum consultatio, in qua Clementissimum Regem, quam suppliciter poterant, rogabant, ut de causa, quae Siciliam attingebat, et siculo erat jure transigenda, supremum Siciliae consilium Neapoli degens interloqui, ac respondere juberet. Quod, quia aequitati erat consonum, Majestas sua libentissime se facturum audito prius S. Clarae Senatu recepit.

Dum autem sub Judice lis est, Curia Capellani majoris Regni Neapolis in Capellani majoris Siciliae jura manus immittere non destitit. Nam paroecialis Ecclesiae, quae in maritima pan. arce consurgit, Parochum, et Capellanos instituit, Ecclesiam Arcis Himerensis in Paroeciam erexit, eique Parochum cum Capellano coadjutore praefecit. Reliquas etiam arcium, et Castrorum Ecclesias, omnemque Militiam in Sicilia, Insulisque adjacentibus stationariam, et Capellanos eisdem Ecclesiis, ac Militiae addictos sibi uni transcripsit. Porro Vicarium suum generalem amplioribus donavit facultatibus, ut adeo novus in Sicilia Praelatus emerserit, et insolitus Magistratus, apud quem esset in civilibus, et criminalibus causis jus dicendi potestas.

Quae cum ita se haberent, e re fuit doctum aliquem virum ad Capellani majoris Regni Siciliae jura tuenda designari, quo delecti Magistratus causam melius dispicerent, et rectius in ea judicarent. Id negotii datum est, Telettensi Episcopo, et Regiae Capellae Cantori Fr. Simoni Judica, qui satis publicae expectationi, ac suae dignitati fecit, edita defensione, in qua licet in Capellaniae majoris Siciliae historia praetexenda multa e suo penu interserat, quae locum emendationi praebeant, strenue nihilominus egit pro suo instituto quod debuit. Nempe magno argumentorum apparatu efficit I. Nec Bullam, neque motum proprium Benedicti XIV. pro Capellano majore Neapolis ad Siciliam extendi posse. II. Jurisdictionem ab eodem Capellano majore in Sicilia explicitam pontificiae dispositioni prorsus adversari, ac proinde omnes illius actus inconcessac, atque usurpatae auctoritatis esse germina, et incrementa. III. Nihil magis Regni Siciliae legibus, constitutionibus, et privilegiis obsistere, quam ut externus Praelatus qualemcumque sibi in Sicilia vindicet jurisdictionem.

Quibus rebus clarissime comprobatis, et firmissime constitutis, opus claudit suum oppugnando Archiep. Colossensis, et Capellani m. Neapolis Fr. Alberti Capobianco factam ad Regem pro sua causa propugnanda consultationem, plurimis refertam cavillationibus, et fallaciis, quae fucum facere possent. Hoc praedictae defensionis specimen dedisse sufficiat. Nobis enim alio festinantibus non omnia minutatim sunt extricanda, et praesertim satietati medendum, ubi quae praetermiserimus, ea cupidi lectores aliunde possint assumere.

Digitized by Google

CAPUT III.

De peremptis, quae ad Palat. Capellam spectabant controversiis, de instituto Capellano majore Siciliae, deque ipsi attributis Arcibus Militia, et Ecclesia S. Luciae.

§. I.

Qua ratione spectantes ad sacri Palatii Capellam controversiae decisae fuerint.

Sedulo cautum est, ne lite pendente ullae novitates irreperent, quae Palatinae Capellae juribus obluctarentur. Panorm. Archiepiscopo Dominico Rosso dum Regis nomine Proregem Corsini Principem S. Januarii habitu in sacro Palatio decoravit, pan. Canonici suis ornati insignibus adstiterant. Rege tamen jubente actus, ut ajunt, *jurium praeservativus* confectus est, ne praejudicium aliquod Regiae Capellae privilegiis, et immunitatibus inde illatum fuisse intelligeretur (*Dipl. CCVI.*). Particula filialis dictae Capellae subdole adpicta fuerat anno 1780 in acceptilatione, quam Capellanus Sacramentalis ipsius a Cathedrali Ecclesia sacrum oleum de more recipiens, propria manu, licet invitus et loci, ac temporis habita ratione subscripserat. Sed de sententia Praesidentium, et Consultoris M. Antonius Columna Prorex obreptitiam voculam irritam facit chirographo suo, quod a Capellano Sacramentali Cathedralis in libri sui margine apponi jussit (*Dipl. CCXXVI.*). Nec desueverunt feria V. in Coena Domini Canonici, et Clerici Palatini bini cum militibus, uti supplicantium mos est, incedentes, accepturi sanctum oleum cum erecta cruce Cathedrale templum adira, ut ab omni ordinaria jurisdictione sese liberos ostenderent, quandoquidem reliquae Ecclesiae in signum subjectionis, et reverentiae Crucem extra Templi januam relinquerent.

Sed oportebat, ut exsuscitatae ab anno 1759 de Palatina Capella quaestiones et adhuc anno 1794 indefinitae tandem aliquando restinguerentur. Ea mente duo tantum reliquis amotis Ecclesiastici Viri doctrina, et summo judicio praediti a Seren. Rege delecti fuere, qui sejunctim, neque collatis inter se consiliis articulatim de causae jure cognoscerent, et responderent. Contigit autem, ut amborum sententiae convenerint, non secus ac si conjunctim, et pari consensu de unaquaque re judicassent. Itaque ad singulas quaestiones Regiae Capellae exemptionem, de qua agimus, spectantes, hoc fuit utriusque responsum.

I. Pan. Palatii Capellam a Serenissimo Rege Rogerio extructam, et insigni Collegio auctam, et exornatam, cum toto Castri superioris ambitu, in quo Palatium continebatur, et natura loci, et fundationis lege, et ipsius Petri Pan. Archiepiscopi concessione, territorium a dioecesi separatum existere, et Aulici Antistitis seu Capellani majoris nunc esse, ut olim ordinariae potestati adjudicandam. Itaque a pan. Praesulis jure alienam esse hujusmodi Capellam; praesertim cum de communi Canonicorum consensu in eam nihil sibi, et Ecclesiae suae reservaverit Petrus Archiepiscopus, ut ex publico concessionis documento manifestum est.

II. Non inde tamen sequi, magis esse, ut R. Monarchiae Judici sacra in Regiam Capellam potestas attribuatur. Namque hujus, et Capellani M. officia, tametsi permixta, et confusa fuerint, omnino distincta, et toto coe-

lo esse diversa. Atque alterum ex Apostolica Siculorum Regum legatione procedere, et in causis Exemptorum, qui Apostolicae Sedi αμεσως subjecti sunt jus administrare, alterum vero ex alio, quod Siculis Regibus concessum est privilegio pendere, inque Capellas, et Capellanos Regios jura omnia, quae Praelatos decent nullius proferre, ac depromere. Quocirca spiritualem Palatinae Capellae jurisdictionem a R. M. Judicis officio fugitivam esse, ac dissentaneam.

III. Idem de Abbate S. Luciae deque Palatino Cantore pronunciandum esse judicium. Namque illi Capellani majoris munus tantum in districtu S. Luciae Regem permisisse, sibi jus et auctoritatem praeservando Regni totius Capellanum majorem pro suo arbitrio constituendi, quandoquidem Majestati suae visum fuerit opportunum. Porro Cantori dumtaxat proprio jure competere, ut Choro, et sacris officiis rite obeundis advigilet, et animarum curam Collegio Canonicorum inditam Vicario Collegii nomine exerceat. Itaque haud sane esse, quod et Abbas praedictus, et Cantor sacri Palatii Episcopos agere velint, ac praesumant.

IV. Cum haec ita sint, profecto aequum esse, ac Regni Siciliae dignitatem exposcere, eidem Capellani majoris officium restitui, cum omnibus praeeminentiis, et facultatibus huic adnexis, nec non sacrae jurisdictionis plenitudine in omnes Capellas Regias, et Palatinas, Castrenses vero non item. Siquidem Arces, proindeque Milites in Sicilia stationem habentes, Capellano majori Neapolis utpote Regis, Regiaeque Aulae, ac Militiae proprio Praelato esse attribuendos, et reservandos,

Haec summa eorum, quae de singulis ad Regiae Capellae exemptionem spectantibus articulis, interrogati IIviri ad Regem permira consensione retulerunt. Quo factum est, ut Majestas Sua de utriusque sententia peremptorium decretum edi jusserit, quod inveteratas exhausit controversias (*Dipl. CCXXXII.*).

Nec multo post Rex Clementissimus diplomate suo (quod erat in votis) Ill. Dom. D. Alphonsum Airoldi Heracleensem Archiepiscopum, et R. M. Judicem instituit Capellanum Regni majorem. Sed eo usque ad propositas accessit consultationes, ut a praefati Capellani majoris officio arces, stationes, et praesidiariam Militiam duxerit removendas. Porro Abbati S. Luciae quoad viveret, jura praeservari voluit, ut adeo jurisdictio in Ecclesiam, et districtum S. Luciae post illius obitum, esset in Capellano majore consolidanda. Id insuper jussit, ut Capellanus major inditam officio suo jurisdictionem explicans, R. M. Judicis nomen sileret, et contra R. M. Judicem gerens, a Capellani majoris titulo se temperaret, ne distinctae inter se dignitates commisceri, et confundi viderentur (*Dipl. CCXXXIII.*).

§. II.

De vindicata Capellano majori Siciliae plena in Aulam, et Exercitum jurisdictione.

Jucundum accidit Siculis, amplissimam Capellani majoris Regno Siciliae dignitatem reddi, postquam longa in oblivione jacuerat. Sed Capellano suo majori Regem, Regiamque Familiam, et Militiam excludi, atque adeo Capellano majori Neapolis arces, et militares copias in Sicilia stationarias attribui, grave ipsis fuit; et quidem, si verum eloqui volumus non immerito.

Sane a sui primordio amplissima fuit Capellani majoris in Regno Sici-

liae jurisdictio. etenim veluti proprius Praelatus habitus est Regiae totius Aulae, ac Militiae, praefuitque adeo Capellis omnibus, et Capellanis tam Palatinis, quam Castrensibus. Postquam vero Siciliae Regnum in duo scissum est, Regnum Neapolis Capellanum majorem proprium habere coepit, qui facto easdem sibi facultates adscivit, quas Capellanus major Siciliae certo et legitimo jure in solido Siciliensi Regno explicuerat, et post divisionem in Sicilia stricte sumpta exercere prosequebatur.

Haec duo Regna primum sub Rege Alphonso magnanimo consociata sunt, sed non secus quam par erat, inter se distincta suum aeque ordinem retinuerunt. Hinc Regni utriusque Capellano majori sua servata est dignitas atque jurisdictio: alter enim Aulae ac Militiae Antistitem gerebat in Regno Siciliae, alter in Regno Neapolis. Nec eliter se res habuit toto eo tempore, quo Sicilia, et Neapolis in Hispaniae Regum dominatu extiterunt. Siquidem extra Regem nihil habuere promiscuum, non mores, non leges, non Magistratus, sed suo utrumque jure usum est.

Ex his evidens fit, quemadmodum salva et integra manente duplicis Regni sub Regibus Borbonicis distinctione, Capellano majori Neapolis haud liceat, Capellani majoris Siciliae jura sibi propria facere. Nam si Rex idem duobus Regnis communis est, id procul dubio ratio ipsa postulabit, ut Rege Neapoli degente, Aulici Praesulis munus obeat Capellanus major Neapolis Rege vero adeunte Siciliam, easdem expleat partes Capellanus major Siciliae, cum aequaliter nominetur, et sit in Sicilia Episcopus Aulae.

Idem quoque ex brevibus literis Clementis VIII. Summi Pontificis, quas refert Carafa Cap. IV. confirmare possumus. Illud enim cautum voluit Pontifex, ut si Neapolim adire contingat Rex Hispaniae, tunc majori Capellano Regni Neapolitani eadem jura competant, quae Magno Capellano Regis Hispaniae. *Si eveniat* (pontificii rescripti verba sunt) *Majestatem tuam, et pro tempore existentes Hispaniarum, et utriusque Siciliae Catholicos Reges tuos Successores ad praedictum Neapolitanum regnum personaliter accedere, ibique personaliter residere, aut commorari; Capellanus major tibi Regi, tuisque Successoribus actu inserviens, etiamsi Capellanus ipse pro Regno Neapolitano constitutus, et deputatus existeret, omnibus privilegiis, facultatibus, et gratiis, indultis, et praerogativis per nos, aut Romanos Pontifices praedecessores nostros Capellano majori Capellae Regiae in Hispaniarum Regno existenti, etiam domum, et Familiam Regiam sequentes concernentibus, uti, frui, gaudere, illaque exercere etiam in praedicto Neapolitano Regno, quamdiu ibidem Reges moram trahent, juxta privilegiorum eorumdem formam, continentiam, et tenorem, ultra praemissas gratias, facultates, privilegia, et indulta in praesentibus literis comprehensa, libere, ac licite possit, et valeat, earumdem tenore permittimus, concedimus, et indulgemus*. Praesumit ergo Pontifex, ad Capellanum majorem Neapolis jure spectare, ut Hispaniarum Regi, si quando Neapolim se conferat, operam navet. Secus nulla fuisset idonea causa, cur illum iisdem facultatibus, et privilegiis, quae Magno dicti Regis Capellann concessa fuerant, exaugeret pro tempore, quo idem Rex Neapolitano in Regno consideat. Ergo pari ratione Regi, quandoquidem in Sicilia versatur, ut observiat, Capellani majoris Siciliae non Neapolis est officium.

Porro ex dictis etiam manifestum est, nihil magis adversum esse justitiae, quam ut Capellanus major Neapolis Militiam in Sicilia praesidiariam suo juri transcribat. Praetereaque id comprobat, quod militares copiae Regni illius propriae sunt, a quo pecuniarum contributione sustinentur. Vide

de hac re Pufendorfium J. N. et G. Tit. VII., et Volphium de jure nat. P. VIII. §. 810, et 943. Constat vero nec levia in exercitum terrestrem, ac maritimum subsidia conferre Siciliam, nec putandum est, tantum onus perferre, ut Neapolitano Regno suppetias veniat. Igitur Capellano majori Neapolis Siculas arces, et Siculo stipendio affectos Milites adscribi, ecquid erat aliud, quam aequitatis, et justitiae jura configere?

Sed fato felici inter commoda, quae faustissimus Regis adventus attulit Regno Siciliae illud quoque referimus, quod multam, et solemnem a se depulerit injuriam. Nec enim venit in dubium, Regno Siciliae ob Regis praesentiam Capellani majoris ejusdem Regni, non autem externi, et alieni partes esse requirendas. Hinc Regis, Regiaeque Familiae Ill., et Rev. Dom. D. Alphonsus Airoldi utpote Capellanus major Siciliae nedum in Capella palatina, sed etiam ubivis, Cathedrali Templo dumtaxat excluso, hic usque adstitit, et sacris est operatus, vel aliis ad rem divinam suffectis, Magistri caeremoniarum munus obivit. Ut adeo re ac factis declaratum sit, Capellanum majorem Siciliae, procul dubio esse in Sicilia et Parochum, et Episcopum Aulae. Rem vero perfecit omnem Augustissimi Regis clementia; qui generalium Comitiorum anni 1798 votis annuens cautum fore decrevit, ne Curia Capellani majoris Neapolis ullam in Sicilia sibi tribuat jurisdictionem, idque ob restitutam huic Regno dignitatem Capellani majoris cum omnibus honoribus, et facultatibus, et juribus, quae ad ipsam pertinent. Unde arces, oppida, stationesque, ac praesidiaria Siciliae Militia cum suis Ecclesiis, et Capellanis, cessit hujus Regni Capellano majori, prout erat aequitatis, et justitiae ordini consentaneum (*Dipl. CCXXXVI.*).

§. III.

Agitur de vindicata Capellano majori Ecclesia S. Luciae.

Cum anno 1801 Carolus S. Columba e vivis excessisset, praecedentis suae dispositionis Rex non immemor, jurisdictionem in Ecclesiam ac districtum S. Luciae jam electo Regni totius Capellano majori adjungi constituit (*Dipl. CCXLIII.*). Sed istius jurisdictionis usum, qui a Capellani majoris officio abscindi non poterat, multis implicata fallaciis lis interpellavit.

Equidem nihil gravius accidebat Civitati S. Luciae, quam Praesulis jacturam facere, et ejus loco Sacerdotem paroeciali animarum cura tantum non vacuum excipere. Supplex igitur libellus Regi oblatus est, quo dicta Civitas non Capellano M., sed Abbati jurisdictionem competere affirmabat, et enixe a Majestate sua petebat, ne se proprio Antistite spoliari, eumque e gradu suo ad simplicis Parochi conditionem redigi pateretur. Non autem permirum est, benignissimum Regem annuisse, ut in Concilio Praesidentium, et Consultoris in disceptationem res veniret, sed gravissimos caeteroquin Jureconsultos praematura deliberatione Capellano majori causam abjudicasse. Quippe genus hoc argumenti jam inde ab anno 1768 scientissimorum Virorum laboribus, et scriptionibus fuerat elucidatum, et a Rege non semel, sed pluries recognitum, ac decisum, episcopalem S. Luciae jurisdictionem non vulgo dicti Abbatis seu Parochi, sed Capellani majoris esse propriam.

Ac certe anno 1768 Capellaniam majorem officium esse a Regia Abbatia plane diversum maturo praelucente consilio fuerat a Majestate sua declaratum, et illa Scipioni Arduino collata *tantummodo in Civitate, atque districtu S. Luciae et non ultra*, liberum sibi jus reservando ejusmodi di-

Digitized by Google

gnitatis in posternm cui voluerit conferendae cum omnibus honeribus, et jurisdictionibus, quae ad eam in toto Siciliae Regno pertinerent (*Dipl. CCXXI.*). Itaque in rem judicatam abierat, quasi Episcopalem Capellani majoris auctoritatem ad omnes Regias Capellas extendi, atque adeo non Abbatis, sed Capellani majoris officio intextam esse, *curam jurisdictionalem in dicta Terra S. Luciae*, *et ejus districtu* quemadmodum juxta superiorum temporum observantiam Leo X. alii Summi Pontifices, et Regii Visitatores contestatum reliquerant.

Idem postea duplici regio rescripto confirmatum habebatur, altero videlicet, quo jurisdictionis exercitium in Ecclesia S. Luciae haud obstante Capellani majoris electione, Abbati Carolo S. Columba quoad vitam duceret indultum (*Dipl. CCXXXIII.*): altero, quo post ejus decessum Capellano majori attributum est, ut parte toti suo restituta omnes Regiae Capellae sub uno eodemque Praesule sociarentur, et cohaerescerent (*Dipl. CCXLII.*).

Jamvero Capellano majore, ne sibi, et suo muneri deesset, instante, Majestas sua digoata est, ipsis Praesidentibus et Consultori rem iterum disquirendam, et aequa judicii lance ponderandam committere. Idque locum praebuit Utriusque Juris Doctori, et Capellani majoris Curiae Consultori D. Francisco Cupane perfectum numerisque omnibus expletum commentarium elucubrandi, quod praelo imprimi e re fuit. Siquidem Vir iste summus hoc in opere firmissimis ex perpetua diplomatum serie ductis argumentis Regii Praesulis causam mirifice illustravit, contrariae partis simul refellendo, et dissipando mendacia.

Hinc ejusdem absolutissimi operis praesidio pulsis tenebris rem ipsam explorate cognitam, et perspectam habuere integerrimi Judices, eosdemque non puduit, praemature a se dicta revocare. Namque in alia omnia transeuntes, luculentum adornavere consultum, cujus haec summa est: Ecclesiam S. Luciae a Saeculo XIII. quo in Regiam Capellam mutata est, semper Capellano majori adscriptam fuisse. Istius Ecclesiae Parocho, et Rectori, ex eo, quod Abbas ex errore dici consueverit, nullam, quae paroecialis juris limites excedat, accessisse potestatem. Itaque Abbati animarum cura, et Sacramentorum administratione tributa, Capellano majori jurisdictionem assignandam, ne invita canonica jurisprudentia Parochus in Praelatum mutetur, et ab Aulici Praesulis jure Regia Capella cum regiae dignitatis imminutione abscindatur. In hanc porro sententiam regiae literae prodierunt, queis ordinaria Capellani majoris jurisdictio rejectis omnino cavillationibus, et fallaciis rei judicatae vim resumpsit (*Dipl. CCXLVIII.*).

CAPUT IV.

De Regiae Capellae, et Capellaniae majoris R. S. hodierno statu.

§. I.

Regia Capella ut olim exempta est, et Capellanus major omnem in ea ordinariam exercet jurisdictionem.

Ex percensita huc usque factorum serie plane conficitur, Capellam Regiam Siciliae Augustissimi Regis nostri Ferdinandi III. beneficentia, pristinam status sui conditionem recepisse. De omni ordinaria jurisdictione exempti sunt

Capellanus major, et Capellani inferiores, unde coalescit, Aulici, et Milites, quibus deservit, excmpta pariter regia, et militaria loca sunt, quae complectitur. Et Capellanus major proprius est istiusmodi Personarum, et locorum Praelatus, ea instructus jurisdictione, quam rite sub antiquis Rebus explicuit.

Est nempe Regiae totius Aulae unicus Episcopus. Quo nomine pontificalia in Capella Regis exercet, Capellanis omnibus regiis praeest, in Civilibus, et Criminalibus eorum causis jus dicit, et sacrorum in Aula gerit Antistitem. Ipse ubicumque praesens Rex est sacris operatur, utpote Parochus Aulae, vel ei tamquam Caeremoniarum Magister assistit, Cathedralibus dumtaxat exceptis, ubi ex Bulla *Convenit*, Episcoporum requirit adsensus. Ad eum spectat regias dapes benedicere, Sacramenta Regi administrare, regium funus ducere, ac reliqua, quae in aulico Episcopatu continentur munia persolvere. Porro est etiam regii totius exercitus tam terrestris, quam maritimi Episcopus; et hinc Militum Capellanis imminet, eorum quoque causas judicat, Vexilla, et bellicas naves ecclesiastico ritu benedicit, sacro in Castris ministerio invigilat, idque potissime cavet, ne quis in bello, nisi extremis Sacramentis munitus occumbat. Ex locis etiam regiis, et militaribus propriam quasi dioecesim adsciscit. Cujus generis sunt Regia Palatia, Oppida, Castra, Arces, stationesque cum adjunctis Capellis, quibus eccedunt Ecclesiae Calaxibettae, ac S. Luciae, quae regalium Capellarum praerogativis donatae sunt.

In ejusmodi Personas, et loca Capellanus major ea sibi vindicat omnia, quae ad ordinariam pertinent jurisdictionem. Cumque hodie, ut Aulae Antistitem decet, Episcopatu sit insignitus, baptizatos obsignat, minores, majoresque ordines confert, Altaria, et instrumenta in Eucharistiae usum consecrat, et reliqua facit, quae ab Episcopalis Ordinis potestate pendent.

Ordinaria etiam Capellani majoris jurisdictio sicut olim fuit, duplex est: altera enim Personas respicit, easdemque ubi ubi excurrentes, et perrantes adsequitur, altera certa sibi loca tribuit, eorumque ambitu, et finibus continetur. Qua de causa amplior debet videri Capellani majoris, quam Episcoporum universalis, et ordinaria jurisdictio. Haec nempe Territorio cohaeret, et dioecesis limitibus circumscribitur. Nec inde putandum est, minus ordinariam Aulici Praesulis esse jurisdictionem, quippe quae sine Territorio consistere possit. Namque Ordinarius probe dicitur, qui vel jure suo, vel Principis beneficio jurisdictionem sive in assignato territorio, sive in quoddam Personarum genus obtinet universam.

§. II.

Quaedam de hodierna Capellani majoris jurisdictione observatu digna proponuntur.

Diximus eamdem, quae fuit olim Capellani majoris in Regiam Capellam esse jurisdictionem, eamdemque duplicem, prout vel Personas afficit, vel loca apprehendit. Id quidem verissimum est; at si hodiernus Regiae Capellae status cum antiquo comparetur; clare apparebit, non eam, quae aliquando fuit ejusmodi jurisdictionis esse amplitudinem.

Ac certe sub Northmannis, Suevisque Regibus Regnum Siciliae id omne complectebatur, quod post Siculas Vesperas Regnum dictum est Neapo-

litanum, Itaque unica tunc erat Regni totius Regia Capella, proindeque unicus Capellanus major, qui praeter Siciliam latissimas, ubi jurisdictionem suam pariter exerceret, obtinebat Provincias. Quod nec ab ipsis Neapolitanis Scriptoribus diffiteri, alibi observavimus. Postquam inde Regnum in duo abiit, etiam Siciliae proprie dictae Regia Capella latius etiam extendebatur. Etenim plurimis augebatur suffraganeis Ecclesiis, quae sub sacri Palatii jurisdictione institutae dicebantur. Tum illi accedebant quamplura regiae fundationis beneficia, quae nunc deperdita sunt, extra LV. Civitatum, Terrarumque Siciliae Tertiaria, quorum possessores sacris palatini Sacelli ministeriis inserviebant. Denique ad Regiam Capellam spectabant perillustris Ecclesia Troinensis, et multa regio aere fundata Monastriarum Coenobia, uti Messanense S. Clarae de Basicò Coenobium exemplo esse potest. Igitur hodierno, et antiquo Regiae Capellae statu spectato, perspicum fit, quemadmodum minus hodie, quam olim Capellani majoris pateat jurisdictio.

Praeterea vel nullo ad Regiae Capellae latitudinem habito respectu, si veterem et novam Capellani majoris jurisdictionem inter se conferamus; manifestum erit, multo illam liberius exerceri solitam fuisse, quam nunc exerceatur. Scilicet dum Bulla *Convenit* Capellano majori Neapolis antiqua jura confirmat, certos ei defixit limites, quos transgredi non debeat, ut omnes quaestionum, quae inter eum, et Regni illius Episcopos identidem consurgebant, ansae praeciderentur. Haec Bulla pro Regno Neapolitano conscripta, et in Sicilia regio placito haud munita nihil momenti ad coercendam intra eosdem limites Capellani majoris Siciliae jurisdictionem, haberet. Enimvero hujus in Sicilia dignitatis, et officii constitutio Episcopalium dioecesium distributionem antecessit, et nihil damni attulit Episcopis, quidquid juris Capellano majori reservatum.

Nihilominus id volunt omnes, ut legibus, ac dispositionibus bullae praedictae facultatum omnium Capellani majoris officio inhaerentium usus respondeat. Nec ipse Capellanus major, ut qui moderate se gerit in omnibus, tametsi de suo jure agitur, constitutis a Summo Pontifice regulis tamquam sibi praescriptis repugnanter se accommodat. Maxime quod rescripta pontificia saltem posteriora, vim Canonis generalis prae se ferre videntur, licet nihil habeant, unde constet de voluntate rescribentis, idque ex generali Pontificum voluntate, qui ea mente rescripserunt, ut in similibus speciebus eaedem obtinerent leges, vel decisiones. Consule Innocentium III. Cap. XIX. ex. de sent. et re judic.

Quibus rebus praemissis, approbare prorsus nescio, non paucos esse, qui, si Bullam Convenit, legitimis ac nativis Capellani majoris Siciliae juribus adversari putent, ejus auctoritatem magni faciant, si tamen favere intelligant, ex eo quod in Regno minime recepta sit, nihili aestimandam esse, conclamare non dubitent. Itaque non pudet eos, infensissimos sese hostes, ac detractores ostendere illius, quae Regnum decorat praerogativae, cujus ex obscuratione ansam arripuerant Capellani majores Neapolis suae in Siciliam prolatandae jurisdictionis, quasi Sicilia in Regni Neapolitani Provinciam evasisset. Nec eos pudet, illud Siculi Principatus insequi privilegium, quo Regi conceditur, ut ubi velit, Capellae suae ministerio uti possit.

Ad morosiorum ergo ingeniorum reprimendam petulantiam, oportere mihi visum est, legitimos demonstrare fontes unde Regiae Capellae Siciliae, et Capellani majoris in eam manat ordinaria potestas, atque jurisdictio. Quod in sequenti hujus I. partis libri II. Sectione conquisite faciam.

De legitima, et canonica R. Capellae Siciliae exemptione, et ordinaria Capellani majoris in eam jurisdictione.

CAPUT I.

Quibus ex fontibus manare poterat canonica R. Capellarum exemptio, et Capellanorum majorum ordinaria in easdem jurisdictio.

§. I.

Ostenditur ejusmodi exemptionem, atque jurisdictionem fundari potuisse in privilegiis non modo Pontificum, sed etiam Episcoporum, et Regum.

Regiarum Capellarum exemptio, et Capellanis majoribus adscripta in ipsas jurisdictio expresso quidem privilegio induci potuit. At si de Capellis sermo est ambulantibus, non alio ex privilegio invalescere poterat, nisi pontificio. Nec enim nisi Pontifex pro ea, qua praeditus est in totum Orbem plenitudine potestatis, talem istiusmodi Capellis praerogativam communicare valet, ut et in locis, quae subsunt Episcopis, et ubi nulli adsunt Episcopi, non alios e suismet Capellanis majoribus sibi Praesules consciscant. Si tamen de Capellis loquimur permanentibus, res plane diversa est: siquidem non modo Pontificum, sed etiam Episcoporum, et Regum privilegiis id consequi potuerunt.

Sane olim non solum Romani Pontifices, verum etiam Episcopi, et Reges accedente Episcoporum consensu exemptionum privilegia concedebant, uti plurimis adductis exemplis comprobant Enspenius P. III. Tit. XII. Cap. 4 ac Thomasinus P. 1 lib. III. C. 31 et 34. Idque praesertim obtinuit, cum ab ipsis Ecclesiarum, et Monasteriorum fundatoribus ejusmodi immunitates efflagitabantur. Namque pluribus evincit ibidem Thomasinus, potuisse Ecclesiarum fundatores, eas ab ordinariorum potestate subducere, atque ἀμέσως Apostolicae Sedi subjicere. Ut in Africa extiterunt plurima Monasteria in quacumque Dioecesi, vel Provincia erecta, quaa non Episcopi dioecesani, sed illius Episcopi jurisdictioni suberant, cui illa submittere voluissent Fundatores, ut plurimum vero Episcopo Carthaginiensi. Similiter in utroque Patriarchatu Orientis fas erat Monasteriorum fundatoribus, in quacumque aedificarentur dioecesi, ea subjicere Patriarchae in ipsa illorum fundatione; et hinc nulla Episcopo dioecesano potestas erat in illis Monasteriis, ne ordinum quidem conferendorum, aut Abbatis consecrandi, aut Missae celebrandae. Quin id juris sibi tribuebant Metropolitae intra suam Provinciam, etsi iis non raro repugnabatur.

Jamvero Episcopalia non minus quam Pontificia privilegia ineluctabilis erant auctoritatis. *Quae ab ipsis Episcopis dioecesanis* (inquit loco citato idem Thomasinus) *conferuntur privilegia, ea longe firmissima sunt, et naturae ipsi maxime consentanea. Quid enim aequius, quid firmius, quam ut stet, quod quis sciens et volens de suo jure decedit?* Nec minus tuta et firma esse poterant Regum privilegia etiam a se non fundatis Ecclesiis concessa, quandoquidem ea ipsimet Episcopi expresso vel tacito suo consensu rata fe-

cissent. Justae videlicet quandoque his privilegiis causae inhaerebant, et praeterea summa petebat ratio, ne Episcopi Summorum Imperantium voluntati resisterent. Enimvero, uti scribit Arnulphus Luxoviensis Episcopus Epist. XIV. ad Alex. III. *quibusdam amplexibus occurrunt dignitas ecclesiastica, et regia cum nec Reges sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regum consequatur*. Quamobrem de istiusmodi privilegiis haec etiam habet Thomasinus: *Instrumenta erant certissimae libertatis, qua solvebantur Monachi a potestate Episcoporum, qui voluntati Regum non prorsus inviti serviebant, quorum benevolentiam, et cumprimis sibi necessariam experiebantur, et obsequiò hujusmodi aliquo emercandam*.

Quando autem privilegiis seu Pontificiis, seu Episcopalibus, seu Regiis, ab ordinaria Episcoporum potestate plures Ecclesiae subtrahebantur; necesse erat illarum Rectoribus vel Abbatibus similem jurisdictionem tribuere. Hinc passim Abbatibus communicata est episcopalis jurisdictio, ut Abbati Cavensis Monasterii, quem Urbanus II. anno 1092 permisit omnia jura episcopalia exercere, iis exceptis, quae sunt ordinis episcopalis. Immo in nonnullis Monasteriis constituti sunt Episcopi Monasteriorum, qui nempe ea omnia ibi agebant, quae episcopale desiderant ministerium.

Itaque a privilegiis non modo Pontificum aut Episcoporum, sed etiam Regum et Principum, quibus non aegre obsecundabant Episcopi, regiarum Capellarum permanentium exemptio, et inde consequens Capellanorum majorum in ipsas jurisdictio invehi potuit. *Quis enim sanus dubitet, quin Capellis suis ea studuerint Reges privilegia cumulare, quae in alias saepe conferebant, aut conferri procurabant Ecclesias?* Quae laudati Thomasini verba sunt.

§. II.

Ostendit R. Capellarum exemptionem, et Capellanis majoribus attributam erga ipsas ordinariam potestatem in veteri consuetudine fundari potuisse.

Fons alter, unde manare poterant Regiarum Capellarum exemptio, et Capellanis majoribus concessa in ipsas jurisdictio, antiqua est consuetudo. Haec autem, quatenus Capellas spectat ambulantes, justissimis de causis invalere potuit. Et primo quia Corporum ambulantium ea est indoles, et ratio, ut nulli Episcopo, cujus in aliqua dioecesi circumscripta sit auctoritas, possint attribui. Praeterea quia, cum jure divino nullis locorum finibus Sacerdotium coerceatur; licitum semper fuit, estque sacris hominibus, urgente necessitate, acceptam in ordinatione potestatem evolvere. *Omnis enim* (inquit Espenius P. I. Tit. XVI. N. 4) *episcopalium dioecesium, non secus ac Parochiarum divisio, et ad certos terminos restrictio ex lege positiva dimanat, quae legi necessitatis, et charitatis cedit*. Et denique quia ubi magna urget necessitas, vel utilitas, quae saepius in jure magnae necessitati respondet, sacra videlicet administrandi, ubi nulli praesto sunt Episcopi, aut loca Episcopis destituantur; tacita suffragatur concessio sive Episcopi pro locis ei subjectis, vel Summi Pontificis pro universo Orbe; ita ut quae permittere potest expressa concessio seu privilegium, per ἐπιεικείαν concessa legitime praesumantur. Consule Reinfestuel in III. Decretal. N. 13.

Equidem ex his ducti principiis, Episcopi, et Sacerdotes, qui a Constantini Magni tempore Principes, et Exercitus comitati sunt, eisdem ubique gentium sine aliquo expresso privilegio sacra mysteria, et salutis remedia diu

Digitized by Google

exhibuerunt. Vix enim ante Saeculum XIII. pontificiorum diplomatum exempla occurrunt, quae talem facultatem Capellanis majoribus Regum, et Exercituum indulgeant.

Ad permanentes Capellas quod attinet, Capellanorum majorum in eas jurisdictio a sui primordio delegata et Vicaria esse potuit, et addito tempore, quoniam quae assidua sunt, facile in mores abeunt, in ordinariam convalescere. Quo pacto multos in Ecclesia Praelatos inferiores emersisse, nemo unus ignorat. Potuit quoque dicta jurisdictio ex ipsis moribus, et consuetudine induci, quam postea temporis diuturnitas corroborasset.

Sane privilegia, quibus Capellae, et Capellani Regum Angliae fruebantur, nonnisi veteri consuetudine firmata erant, et hinc reclamantibus Episcopis ad eam recurrebatur, ut apud Thomasinum legitur. Jus Archiepiscopi Cantuariensis, ut in qualibet dioecesi haberet Ecclesiam sibi obnoxiam, antiqua nitebatur consuetudine. Erat et Archiepiscopo Strigoniensi in Hungaria plena jurisdictio in omnes Abbatias, et Praepósituras Regias Regni totius antiquo usu invecta, quam plures Romani Pontifices ai confirmarunt, ut ad annum 1231 refert Rainaldus. Quin etiam jus illud Patriarcharum Orientalium, quo exempta erant ab Ordinariorum potestate, solisque Patriarchis illa subjecta Monasteria, quorum in fundatione defixa fuerat Crux patriarchalis, a vetustissima enascebatur consuetudine, cui vim canonis inesse, reponi solebat Episcopis non raro contradicentibus, uti testatur Balsamon in Canonem Apostolorum XXXI.

Jure quoque canonico veteri consuetudini vis, et firmitas accedebat. Namque jus dicitur ab Isidoro moribus institutum, et vim legis habere apud Gratianum Can. V. Dist. I. et Can. VI. Dist. XII. Innocentius quoque hujus nominis tertius in C. Auditis de Praescript. ratam habet jurium Episcopalium praescriptionem in quibusdam Ecclesiis, quam Abbas Eveshamensis Vigorniensi Praesuli opponebat. Et C. Cum olim eodem sub titulo, confirmat cuidam Abbati episcopalia jura, quae illi in Capellis plurimis ex antiquissimo usu competebant. Unde veteres Jureconsulti unanimi consensu tradunt, consuetudinem, ut ajunt *immemorialem*, hoc est cujus initii nulla extet memoria, privilegium inducere, haberique loco tituli legitima constituti, et probati, ac proinde clausula legis prohibente, vel irritante consuetudinem contrariam minime comprehendi. Vide Fagnanum in C. Cum contingat de fero competente.

Perspicuum est igitur, quemadmodum regiarum Capellarum sive ambulantium, sive permanentium exemptio, et Capellanis majoribus competens in eas jurisdictio, moribus induci potuerit, qui in consuetudinem evasissent legitima praescriptione roboratam.

CAPUT II.

Quo jure exempta olim fuerit R. Capella Siciliae sub ordinaria Capellani majoris jurisdictione.

§. I.

Probat ab Apost. Sede Northmannis, eorumque Successoribus indultum, ut Capellam haberent ubique locorum exemptam, et proprio Antistite donatam.

Northmannorum Ducum Roberti, et Rogerii, qui Saeculo XI. egressi Galliis, in extremas Italiae Regiones sese intulerunt, ut eas in suam potestatem redigerent, pulsisque Graecis, et Saracenis, Christianae Religioni simul et Romano Patriarchatui restituerent, eadem erat ratio atque Francorum, et aliorum pietate insignium Europaeorum, qui ad subtrahenda ex Infidelium tyrannide loca redemptionis humanae consecrata mysteriis, ea tempestate cruce signabantur. Hi videlicet nullis non aucti apostolicis gratiis, et privilegiis, Episcopos, et Sacerdotes ducebant sacrae expeditionis socios, et divinarum rerum in itinere toti exercitui administros. Etenim ab iis dumtaxat spiritualia consequi poterant auxilia, dum peregrinas, et longe dissitas Terras excurrebant lingua, moribus, ritibus, et religione diversas, et quidem non obstantibus ecclesiasticis locorum jurisdictionibus, cum quibus caeteroquin pro rebus sacris communicare, satis fuisset operosum, atque difficile. Jamvero Northmannos Duces maximi momenti facinus rite adgressuros, aeque intererat, eosdem, quos e Gente sua adlegerant, Presbyteros, omnimodis instrui facultatibus ad res sacras sibi, et Commilitonibus suis administrandas. Itaque cum Leone IX. Summo Pontifice consilia sua communicant, ab eoque laudem consecuti peccatorum absolutionem, atque Apostolicam benedictionem receperunt.

Id narrat Gaufridus Malaterra lib. 1. his verbis: *Quorum legitimam benevolentiam Vir Apostolicus gratanter suscipiens, de offensis indulgentiam, et benedictionem contulit, et omnem terram, quam pervaserant, et quam ulterius versus Calabriam, et Siciliam lucrari possent, de S. Petri haereditali fundo sibi, et haeredibus suis possidendam concessit, circa annos 1052*. Ecquis autem sibi persuadeat, hujusmodi benedictione Pontificem temporale dominium, non spiritualia subsidia largitum esse, quibus Northmanni homines indigebant, praesertim in Sicilia, ubi cum Sacerdotiis, et Episcopatibus conciderat avita Religio? Nihil enim Ecclesiae Romanae, quae fidelium omnium est mater, injuriosius esse potest, quam ut effingamus, de providendo spiritualibus eorum necessitatibus non fuisse sollicitam, quando ipsis pro tuenda Religionis causa pugnandum, et vitae periculum erat obeundum. Cum ergo in benedictione praedicta paria, vel similia privilegia, quae Crucesignatis indulgeri consueverant, comprehensa fuerint; fateamur necesse est, Northmannis quoque Ducibus Capellanos mysteriorum Dei dispensatores fuisse a Pontifice constitutos, idque sub ejus, uti par erat, auctoritate, qui in illo ecclesiastico coetu primas obtineret, ut sacra ministeria recte atque ordine persolverentur.

Verum enimvero hujusmodi privilegium Northmannis indultum non sic restrictum, et limitatum fuisse putandum est, ut quando Siciliam, et proximas Italiae Provincias adepti fuissent, ad eorum Successores non deberet

Digitized by Google

extendi. Probe enim noverat Pontifex, in eo casu istis necessariam fore Capellam exemptam, et Capellanum majorem, qui et in Aula, et in Castris sacro illius ministerio praeesset. Neque Pontificem latebat, a Constantini M. temporibus invaluisse, ut Regibus eorumque Familiae, et Exercitibus Capellani majores ubique gentium proprii Antistitis, et Pastoris loco assisterent. Principes enim personae morales esse censentur in toto suo Regno praesentes, et saepe saepius Reipublicae causa extra Regni fines copias educere, ac bellum administrare coguntur. Cum ergo ad aliquam dioecesim spectare non possint, opus est, sibi adjungant Ecclesiasticos viros, et proprium habeant Praesulem, ita ut quocumque in loco versentur, aut in itinere, vel expeditione Populos offendant moribus, et lingua diversos, domestica opera, et ministerio sacris imbuantur. Itaque nihil magis rectae rationi consonum est, quam ut a privilegio Northmannis concesso, siquando imperium jure belli sibi comparassent, legitimos eorum Successores minime excludendos esse statuamus.

Ad haec privilegium Northmannis Ducibus a Leone IX. indultum, Rogerio Comiti (Robertus enim fato cesserat) Alexandrum II. confirmasse in controversiam adduci non debet. Nam cum ab eo Pontifex pluries acie superatos Infideles rescivisset, et insignia dona recepisset, magis de fausto nuncio, quam de muneribus laetitia perfusus, Rogerio ejusque Sociis non modo erratorum veniam et benedictionem impertiit, sed etiam Vexillum, quo Romana Ecclesia inclytos fidei Defensores veteri ritu condecorare solebat, dono misit. Qua de re sic habet laudatus Malaterra lib. II. *Apostolicus vero plus de victoria a Deo de Paganis concessa, quam de sibi transmissis donariis gavisus, benedictione Apostolica, et potestate, qua utebatur, absolutionem de offensis, si resipiscentes in futurum caveant, Comiti, et omnibus, qui in lucranda Sicilia de Paganis, et lucratam in perpetuum ad fidem Christi retinendo auxiliarentur, mandat, vexillumque a Romana Sede Apostolica auctoritate consignatum, quo praemio de B. Petri fisi praesidio tutius in Saracenos debellaturi insurgerent.* Haec Malaterra, cujus ex verbis, quis non facile intelligat, confirmatas fuisse Rogerio, ejusque legitimis haeredibus easdem gratias, et privilegia, quae principio ipse, ac Robertus frater Crucesignatorum Ducum, et Militum more obtinuerant? Quod ergo Siculi Reges Capellam habuerint sibi addictam, et Capellano majori tamquam Regiae totius Aulae ac Militiae Episcopo deditam, ab Apostolicae Sedis indulgentia repetendum est, praesertim cum Aragoniorum Siciliae Regum diplomata conceptissimis id verbis contestentur (*Dipl. XLII., et Dipl. LXXI.*).

§. II.

Quomodo evoluta fuerit Capellani majoris in Sicilia jurisdictio, et quae privilegio apostolico ad eam corroborandam accesserint ante, et post erectos Episcopatus.

Ubi primum cum suis copiis Northmanni Duces in Siciliam trajecerunt, tum sese exseruit Capellani majoris sacra jurisdictio: et primo quidem Capellas ambulantes, inde Capellas etiam complexa est permanentes. Quippe in arcibus, quas expugnabant, vel pro belli necessitate construebant, Sacella erexerunt, in quae ad sacra celebranda convenirent. Cujus rei documento esse potest Ecclesia D. Mariae Castri Troinae, quam in ipso Saracenici belli exordio Rogerius instituit. Accessere deinceps ad Capellani majoris ju-

Digitized by Google

risdictionem amplificandam aliae Capellee, quas inclytos Duces parto Insulae totius imperio sive in regiis domibus, sive in locis praesidio munitis minime dubium est excitasse.

Atque Capelles omnes regias Capellanus major eo etiam sibi recte vindicabat, quod excepto pan. Antistite, quem e parvula Ecclesia, ubi latitabat, piissimi Duces Sedi suae restituerunt, nulli aderant Episcopi, quorum legitimis juribus damnum inferri posset. Quae vera erigo est Ecclesiarum, quas nullius dioecesis appellant. Nam Thomasinus P. I. lib. III. C. 36 de Monasteriis loquens, quae circumpositis omnibus Episcopatibus vetustiora sunt, *Ea*, inquit, *forsitan fuere, quae nullius dioecesis dicta sunt Monasteria. Non enim cordato cuiquam, ut reor, facile persuaderi poterit, jam extructis, et in aliqua fundatis dioecesi Monasteriis, id privilegii a S. Pontifice concessum fuisse, ut nullius essent dioecesis.*

Neque vero constituti postea in Sicilia Episcopatus, et singulis attributae dioeceses Capellani majoris jurisdictioni damnum attulerunt. Sospes videlicet, et illaesa stetit, quia pontificio privilagio fulciebatur, nec legitima suberat causa, quare de ea recens instituti Episcopi, quasi de violanta jurium suorum invesione quererentur.

His adde, Comitem Rogerium Apostolicae legetionis jure Sacerdotia, at Episcopatus excitantem Capellani sui majoris nec jura deturbasse, neque a sua suorumque heeredum dignitate proprii, ac peculiaris Pastoris praerogativam abscidisse. Hinc dum cuique Episcopo dioecesim adscripsit, Capellam suam regiam ejusque membra eb Episcopalibus exclusa dioecesibus Capellano majori cum Regia Familia, et Aula, et Exercitu essignavit. Et si Troinensem Ecclesiam de Capellani majoris jurisdictione exemit; id procul dubio fecit, quia cum illam ad Episcopatus honorem evexisset, necesse fuit, ut eam Roberto Episcopo suo regendam committeret. Erectis igitur in Sicilia Episcopatibus, nihil de quaesito antehac Capellani majoris jure decessit. Quin tantum abest, ut ejus jurisdictio lapsa sit, ut potius ex Apostolicae Sedis consensu, et approbatione convaluerit.

Enimvero non est aliquis Sicularum rerum adeo imperitus, qui ignoret, ut a Rogerio in Christi Religione apud Siculos instauranda, et Ecclesiastica politia constituenda sibi satisfactum Urbanus II. professus sit, ejusque fidem, pietatem, et praeclara erga Romanam Sedem, et Ecclesiam universam merita dignis laudibus affecerit, et illustraverit. Multa Pirrus exhibet monumenta, quae hujus rei fidem faciunt. Sed minime praetereundum est illud, quod in Episcopis Catan. ad annum 1091 refert, in quo haec habet Rogerius: *Per diversa Siciliae loca idonea Ecclesias aedificavi, jussu Summi Pontificis Apostolici, et Episcopos ibidem collocavi, ipso eodemque Romanae Sedis Apostolicae et laudante, et concedente, et ipsos Episcopos consecrante.* Hac de causa sacrae Capellani majoris jurisdictioni vim additam fuisse perspicuum est. Siquidem illa generalis approbatio etiam jura complectebatur, quae Rogerius utpote Legatus Apostolicus in suo Capellano majora firma, at perpetua fore statuerat.

§. III.

Quae praeter pontificium privilegium legitimae rationes adfuerint pro dilatando Capellani majoris jure in Capellas post erectos in Sicilia Episcopatus institutos.

Sacra Capellani majoris jurisdictio post ordinatos in Sicilia Episcopatus, nedum non defecit, verum etiam extensa est in Capellas, quas deinde Regibus excitare placuit. Id vero recte atque ordine factum, non una rationum momenta pervincunt.

Illud imprimis, quod Northmannis Ducibus eorumque haeredibus asserui privilegium, et approbata per Urbanum II. Rogerii Comitis ecclesiastica Siciliae dispositio, istiusmodi Capellas cum cohaerentibus Palatiis, Oppidis, Arcibus etc. nativam ab omni ordinaria jurisdictione conciliebat immunitatem. Maxime quod satis inconcinnum, ac deforme fuisset, si Regiarum Capellarum non una esset conditio, neque omnes ab uno communi Capite dependerent.

Praeterea ecclesiasticae politiae regulis admodum congruebat, novas Capellas, earumque vicinias, atque districtus ob Episcoporum jurisdictione abeuntes in Aulici Praesulis jura transire. Postquam enim Ecclesia in sua constituenda externa politia, exemplum, uti par erat, a Republica sumpsit, et in Civilibus mutationibus publicas formas imitari, optimum judicavit. Hinc Concilii Chalcedonensis Patres Canone XVII. sic habent. *Siqua Civitas ab imperatoria auctoritate innovata est, vel deinceps innovata fuerit; civiles, et publicas formas ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordo consequatur.* Quem Canonem confirmare docet Christianus Lupus *antiquam Principis potestatem, qua Castrum aut Villa in Civitatem erecta, consequebatur non tantum civilia privilegia, sed et ecclesiastica.* Ergo recentium Capellarum earumque ambitus ad Capellani majoris jurisdictionem accessio regulis SS. Patrum auctoritate praefixis nedum non obsistebat, sed etiam vel maxime consonabat.

Quid si Episcopi de territoriis a sua dioecesi hac ratione avulsis, juste queri non possent? Equidem saepe eveniebat, ut antiqua Palatia, et loca regiis olim vel deliciis addicta, vel propugnaculis, et praesidio munita destituerentur. Unde fiebat, ut cederent Episcopis locorum tractus, qui in Capellani majoris jure perstiterant. Sic ut exemplis rem illustremus: Castra cum suis Capellis ad Capellanum majorem spectantia tempore Caroli Andegavensis erant numero quadraginta; duo et triginta fuerunt sub Rege Martino, et in praesenti statu etiam pauciora sunt. Episcopeles itaque dioeceses eo increverunt ambitu, quem abjecta Castra occupabant. Non erat igitur, quare jurisdictionis suae vicem indolerent Episcopi, si quando novum Palatium, aut Castrum cum sua Capella extruebatur, aut alia quaevis Ecclesia Regiae Capellae nomine ac jure donabatur. Aequa enim erat utrinque ratio, et pro vario rerum eventu cum aliquid lucrari possent, non aegre ipsis Episcopis ferendum erat, siquid amitterent.

Postremo de legitima Regum potestate in eximendis de Episcopali jure novis Capellis, nullo pacto ambigi poterat. Maxime quod simul essent Legati Apostolici: quo nomine plurima omnimodae exemptionis privilegia concesserunt Ecclesiis, et Monasteriis praesertim regio aere fundatis. Hoc jure primus usus est Comes Rogerius, qui persaepe in ejusmodi privilegiis a Pirro exscriptis, auctoritatis meminit Apostolicae, qua fungebatur. Ut in di-

plomate, quod spectat ad Monasterium S. Mariae de Vicari per haec verba: *Sic a Domino Urbano Papa potestatem accepi, Monasteria mea libera facere ab omni Persona*. Et in diplomate pro Monasterio S. Mariae de Mili per haec alia verba: *nisi in illo solo, quod ordinatum fuit a Domino Sancto Urbano Papa, et a me*. Itemque in diplomate in gratiam Monasterii S. Petri de Itala his verbis: *apostolica auctoritate nobis tradita*.

Pari jure augebantur Siciliae Reges, ut qui Rogerio in apostolica etiam Legatione succedebant. Haec enim non soli Rogerio concredita fuit, sed omnibus quoque illius haeredibus, et Successoribus in Regno Siciliae, ut in ipso Urbani privilegio expressum est. Praeterquam quod satis cognitum, exploratumque esse debet, ejusmodi legationem recenseri oportere inter privilegia remuneratoria, quae licet in dubio personalia existimentur, juxta L. 1. ff de Constit. Princ. ubi: *Quae Princeps alicui ob merita indulsit, personam non egrediuntur;* attamen esse possunt, et saepissime sunt realia; cum nempe proxime et directe conferuntur rei, et dignitati, ac proinde personis talem dignitatem obtinentibus, atque ad Successores transeunt.

Itaque facto Principis novae Capellae cum suis quaeque Palatiis aut Castris Capellano majori adscribebantur, ejusque jurisdictioni accrescebant, quemadmodum Palatina S. Petri Capella, itemque Ecclesiae S. Luciae, et Calaxibettae documento esse possunt. Palatinam nempe Capellam Rex Rogerius ea lege fundavit, ut nulli in ea sibi aliquid vindicare, nisi Rege annuente liceret. Qua in re S. Stephanum Ungarorum Regem, eumdemque legatum apostolicum imitatus videtur, qui teste Chartuitio Rer. Ungar. T. 1. Ecclesiam in suo Palatio erectam *usque adeo sibi vindicavit, ut nullus Episcopus in ea quidquam juris haberet*. Capellam vero suam sic Rogerius ab omni ordinaria jurisdictione liberam instituit, ut Capellanis majoribus perpetuo subesset, utpote Praelatis, quem sibi Reges pro arbitratu suo constituerent.

Sane Regium Palatium, et Castrum superius ejusdem cum palatino Sacello conditionis esse oportebat. Sed procul dubio in partitione dioecesium a Rogerio Comite Pan. Antistiti, qui unice superstes erat in Sicilia, praeservata fuerant. Hinc ergo Rogerius Filius etsi suo jure uti posset, tamen ad Parochiam Sacello suo comparandam, Civitatis Praesulem interesse maluit. Idque praesertim, quod ob insignia beneficia, quibus pan. Ecclesiam affecerat, tale sibi officium non denegatum iri sperabat, ut rei exitus comprobavit.

At cum Fridericus Imperator et Rex Siciliae Oppidum et Viciniam S. Luciae delicio suo deputasset, temporales dumtaxat fructus, quos inde Pactensis Episcopus percipiebat, ei compensavit. Caeterum Ecclesia cum paroeciali districtu S. Luciae, de Ordinarii potestate soluta, in Capellani majoris jura concessit. Quod pariter contigit Ecclesiae S. Petri Calaxibettae, cum eam Petrus II. regiam Capellam dixit, ejusque Parochum Canonici nomine auctum inter Palatini Collegii alumnos computari voluit.

§. IV.

Ex antiqua etiam consuetudine Regiae Capellae Siciliae exemptio, et Capellani majoris jurisdictio convaluerunt.

Ad obsignandam Regiae Capellae Siciliae exemptionem, et sacram Capellani majoris jurisdictionem vetus accessit, et immemorabilis consuetudo. Quae

uti superius adnotatum est, ex communi Doctorum sententia privilegium arguit, ac tituli legitime constituti, et probati vim habet.

Praeter facta, quae superiori sectione exposita sunt, istiusmodi consuetudinis plurima sunt documenta. I. Anno 1213 Constantia Imperatrix, et Regina Siciliae servandam jussit exemptionam, qua fiebat, ut Capellani Castrorum Siciliae sub cura, et gubernatione Magistri Capellani existerent (*Dipl. XX*). II. Anno 1368 Rex Fridericus III. ad Clerum, et Populum Terrae Calexibettae literas dedit, ubi testatus est, sub gubernatione et cura spirituali Magistri Capellani praeteritis temporibus solitos fuisse permanere (*Dipl. XLIX.*). III. Anno 1377 Regina Maria, Clericos, et Laicos Tarrae S. Luciae ita Magistri Capellani officio subjectos esse declaravit, ut coram alio in spiritualibus, ac temporalibus impeti non possent (*Dipl. LXXI.*). IV. Anno 1406 Rex Martinus observari praecepit laudabilem et antiquam consuetudinem, quae habebat, ut Canonici sacri Palatii coram Magistro Capellano, uti proprio eorum Ordinario in quibuscumque causis convenirentur (*Dipl. XC.*). V. Anno 1428 ad Vicarios Pan. dioecesis scripsit Fr. Joannes D. M. Alti Fontis Abbas, et Capellanus major, neminem latere posse, quod a tempore, cujus initii nulla extabat memoria Palatini Canonici, et omnes Regii Capellani in Regis, et Magistri Capellani jurisdictione persisterent (*Dipl. XCIX.*). VI. Et denique anno 1479 Angelus Staiti, et ipse Capellanus major, Decessores suos post hominum memoriam episcopali in Ecclesiam, et Populum S. Luciae potestate usos esse affirmavit (*Dipl. CXII.*).

Sic ergo Regiae Capellae Siciliae exemptio, et Capellani majoris sacra jurisdictio comparata fuit, ut nihil ea tutius, et firmius haberi possent. Nam praeter privilegium apostolicum, de quo ambigere nec possumus, nec debemus, et alia juris adminicula, quibus in sua origine progressu, et statu fulta est, ex veteri, et immemorabili consuetudine vires coepit, et magis magisque convaluit. Unde fateamur necesse est, vix dari posse exemptionem ac Praelati inferioris jurisdictionem, quae tam agregia a jure instruentur.

CAPUT III.

De Regiae Capellae Siciliae statu postremis hisce temporibus servato juris, et ritus ordine in integrum restituto.

§. I.

Novissimi juris ecclesiastici regulae nedum regiae Capellae Siciliae privilegiis non resistebant, verum etiam suffragabantur.

Vigebant jam saeculo XI. et XII. indulta Monasteriis, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Xenodochiis, et equestribus Ordinibus exemptionum privilegia, et majus incrementum flagrante Avenoniansi schismate acceperunt. Hinc graves querelae Divi Bernardi, Petri Blesensis, Petri Cantoris, Joannis Sariesbirensis, tum etiam Episcoporum in Conciliis Lataranensibus sub Alexandro III. et Innocentio III. itemque in Viennensi, Constantiensi, ac Tridentino, ubi actum est de iis libertatibus revocandis, quae penitus enervarent ecclesiasticam disciplinam. Multa igitur in eisdem Conciliis, et praesertim in Constantiensi, ac Tridentino decreta edita fuerunt ad exemptionum abusus corrigendos, et nativam Episcoporum in ipsos exemptos potestatem

restituendam. Quod vero ad rem propositam attinet, tantum abest, ut ejusmodi decreta Regiae Capellae Siciliae in pristinum redintegrandae obsisterent, ut potius faverint, ac praesto fuerint, quod sequentibus argumentis ostendem.

Primum Argum. Sub generalibus tot Conciliorum regulis privilegia expungentibus, vel coarctantibus, ea non venerunt, quae ab ipsa Ecclesiarum fundatione invaluerant. Nempe fundationes pro sacrosanctis, et inviolabilibus habendas esse, sic tota clamabat antiquitas, ut non immerito scripserit Thomasinus P. I. lib. III. C. 31 *nullum tutius, nullum privilegii indubitatius fundamentum, quam Fundatorum voluntas*, Concilium igitur Constantiense dum Sess. XXIII. Martini V. bullam de exemptionibus approbat, inauspicatas exemptiones, quae ab obitu Gregorii XI. unde Avenoniense schisma eruperat, indultae fuerant, rejicit quidem, sed *exceptis exemptionibus, quae concessae sunt . . Ecclesiis . . sub modo exemptionis, aut conditione fundatis*. Et Concilii Tridentini Patres exemptiones multis additis limitationibus coercuere, sed quae a limine fundationis perviguissent, integras, et immotas stare passi sunt. Quin etiam adversus fundationes religiosam adhibuere reverentiam, ut exemplo esse potest Sessionis XXIV. de Ref. decretum, quo Petroni vetantur, advigilare sacris officiis, visitare supellectiles, vel proventuum administretioni se immiscere, *nisi quatenus id eis ex institutione, et fundatione competat*. Unde sacra Congregatio ad Cap. VIII. ubi Episcopis tamquam Sedis Apostolicae Delegatis facultas tribuitur ad loca exempta perlustranda, ex mente ipsius Concilii declaravit, Episcopum posse hujusmodi loca visitare, nisi aliter cautum sit in fundatione. His positis novissimi juris Canones primaevam Regiae Capellae Siciliae ab omni ordinario jure immunitatem, subjectionemque Antistiti Aulae, confirmabant potius quam convellebant.

Secundum Argum. Quantamcumque reformationis causam praeberent aucta praeter modum exemptionis incommoda; nunquam vero de Ecclesiarum nullius statu deturbando cogitatum est. Quippe non erat, cur de istiusmodi Ecclesiis, quasi de violata dioecesana sua jurisdictione Episcopi conquererentur. Ut enim post alios ad Cap. Ex. de Officio Ordinarii N. 10 observat Fagnanus, tales Ecclesiae neo de dioecesi sunt, neque in dioecesi, et proprium habent Praelatum, a quo administrentur. Tantum Ecclesias nullius ab Episcopo viciniore utpote Apostolicae Sedis Delegato visitandas constituit Tridentinum Concilium Sess. XXIV. C. IX. idque fortassis, ne a Catholici Corporis compage divulsae, monstro similes apparerent, tametsi cum Capite conjungerentur. Itaque dicti Canones minime obstabant, quominus Regia Capella Siciliae, quae cum toto suo formali et materiali complexu nullius erat dioecesis, in pristinam statum sui conditionem restitueretur.

Tertium Argum. Regias Capellas Tridentini Patres nedum ab Ordinario, sed etiam a delegato Episcoporum jure immunes fore jusserunt. Etsi enim ad reprimendos exemptionum excessus animum intenderent; vetuere nihilominus, Episcopos etiam uti pontificios Delegatos ea loca invisere, quae in suam clientelam Principes adscivissent, nisi eorum accederet consensus. *Episcopi tamquam Sedis Apostolicae Delegati habeant jus visitandi Hospitalia, Collegia quaecumque etc. non tamen quae sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia*. Haec laudati Patres Sess. XXIII. C. 8 Ad rem P. I. lib. III. C. 36 Thomasinus: *Erat nempe SS. illis Patribus exploratum, in regiis id genus libertatibus justissimas plerumque causas intervenire, et quae ne trahi quidem possent in controversiam. Plerumque enim interveniebant Pontifices, Reges ipsi fundatores erant, nulli quandoque Epi-*

Digitized by Google

scopo obnoxia fuerant loca, ita ut nihil damni cuiquam Episcopo importabatur.

Decrevit equidem Tridentina Synodus, Sess. XXIV. C. II. ut ex quibuscumque privilegiis, *nihil Ordinariis detractum intelligatur: quominus ii, quibus ea jam concessa sunt, vel in posterum concedi contigerit, ipsis Ordinariis tamquam Apostolicae Sedis Delegatis, plene in omnibus subjecti existant*. Sed Capellanos regios quod spectat, Constitutionem Innocentii III., quae incipit *Cum Capella*, ratam esse voluit. Haec autem Constitutio jubet servanda privilegia, Summorum Imperantium Capellanis indulta, modo ne si ab Episcopo praefecti sint Ecclesiis parochialibus, respectu curae animarum ab Episcopi jure sese emancipare contendant. C. Cum Capella de Privilegiis. Ergo Tridentinis regulis vel maxime congruebat, ut vetustissima Regiae Capellae Siciliae privilegia firma, et immota consisterent.

Quartum Argum. Quid quod recentioris aevi Pontifices regiarum Capellarum privilegia non solum rata fecerunt, verum etiam magis magisque amplificarunt? Quod Apostolicae Bullae pro Capellanis majoribus Galliae, Hispaniae, Lusitaniae, Sardiniae, ac Neapolis huc usque editae satis superque demonstrant. Et quamvis Benedicti XIV. Bulla *Convenit* proprie ad Regnum Neapolitanum spectet; nihilominus Capellano majori Siciliae, non quidem ex mente Pontificis, sed ex rei natura, favet, ac suffragatur. Cum enim antiqua jura, quae Capellano majori Neapolis confirmat, eadem sint, quae Capellani majoris Siciliae propria erant, et inde post Regni divisionem in illum, uti saepius observatum est, defluxerant; nemo est, quin intelligat, ut a Summo Pontifice una fidelia, et in rivulo, et in fonte approbentur.

Igitur novissimi juris Canones, et pontificiae constitutiones vetustis Regiae Capellae, et Capellani majoris Regni Siciliae privilegiis nedum non derogasse, verum etiem vim addidisse manifestum est.

§. II.

Praescriptio, quam reponebant Episcopi, nullum afferebat ***impedimentum***, *quominus Capellani majoris in Regias Capellas jurisdictio restitui jure posset.*

Legi naturae, quae suum cuique tribuendum dictat, procul dubio adversatur, ut quis alienum beneficio longae possessionis acquirat, quod praescriptionem dicimus. Et quamvis Grotius de jure belli, et pacis lib. II. C. IV. censeat, inter Populos liberos, qui Superiorem non agnoscunt antiquum dominium Possessori jure naturae prodesse; attamen ante, et post Grotium doctissimi, et Consultissimi Viri contrarium non modo tenent, sed firmissimis etiam argumentis evincunt. Ante Grotium ejusmodi quaestionem attigit Clarissimus Vasquius Controv. ill. lib. II. C. V. et praescriptionem naturali aequitati oppositam demonstravit. Idem post Grotium propugnavere uterque Coccejus Henricus, et Samuel, qui et rationum momenta, quae ille in medium profert, accurate refellunt. Porro Heinnecius Elem. J. N., et G. lib. I. C. XII. §. CXXIII. in adnot. id ipsum extra dubitationem positum esse affirmat his verbis: *Ad posteriorem exceptionem pertinet Usucapio, et Praescriptio, eam enim ignorare jus naturae tam certum videtur, quam quod certissimum. Nam tempus, quod in sola relatione consistit, dominium suapte natura neque dare cuiquam, nec adimere potest. Itaque legibus civilibus.*

Digitized by Google

originem debent Usucapio, et praescriptio. Unde praescriptionem cum Justiniano improbam allegationem Jureconsulti vocant, et cum Grotio ultimum iniquitatis praesidium, uno simul ore docentes, eam esse odiosam, et restringendam, ut habetur C. Cum olim de Praescriptionibus. Caeterum, quia exemplo ducto a Jurisprudentia Civili Canones in rebus etiam ecclesiasticis praescriptionem admittunt, opus erit, ut ad juris utriusque principia propositam quaestionem revocemus.

Bona imprimis fides ad civilem, et canonicam praescriptionem requiritur. Et licet, si generalis legis, aut canonis dispositio non obstet, bona fides ad praescribendum sufficiat, quia jus commune titulus est, qui probatione non eget; in casu tamen contrario necesse est exhiberi titulum, qui possessioni causam tribuat, nisi tanti temporis allegetur praescriptio, ut ejus initii memoria nulla supersit. Cap. Episcoporum de Praescriptionibus in 6. Atqui Regias Capellas praeoccupaverant Episcopi contra generalem ecclesiastici juris ordinem, quo in alienis Ecclesiis jurisdictionem suam exercere, sine proprii Pastoris auctoritate vetabantur. Id enim habent antiqui Canones apud Gratianum Caus. IX. Q. 2. Speciatim vero Patres Antiocheni adeo exercitium spiritualis potestatis in alienis exhorrent dioecesibus, ut omnia peracta irrita pronuncient, et Episcopum depositione coerceant. Can. XIII. et XXII. Cujusmodi decretum mutatis tantum poenis confirmarunt Tridentini Patres statuentes, Episcopum in alterius dioecesi nemine invitante, pontificalia promentem, ab exercitio Pontificalium, et Ordinatos ab executione Ordinum ipso jure esse suspensos Sess. VI. de Ref. C. V. Ergo reluctante jure communi adversus legitima Capellani majoris in regias Capellas jura, non poterant Episcopi praescriptionem obtendere, cum nec ullo justo titulo, neque immemorabili possessione sese defenderent.

Et profecto Ordinarii titulus, quem assumebant in Regiis Capellis Episcopi, nulla vel probabili ratione constabat, obsistentibus praesertim Tridentini Concilii decretis, quibus Ecclesiarum nullius, et regalium Capellarum privilegia nedum non abolentur, sed etiam expresse confirmantur. Occurri autem nobis potest, et quidem a doctis, et eruditis, quaerentibus, anne ex incluso S. Luciae finibus Capellani majoris officio, legitima emerserit causa, quare regiae Capellae in episcopalium dioecesium ambitu existentes, in ordinariam Episcoporum jurisdictionem prolaberentur; quippe ubi cessat privilegium, jus commune vim suam opus est resumere, ac reviviscere. Quibus ego respondeo, Capellanos majores non ideo, quia speciatim Ecclesiae S. Luciae essent addicti, a' pristina sua jurisdictione excidisse. Adhuc enim eum titulum praeferebant, cui plenissima in omnes regias Capellas cohaerebat jurisdictio. Nempe instituebantur Capellani majores Regni Siciliae, cum omnibus, et singulis honoribus, et juribus, quibus olim eorum Antecessores usi fuerant, quaeque praestantissimae dignitati erant ingenita, ut in regiis, pontificiisque rescriptis legitur. Itaque S. Luciae districtu continebantur non jure, sed injuria, facto videlicet Episcoporum, qui reliquas regias Capellas praeoccupando, competentis earum Praesulis legitimae jurisdictioni omnes aditus intercludebant. Profuisset quidem Episcopis Capellani majoris legitime praesumpta consensio, cum sine tali praesumptione, quae ad bonam fidem pertinet, praescriptionem allegare non possent. At ejusmodi consensum qua ratione praesumerent? Tantum quippe abest, ut Capellani majores injuriae sibi illatae adquiescerent, ut potius apertissime reclamarent. Ut Hieronymus Riggio, Simon Rao, Martinus la Farina, et Simon Impellizzeri, qui causam suam strenue tuendam susceperunt, et optato exitu conclusissent, nisi

ea invaluisset opinio, quae Capellani majoris jura in Regiae Monarchiae Judicem transfusa esse adstruebat. Cui sententiae ipsi Regii Visitatores adhaeserunt, uti nos alibi observavimus.

Jamvero Episcopos a necessitate proferendi justum titulum exemisset possessio, cujus initii memoria nulla persisteret. Sed recentior erat, quam ut eis tituli legitime constituti, et probati loco esset. Namque a Capellani majoris in Ecclesia S. Luciae assiduitate suam traxisse originem, in dubium non veniebat. Id scilicet regia diplomata, et cujusvis generis historica monumenta, quae Regii Praesulis jura usque ad Austriacos Reges integra, et immota sistebant, apertissime confirmabant. Itaque inconsulto praescriptionem excipiebant Episcopi, utpote qui nec justo titulo, neque immemorabilis vetustatis possessione juvabantur.

Hactenus Regiae Capellae, et Capellani majoris Siciliae privilegia praescriptioni subjecta esse posuimus. Sed multiplici ratione a jure petita, constabit eadem nulla praescriptione elidi potuisse. Et primo quidem non poterant Episcopi Capellani majoris jura praescribere, nisi simul exemptarum Capellarum limites praescriberent. Sunt vero Provinciarum, Dioecesium, et Parochiarum confines ab omni praescriptione immunes, quando et legitima auctoritate statuti fuerint, nec eos temporis lapsus deturbarit, et permiscuerit. Enimvero hi confines utpote positi ad distinguendas jurisdictiones, ne jurgia, et lites oriantur, a nemine possideri possunt, proindeque sunt, ut adpellantur *impraescriptibiles*. Quae sententia est veterum Canonum apud Gratianum Caus. XVI. Q. III. C. 5. 6. et 7. itemque Cap. Super eo de Parochis, ubi Urbanus III. haec habet: *De finibus, et his, quae finibus cohaerent, non praescribendis, statutum per Canones esse dignoscitur, si fines legitima probatione, vel alias indubitata fide constiterit, ecclesiastica ordinatione statutos*. Quanto autem jure ab Episcopalibus dioecesibus exclusae initio fuerint Regiae Capellae, adeo ex dictis clarum, et perspicuum est, ut supervacaneum sit hac de re dicta repetere. Porro nunquam accidere potuit, ejusmodi Capellarum limites confundi, cum certi semper substiterint termini Palatiorum, Castrorum, Arcium, ac Terrarum, quibus illae adnectebantur. Ut ergo existens, ac vigens regiarum Capellarum circuitio, sic etiam ordinaria Capellani majoris in eas jurisdictio, nulla poterat praescriptione aboleri.

Deinde non poterant Episcopi Capellani majoris in Regias Capellas exemptas jura praescribere, nisi una opera jus, quod ab earum fundatione manabat, everterent. Atqui jus a fundatione procedens adeo firmum et inconcussum est, ut neque immemorabilis consuetudo illud exscindere, et abrogare valeat. *Nulla* (inquit Zipeus Consult.lib. V. C. 3 §. Haec inquam) *dari potest consuetudo, quae aliquatenus fundationibus, quae hodie sunt juris publici possit derogare*. Additque, ante annos circiter triginta a Sacra Congregatione fuisse decisum: *quoad subjectionem, exemptionemque praevalere erectionem, fundationemque clare apparentem, usui contrario quamvis immemoriali pro Episcopo Antuerpiensi contra Provincialem Minorum quoad Monasterium de Sion tertii Ordinis Lirae*. Cum ergo regiae Capellae Siciliae in sui fundatione a quacumque dioecesi separatae fuerint, et Capellano majori tamquam loci Ordinario adscriptae; consequens erat, ut nulla contraria consuetudine, quae hominum quoque memoriam excederet, nativa illarum exemptio convelli posset.

Denique illud huc quoque accedit, quod Capellani majoris in regias Capellas jurisdictio in praerogativam regiae dignitati adnexam resolvitur, con-

tra quam qualiscumque praescriptio est prorsus inefficax, ut in subjecto articulo, quoniam explicatione digna res est, ostendemus.

§. III.

Capellani majoris in Regias Capellas exemptas jurisdictio, eo quia in privilegium Regi concessum resolvitur, nulli praescriptioni subjacet.

Duo nobis ad pleniorem hujus thematis intelligentiam constituenda sunt; et I. Regalium jurium et privilegiorum eam esse naturam, ut a Subditis praescribi heud possint: et II. Capellani majoris in regias Capellas exemptas ordinariam jurisdictionem in privilegia regiae dignitati adnexa esse referendam. His enim praestitutis, et firmissime comprobatis, plane constabit illud, hac disputatione quod quaeritur.

Et ad primum quod attinet, nihil magis ab humanae judicio rationis abhorret, quam ut Regum, Summorumque Imperantium jure Subditorum praescriptioni subsint. Quid enim hoc esset, nisi regiam dignitatem, ac Majestatem abjicere, quasi nullum discrimen inter Principes, et privatos Cives intersit? Ad rem Christ. Thomasius de praescript. Regal. ad Subditos non pertinente: *At praescriptio . . sive illa sit longi, vel longissimi, sive immemorialis temporis, plane inepta est, ut per illam Subditis jus quoddam adquiri possit. Etenim introducta est, ad coercendam Civium negligentiam, ne multitudo litium cresceret, et solertia ac vigilantia inter Cives promoveatur. Qua ratione ergo summa cum imis miscenda essent, si summam in Civitate majestatem Civibus assimilare, iisdemque eam coercitionibus cum Subditis subjicere vellemus? Nihil aliud profecto esset, quam summam potestatem alterius subjicere imperio, dominiumque ei adimere, cujus dominio omnia, quae Respublica continet, subsunt.* Itaque ab ipso juris publici universalis fonte profluit ea lex, quae Regum praerogatives nulli ex parte Subditorum praescriptioni facit obnoxias. Consule inter caeteros, qui egregiam praefato juri elucidendo operam navarunt, Uberum de jur. Civit. lib. 1. C. 21 §. 4. Hornium Architect. polit. lib. II. C. 9. Barbeyracium ad Grotium de J. B. et P. lib. II. C. 4. et Chopinum De doman. Franc. lib. III. Tit. 9.

Verissimum sane est, ad mulctandam Civium incuriam, et publicam tranquillitatem promovendam a jure romano statutum esse tempus, quo elapso rerum dominia possessoribus attribuantur. Constat vero Subditos, non Reges hac lege devinci. Que propter etiam jure romano unquam non possunt regia jura praescribi. L. quod Principis 23 final. ff. de aqua pluvia arcenda L. 3 ff. de aqne quot. et aestiv. Item nulla cujuscumque temporis praescriptio a tributis publicisque collationibus immunitatem praestare valet L. 6 C. de praescript. trig. ann. Nec praescriptio ullius longi temporis res publicas Subditorum efficere potest. L. 2 ne rei domin. vel Templ. Hinc regalium sic dictam *imprаescriptibilitatem* concors Doctorum omnium firmat opinio, quorum in numero sunt Faber in Cod. lib. VII. Tit. 12 Definit. 1. Thesaurus Quaest. For. lib. 1. q. 36. Oliva de Jur. Fisc. C. VI. Castillo De tert. debit. C. XXII. et Controv. jur. lib. V. C. 95 Frasso De reg. patron. Indiar. C. XCV. Num. 87. et Cabedo De Patron. reg. Cor. C. VII. Num. 29.

Haec eadem regalium ab omni praescriptione immunitas gravissimam

Digitized by Google

quoque juris Siculi legem constituit. Eo siquidem spectat Constitutio *Scire volumus*, Constit. lib. III. Tit. IX. ubi Rex Rogerius de regalibus universae pronunciat, sic esse Regiae Majestati cohaerentia, ut ab ea separari, et avelli non possint. Eadem habet Constitutio, *Ea, quae ad speciale decus*, Constit. lib. 1 Tit. XLIX. in qua Fridericus Imp., et Rex Siciliae, quae ad dignitatem regiae celsitudinis spectant, declarat ejus esse conditionis, ut per illicitas praesumptiones a nemine queant usurpari. Adde Capitula Regni videlicet IX. Regis Jacobi. I. Regis Martini CCCLVII. et CCCCXXIII. Alphonsi, et XXI. Joannis.

Quibus quidem legibus, et sanctionibus minime obstat laudati Friderici Constitutio *Quadragenalem*, quae terminos ad fiscales res praescribendas a lege Romana, et Longobarda positos ad centum annos ampliavit. Id enim in sublimioribus praerogativis, quae Principatum decorant, locum non habet, uti bene adnotavit Marius Cutelli in Cod. Leg. Sicul. Not. 1. ad Cap. Reg. Mart. Num. 4. his verbis. *Nam quod per Constitutionem Quadragenalem in Siciliae ditionibus fuit constitutum, ne contra Fiscum alia praeter centenariam proficiat, ad illa bona tantum referendum est, quae Regi ex Fiscali patrimonio competunt, ex confiscationibus nempe, vel vacantibus bonis: nam quae supremae Coronae jura dicuntur, nequaquam acquiri ex tempore possunt*. Vides igitur, ut patria jura cum jure publico universali, et romano in adstruenda regalium *imprescriptibilitate* concordent.

Sequitur, ut explicemus utrum attributa in regias Capellas exemptas Capellano majori potestas iu privilegium Regi concessum desinat, atque adeo inter Principis regalia jure computetur. Certum vero exploratumque esse debet, regia jura probe adpellari, quae ad Regem pertinent, sive ab intima Principatus natura pendeant, sive extrinsecus Principatui adveniant. Cujus posterioris generis sunt quaecumque privilegia, et jura etiam spiritualia, quae Regibus ex tacita vel expressa Ecclesiae consensione competunt, ut exemplo Regaliae propriae dictae clarum esse potest. Quamvis enim beneficia ecclesiastica conferendi jus involvat, ac proinde ratione supremae temporalis potestatis convenire haud possit; jus tamen regium dicitur eo sensu, quod antiqua consuetudine et summorum Pontificum approbatione firmatum regiae dignitati cohaereat. Idque non aliter ac Patronatus, quos vocant laicos, ipsis quoque terris, atque dominiis ex possessione adnectuntur, et quasi temporalis juris loco habentur, tametsi id juris ex ecclesiasticae potestatis fonte profluxerit.

Hunc porro loquendi morem antiquissimum praestant monumenta plurima, quae refert Natalis Alexander Hist. Saec. XIII. et XIV. C. XII. in Diss. VIII. De jure Regaliae Art. VII. Quibus omnibus praetermissis, satis erit animadvertere, in ipso Lugdunensi Concilio regalia dicta fuisse jura, quibus Reges Galliae in quibusdam Ecclesiis, et Monasteriis fruebantur. Sic enim habet Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus in commentario ad Lugdunense Concilium, cujus e Patribus unus fuit Cap. XXXI, *Regalia hic vocantur jura Regis in quibusdam Ecclesiis, et Monasteriis competentia, quia videlicet illis vacantibus Rex sub praetextu custodiae facit fructus suos, et etiam in quibusdam praebendas confert, sicut patet in quibusdam Ecclesiis Franciae*. Unde loquens de eodem Concilio Enspenius J. C. P. II. Tit. XXV. C. 8. ita scribit. *Ipsum quoque Concilium Lugdunense secundum sub Gregorio X. hanc Ecclesiarum varietatem sat aperte cognovit, ipsa regalia restringens ad eas Ecclesias, in quibus ab ipsa fundatione; vel ex antiqua consuetudine invaluissent*.

Digitized by Google

Itaque parum refert, utrum quae jura Regibus ettribuuntur ab intima Principatus conditione, en potius aliunde derivent. Scilicet juxta de omnibus ratiocinandum est, cum ee, quee sunt extrinsece, et accessoria, ab ipso Principatu cum quo consolidentur, et coalescunt, naturam suam, et definitionem repetant. Ex quo par par est intelligere, Capellani majoris in regias Capellas jurisdictionem, inter eximia Regiae Coronae privilegia esse numerendam. Siquidem ex privilegio Regi concesso, quod electum ab eo Capellanum majorem, proprium Regis ipsius, et Regiae Familiae atque exercitus facit Episcopum, manifeste consequitur, ut Capellis, et Capellanis tam Regiis, quam Castrensibus alius non competat, neque competere possit Antistes.

Caeterum si specialia requiruntur argumenta quae hoc expresse demonstrent; ea sunt in promptu. Quando Constantia Imperatrix, et Regina Siciliae, Archiepiscopo, et Vicario Messan. dioecesis rescripsit, ut a perturbanda Capellani majoris in regiorum Castrorum Capellanos jurisdictione desisterent, ne *dignitatibus, et praeeminentiis nostris regalibus ullum inferatur praejudicium vel laesio* (*Dipl. XX.*). Quando Rex Ludovicus Mess. Antistitem Capellani majoris in Ecclesiam D. M. Castri Messanae, ac Monasterium sacrarum Virginum, quas adhuc de Basicò appellant, jure invertentem, in officio continuit, *quia jura nostra per vos, vel alium usurpari, seu minui nullatenus pateremur* (*Dipl. XLII.*): Et quando Rex Martinus Mess. quoque Praesulis ausus repressit, quod Ecclesiam Troinensem Capellano majori adscriptam suae jurisdictioni submittere niteretur, *in non levem regalium jurium laesionem* (*Dipl. LXXVI.*) apertissime contestati sunt, Capellani majoris in omnes regias Capellas jurisdictionem ab eximio sibi collato privilegio emanare, eidemque tam arcte adheerescere, ut ea laedi non posset, quin insimul per summam injuriam Regiae Majestatis jura proculcentur.

Concedamus igitur quod negari non potest, Capellani majoris in omnes regias Capellas ordinariam jurisdictionem, nullum a praescriptione pati posse detrimentum. Cum enim jura Principatui cohaerentia per Subditos praescribi non possint, et ea jurisdictio in Siculi Principatus speciale decus, et privilegium resolvetur; evidens est, quemadmodum et nulli praescriptioni reddatur obnoxia.

§. IV.

Ritus etiam ordine servato in Regia Capella Siciliae in integrum restituenda processum est.

Ex hactenus dictis, omnis de servato juris ordine in restituendo in pristinum Regiae Capellae Siciliae statu, sublata est dubitatio. Haec enim non aliunde nasci poterat, quam vel ex novae disciplinae legibus, quae privilegiis jus commune turbantibus adversarentur, vel ex legitima praescriptione, quae ab Episcopis faceret. Sed novae disciplinae Canones regiarum Capellarum exemptionem, et Capellani majoris in ipsas jurisdictionem confirmabant potius, quam evertebant. Et isthaec exemptio, et jurisdictio ab ipso unde manabant, Coronae privilegio, ab omni praescriptione sese praestabant immunes. Demonstrandum ergo superest, quemadmodum dicta restitutio servato etiam ritus ordine facta sit, licet sine ordinarii judicii solemnitate processum fuerit, et causa ipsa per supremos Magistratus a Rege deputatos cognita, et definita.

Quandequidem regiarum Capellarum exemptio, et sacra Capellani majoris in eas jurisdictio in eximium Regis, et Regni decus uti satis evictum est resolvitur, ac desinit, res ipsa postulat, ut ad eas in integrum revocandas, exequutorio ritu, et sine consuetis judiciorum formulis procedatur, Sane qui regalia possident, si legitimo possidendi titulo carent, semper malae fidei possessores existimandi erunt; quippe cum nullam ex parte Principis scientiam, et consensum praesumere possunt, quo se praescriptione tueantur. Talis enim praesumptio juri manifeste adversatur, eo quia *non potest per Principem fieri alienatio, per quam sequatur expropriatio, et abdicatio dominii, dignitatis, et jurisdictionis, quia esset deformare Principatum:* uti docent Jureconsulti, quos laudat, et sequitur Rolandus a Valle Consil. Volum. I. Cons. II. Num. 98.

Hinc sine tituli probatione, immemorabilis etiam possessio adversus Regem non prodest. *Regalium possessores*, uti scribit Corziada in Decis. CCLIII. *praescriptionem longissimi temporis, nempe decem, viginti, triginta, quadraginta, aut centum annorum opponere non possunt, nisi titulum habeant; nam cum juris praesumptio illis vehementer adversetur, nullo pacto possessionem suam tueri possunt, nisi per ostensionem tituli.* Quod et omnium Doctorum firmat consensio. Et ut bene adnotavit Frasso De reg. patron. Ind. Cap. XCV. Num. 87 et seq. *In rebus Regii Patronatus, et aliarum Regaliarum, ac dignitatis regiae, immemorabilis dari non potest possessio; siquidem Regis, in cujus praejudicium possidetur, . . . morte, et novi Principis inauguratione, et successione (contra quem non oritur, nec incipit praescriptio, nisi a decessu et morte praecedentis Principis* Osasca etc.) *quaecumque interrumpitur detentio, et possessio, ideoque nunquam immemorabilis ad praescriptionem hujus qualitatis, et naturae inducendam, et perficiendam esse poterit. Item in his rebus scientiam, et patientiam Regiorum Officialium Regi ipsi praejudicium inferre, et causare non posse ex l. 2 ff. etc. notant* Garsias etc.

Igitur si regalia qui detinent, ex loquendi more inter Poculejanos Jurisperitos usitato, sunt in possessione, sed non possident, et ex formula penes Sabinianos recepta, possessionem habent mere naturalem et facti, non autem civilem, et juris; oppido patet, nullum ipsis competere beneficium possessorium, et sicut de facto possident, sic etiam de facto esse rejiciendos. Non enim nisi de redintegrando regio jure agi debet, qua in specie causa omnis ad duo tantum extrema reducitur, nempe ad qualitatem juris, atque ad exhibitionem tituli, ex quo possidetur. Et certe cum Rex habeat in talis juris natura, et conditione *intentionem fundatam;* nihil aliud requiri poterit, quam ut titulus, seu concessio exhibeatur. Quamobrem infra certum terminum eo non exhibito, totum judicium absolvitur decursu hujus termini, et praevia citatione ad exhibendum.

His haeret principiis celebriorum Jureconsultorum sententia, quae habet, in revocandis juribus ad regiam dignitatem spectantibus, Regem non litigare, nisi incipiendo ab *apprehensione* juris, et ab *injectione* manus regiae, hoc est ab ipsa redintegratione. Strychius in Dissert. de necess. edendi tit. poss. Cap. III. id fuse disputat, et Num. 38 recte concludit, *Principem in his, quae sibi tamquam Regi competunt, sine possessione non litigare*. Et num. 39 haec quoque habet: *Fundamentum eorum, quae in hoc capite hactenus asserta sunt, illud solummodo sit, Principis intentionem esse fundatam contra possessores illarum rerum, quae ad ipsum spectare solent*.

Huic doctrinae nostri quoque Jureconsulti *i*·se subscribunt. Prae cae-

teris Marius Cutelli eximium Siculi Fori decus, ac lumen, illam ex eo capite repetit, quod nihil magis quam Regalium possessio a Subditorum conditione aliena sit. *Nam* (inquit in Cod. leg. Sicul. Not I. ad Cap. Reg. Mart.) *si horum incapaces sunt Subditi, ni principalis praecedat concessio, consequens videtur, in eos non possessionem, sed nudam tantum detentionem, ac si clam possiderent, transire, ut ex Gratian. Discept.* 441 *non semel affirmavimus. Quod si possidere nequeunt, quis dubitabit, juris operatione possessionem apud Principem servari, fierive ac si suo nomine detinerent, facultateque tributa, ut cum sibi videbitur eos depellere possit, ac commodo possessionis privare; hi enim sunt, quorum JC. dixit, in possessione esse, sed non possidere in L. siquis autem* 10 *ff. de acquir. possess.*

Nunc de Curiae saecularis competentia videamus, tametsi, quando aut regiarum Capellarum exemptio, aut Capellani majoris jurisdictio, quae mutuo inter se nexu colligata sunt, in quaestionem veniebat, causa suapte natura cognitionis esset ecclesiasticae. Sed haec difficultas, quoniam de re, quae ab eximio Regiae Coronae privilegio pendebat, agebatur, perfacili et expedita responsione dirimitur.

Sane ipsa Ecclesiae concessio, quae facit, ut spiritualis aliqua praerogativa Majestati cohaereat, et inter regalia computetur, illud etiam videtur efficere, ut causae omnes, ac dubitationes circa illam emergentes per Laicos Magistratus a Rege deputatos rite judicentur. Et quia in causis regia jura contrectantibus, possessorium, ac petitorium, ut dicunt, necessariam habent colligationem; fortasse non improbandum erit, ejusmodi causas Regibus, et iis, qui sacra vice judicant, ex integro addici, ne illarum continentia, et contextus abrumpatur. *Ex hisce dictis*, (inquit loc. cit. N. 31 Strychius), *sequitur plane non dari purum possessorium, si ratione regalium agatur, sed possessorium mixtum requiri, quod judicii petitorii exitum sortitur, dum simul proprietatis habetur ratio, ob necessariam tituli deductionem.*

Porro nulli dubium, quin consuetudo ipsa jurisdictionem tribuat, vel tribuere possit. Ita docet Glossa in L. 1 et fin. Cod. De emancipatione liberorum, per textum, et ibi Doctores, nec non in C. cum contingat, De Foro compet. Et Glossa in C. Conquestus. 9 Quaest. 3 et in C. fin. 18 Quaest. 2 in C. Cum Dilecti. De Arbitris. C. Novit. De Judiciis: et in C. Cum Dilectus. De fide instrum. Cumque aliunde consuetudo antiquissima privilegii vim sortiatur; manifestum debet videri, cognitionem causarum regalia contingentium tam si de possessione, quam si de jure controversia sit, ad Reges, regiosque Senatus ex vi ipsa consuetudinis posse pertinere.

Certum vero est, haec principia in Galliis esse recepta. Nam causas omnes jus Regaliae, ejusque extensionem, et adnexa spectantes, Regi Christianissimo, et Parisiensi Senatui adjudicant Stephanus Aufreri in Tract. de potest. Saecul. super Eccl. personas in Regula II. et Fallentia XXV. Guillelmus Benedicti in Repet. Cap. Raynuntius super verbo et in Uxorem in II. Decis. Num. 366. Henricus Bohic in Cap. Nobis De Jure patron. Ruzeus in Tract. de jure Regal. privileg. XXVI. Aegidius Magister in Tract. de Regal. C. XII. Joannes Feraldus De privil. et jur. Regni Francorum privileg. XI. Et Carolus de Grassalio lib. II. Regal. Franciae jure V. Praeterea certum est, non modo in Galliis, sed etiam alibi eadem obtinere principia, si de regio patronatus jure, vel aliis quae Coronae adhaereant juribus, et privilegiis quaestio habeatur. Hujus enim omnimodam disceptationem, et peremptoriam decisionem Regibus eorumque supremis Curiis vindicant praeter Gallos, Hispani Garsias de Nobilit. Gloss. IX. Num. 24 et

Digitized by Google

seq. Salgado de Supplic. ad SS. P. 1 C. 1 Num. 135 Solorzanus de Iur. Indiar. Tom. II. lib. III. C. 3 Num. 24 et alii aliarum Regionum Jureconsulti quamplurimi.

Apud nos ab antiquis temporibus ea disciplina viget, quae in quibuscumque causis ad regalia pertinentibus, supremas Regni Curias efficit competentes. Quod etiam exemplis, quae rem praesentem attingunt, comprobare possumus. Nam Rex Martinus Mess. Archiepiscopum a perturbando Capellani majoris in Ecclesiam Troinensem jure prohibuit quidem, sed illi permittens, ut causam suam dicturus, ad sui praesentiam accederet: *et si quas habetis rationes coram nobis compareatis* (*Dipl. LXXVI.*). Et Infans Petrus exortam inter Catanensem Episcopum, et Capellanum majorem de jurisdictione Terrae Calaxibettae controversiam, Io. Baptistáe Platamoni Regio Consiliario detulit examinandam. *Idcirco regia auctoritate, qua fungimur, vobis committimus, quatenus causam . . . requisitis partibus ipsis recognoscatis, et videatis, et fine debito, prout juris est, sententialiter terminetis* (*Dipl. XCVII.*). Potiori jure quam in aliis Regnis poterat haec disciplina radices agere in Sicilia, ob Regum apostolicam legationem vi cujus causas ecclesiasticas, quae nunc in Tribunali Regiae Monarchiae, ut dicimus, agitari debent, Saecularibus Judicibus, et Magistratibus delegare solebant.

Plura sane in rebus tanti momenti enucleandis dici potuissent. Sed hactenus dicta satis esse debent, ut quemadmodum in redintegrando regiae Capellae Siciliae antiquo statu, non modo juris, sed etiam ritus ordo servatus sit, plane intelligatur. Nos enim omnem intemperantiam, et satietatem cupimus effugere.

§. V.

Ordinaria Capellani majoris Siciliae jurisdictio a S. Sede agnoscitur, et confirmatur.

Ad quaecumque dubia et scrupulos eximendos, reliquum est adnotare, ut ordinariam Capellani majoris Regni Siciliae jurisdictionem Apostolicae quoque Sedis obsignaverit auctoritas. Equidem sub die 4 Maii 1804 Pius Papa VII. petentibus palatinae Capellae Canonicis, Capellano majori uti loci Ordinario, copiam fecit transferendi in altare ipsius Capellae onera Missarum, quae subterraneo Sacello Divae Mariae omnium gratiarum legata fuerant (*Dipl. CCXLIII*). Sub die 18 ejusdem mensis 1804 instantibus iterum dictis Canonicis Sanctitas Sua Capellanum majorem utpote loci Ordinarium facultate auxit, ad exportandam ab ipso inferiori Sacello in alium palatini Templi commodiorem locum D. Mariae iconem, vel ejus exemplar (*Dipl. CCXLIV.*). Porro sub die X. Septembris 1804. eidem Capellano majori tamquam loci Ordinario demandavit, ut veris existentibus narratis, veniam indulgeret super secundo Consanguinitatis gradu Viro ac Mulieri in Pan. S. Jacobi statione habitantibus ad nuptias rite contrahendas (*Dipl. CCXLV.*). Praeterea sub die 9 Maii 1805 Capellanus major a Sanctitate Sua potestas concessa est, relaxandi Diacono Nateli Anfuso triennale servitium, quod ex Bulla Convenit, explere debebat, ad literas dimissorias a Capellano majore pro Sacerdotio impetrandas (*Dipl. CCXLVI.*). Denique sub die 18 Junii 1805 praefato Diacono Pontifex indulsit, ut a Capellano majore, vel de ipsius licentia ab alio quocumque Catholico Praesule ad Sacerdotalem ordinem extra tempus promoveri posset. Alia fortasse id genus diplomata et rescripta haberemus, nisi subsecutae temporum calamitates, omnem cum supremo Ec-

clesiae Capite, communicandi facultatem nobis ademissent.

Sed jam singulari Dei beneficio a rerum angustiis emersimus, et Pontificem libertate donatum, ac Sedi suae restitutum gratulati sumus. Et usque adhuc, ad propositam rem quod pertinet, dno Sanctitatis Suae indulta recepimus. Quorum in uno pro anno proxime elapso, in altero pro anno decurrente 1815 Capellano majori facultas facta est concedendi toti Militiae carnium usum in diebus, quibus ab eisdem abstinendum est, paucis exceptis, qui in apostolico rescripto expresse designantur. (*Dipl. CCLIX.*).

Sic ergo restituta in pristinum Capellani majoris Siciliae jurisdictio comparata est, ut nullis legitimis dubiis, et quaestionibus implicetur. Quamobrem imprudentiaa nomine a Viris eruditis accusari possumus, quod de re, quae controversia non erat, controversiam fecimus. Sed nobis condonandum est, si imperitorum gratia, quaedam praeter disserendi artem disseramus. Non enim prudentiam nostram ibi desiderari oportet, ubi Doctor tanto est prudentior, et sapientior, quanto magis indoctorum ignaviae, atque imperitiae sese accommodat. Huic igitur libri II. parti primae finem dederimus, jam pergamus ad alteram, in qua de jure collativo Regis in regiam Capellam agendum erit.

LIBRI II. PARS ALTERA

De jure collativo Regis in Regiam Capellam.

SECTIO I.

Regii collativi juris in Regias Capellas fata, et vices percenset.

CAPUT I.

De jure collativo, quo olim Reges, vel eorum nomine Proreges in Regiarum Capellarum beneficia, et officia usi sunt.

§. I.

Probat generali argumento omnes regias Capellas cum suis beneficiis, et officiis regiae collationis extitisse.

Omnium regalium Capellarum Siciliae propria olim nota fuit, ut regiae collationi et beneficia, et officia eisdem adnexa pari ratione subessent. Duo prae caeteris regia diplomata hujus rei monumenta sunt: alterum quo Rex Ludovicus Fr. Lucam Ordinis Eremitarum, alterum, quo Regina Maria Fr. Bernardum e Franciscana Familia regiae Capellae Magistros instituunt. Eos enim tam magnae Capellae sacri pan. Palatii, quam aliarum Capellarum, et Ecclesiarum ad regiam Collationem spectantium Magistros Capellanos rannunciant (*Dipl. LVI. et LXXII.*).

Ex hac loquendi ratione perspicuum fit, omnes regias Capellas, ac proinde ipsis cohaerentia beneficia, et officia regiae collationis extitisse. Quamvis enim praefati Reges Ecclesias ad regiam collationem spectantes ab regiis Capellis distinguere videantur; atque tamen omnes Capellani majoris

juri vindicant. Ut ergo sciretur, quibus in specie Capellis regiis electum Capellanum majorem praeficerent, Magnam Capellam, et alias Capellas expresse nominant, ad reliquas facile internoscendas, regulam generalem addendo, Ecclesias omnes regiae collationis eas esse, quae ad Capellani majoris jurisdictionem pertinerent. Praeterquam quod absonum esset, de regio collativo jure regias Capellas eximere, quando in aliis Ecclesiis, quae in regiarum Capellarum censum non veniebant, obtineret.

Caeterum in suo diplomate Rex Ludovicus omnes regias Capellas ad regiam collationem spectantes ipsissimis verbis declarat: *Canonicis, Capellanis etc. tam dictae Magnae Capellae nostrae, quam praedictarum aliarum Capellarum ad nostram collationem spectantium, quod ei tamquam nostro Magistro Capellano pareant, et intendant, praesentium tenore injungentes.* Unde patet, non modo Ecclesias regiae collationis ab eodem Rege superius enunciatas, easdem esse ac regias Capellas, verum etiam omnium regiarum Capellarum communem et propriam ceu tesseram fuisse, ut cum suis quaeque beneficiis, et officiis a regio collativo jure penderent.

§. II.

Idem confirmatur ex jure collativo, quod Reges, eorumque nomine Proreges in regalium Capellarum exercebant beneficia.

Quod omnia, et singula regiarum Capellarum beneficia regiae olim collationis extiterint, notius est, quam ut in quaestionem redigi possit. Res enim est facti, quod forma ipsa demonstrat, quam in talium beneficiorum provisionibus Reges, eorumque nomine Proreges observabant. Forma vero est ejusmodi.

Cujuscumque conditionis esset beneficium, quod aliqua in regia Capella vacasset, illius liberam collationem, et omnimodam dispositionem sibi Reges, et regiae dignitati Proreges pleno jure tribuebant. Porro collationis actum explicabant per verba: *concedimus, conferimus, et donamus cum omnibus juribus suis tam temporalibus, quam spiritualibus.* Electum in corporalem possessionem inducendi munus nunc uni, nunc alteri, et quandoque pluribus pro arbitrio suo demandabant. Denique his praecipiebant, ut *virtute praesentium*, vel *receptis praesentibus*, aut ad *praesentium ostensionem* mandatum exequerentur.

Hoc equidem tenore Reges, et vicario Regum nomine Proreges palatinae Capellae Cantoriam (*Dipl. XVIII. XLVIII. LX. LXXIV. et CXIX.*), Canonicatus (*Dipl. XXI. XLVII. et LIX.*), et beneficia (*Dipl. LXVI.*) commendabant. Ad Cantoriam vero unicam aut saltem primariam palatini Collegii dignitatem quod spectat, quandoque Reges illius collationi symbolicam addebant investituram, quo magis de Collatoris voluntate, deque jure in Electum translato constaret. Ita Rex Carolus Andegavensis Joanni de Meneliis per annulum suum, et Rex Joannes Gabrieli de Enguerra per diplomatis sui traditionem sacri Palatii Cantoriam transcripsit. Aliquando etiam designatum Cantorem in Canonicorum referebant Collegium, et ut proprio jure possessionem caperet, facultate donabant. Uti de Gabriele Enguerra liquet per ea verba Regis Joannis: *Vos Collegio Canonicorum dictae Capellae aggregando: Vosque etiam possessionem ipsam propria auctoritate apprehendere possitis, et valeatis* (*Dipl. XXIX. et CVIII.*).

Digitized by Google

Simili ratione a Regibus, et Proregibus concedebantur, non modo Canonicatus, verum etiam Praepositura Ecclesiae Troinensis (*Dipl. XVI. et XXX.*), itemque regius Canonicatus Terrae Calaxibettae (*Dipl. L. LVII. LXXXI. CXI. CXVIII. CXXVI. CXXVIII. et CXXXIII.*), ac beneficium, inde vulgo dictum Abbatia S. Luciae, quibus olim ut hodie cura inerat animarum (*Dipl. LXXXII. CVIII. CXXI.*).

Nec praetermitti debet, Regem Joannem dum Gabrieli Enguerra Cantoriam simul et Abbatiam S. Luciae confert, ipsi quoque hoc beneficium Chirographi sui traditione confirmasse, ejusdemque possessionem propria auctoritate capiendi plenissimam fecisse potestatem. Quae plane demonstrant, in paroecialium beneficiorum concessionibus Reges, ac Proreges institutionem non modo tituli collativam dare consuevisse, sed etiam, quam dicunt *auctorizzabilem*, cui nec palatinae Cantoriae vacatio locum praebebat.

Enimvero in Capella sacri Palatii cura animarum toti Collegio, quod perenne erat, inhaerebat, et hinc nulla in ea contingebat vacatio, quae institutioni *auctorizzabili*, seu novae missioni occasionem subjiceret. Quare regia, seu viceregia provisio tantum erat tituli collativa, efficiebatque dumtaxat, ut quis utpote Cantor in Collegium cooptaretur. Caeterum curam animarum sive actualem, ut ajunt, quae Cantori committi solebat, sive habitualem, quae omnium Canonicorum erat propria, ab ipso, cui accedebat morali corpore consequebatur. At de beneficiis paroecialibus longe aliter est disserendum. Siquidem ea Reges, aut regia vice Imperantes absolute conferendo, sacros viciniarum Pastores cum assignatione plebis una opera instituebant.

Cum haec ita sint, pleno jure in simplicibus concedendis beneficiis, quae ad regias Capellas spectabant, Reges ac Proreges usos esse, quis ambigat? Sane beneficium S. Mariae de Admirato cum ipsa Cantoria, cui adnexum erat sub unico contextu conferebant. Pleno etiam jure assignabant Ecclesias, quae in sacri Palatii jurisdictione constitutae dicebantur (*Dipl. LXXXIV. et CXVII.*) item sic dicta Tertiaria, quae Canonicis, et Clericis regiae Capellae dari solebant (*Dipl. XLIV. et LVI.*), et denique caetera regiarum Capellarum beneficia, qualia beneficium Sancti Joannis Palatii Messanensis (*Dipl. XLV.*) Sancti Philippi de Plano Milatii (*Dipl. LV. et XCI.*) S. Antonii, et S. Barbarae Calaxibettae (*Dipl. LII. et LXXXIII.*), et alia multa, quae nunc deperdita sunt, et a Luca Barberio, et Juliano Castellano in suis Capibreviis per Serenissimos Reges, vel Proreges collata perhibentur.

Quibus ex rebus fit profecto, Reges nostros, eorumque loco Proreges de beneficiis omnibus ad regiam Capellam spectantibus plena potestate statuendo, ne ipsius Capellani majoris interveniente confirmatione, pro hac parte Ordinarii Praelati munus explevisse. Quippe si quando Capellanus major Electos in corporali possessione constituebat non ordinariam, sed delegatam exserebat potestatem, utpote qui mandata regia, seu viceregia exsequebatur.

§. III.

Idem confirmatur ex jure collativo, quod Reges, aut Proreges in omnia regalium Capellarum officia exercebant.

Beneficia, quae superius recensuimus, unaquaeque permanentibus Capellis suis erant addicta, officia non itam, de quibus nunc verba facturi sumus.

Digitized by Google

Exceptis enim Castrorum Capellaniis, quae Castrensibus Ecclesiis erant adfixae, quaelibet officia, et ministeria non tam particulares Capellas, quam ipsam Capellam generaliter sumptam respiciebant. E vestigio igitur de praefatis Capellaniis, postea de reliquis ad regiam Capellam utcumque pertinentibus officiis disseremus.

Capellaniae Castrorum, mera, ut adhuc sunt, erant officia, non exclusa ipsa Rectoria Capellae, et Hospitalis Divae Mariae Castri ad mare Messanae. Haec enim propriae non beneficium, sed simplex erat officium, quemadmodum Pirro teste in beneficiis regii Patronatus juris in Mess. dioecesi deperditis, judicatum fuit anno 1422. Jamvero istiusmodi Capellae, atque Hospitalis Rectores, nec non Castrensium Ecclesiarum Capellanos Reges, vel Proreges plena potestate instituebant per verba: *De gratia nostra concessimus cum omnibus juribus, et rationibus suis = Tenore praesentium eligimus, facimus, ordinamus, et pariter deputamus cum omnibus redditibus, juribus etc. = Cum omnibus, et singulis juribus committimus, et fiducialiter commendamus*. Praeterea cunctis, ad quos spectare poterat, et in specie Castellanis, et Vicecastellanis demandabant, *quatenus* Electum visis praesentibus in possessionem ponerent, et inducerent, eique de juribus responderent (*Dipl. XXV. CXVIII. et CXIII.*).

Inter officia regiam Capellam universim spectantia eminebat Capellani majoris officium, cui quasi episcopalis in omnes Capellas, et Capellanos regios intexta erat jurisdictio. Id vero praestantissimum munus regio Collativo juri obnoxium fuisse, patet ex formulis, quibus Reges, seu Proreges in designandis Capellanis majoribus utebantur.

Enimvero sive possessoris obitu, sive renunciatione, vel alia quacumque ratione munus hoc vacabat I. *vacare ad praesens in nostris manibus* Reges, *et in manibus Regiae Curiae* Proreges adstruebant. II. Illius liberam collationem sibi Reges, et regiae dignitati Proreges adjudicabant. *Quod ad ipsam collationem nostram pleno jure noscitur pertinere = Cujus praesentatio, collatio, et omnimoda dispositio ad eamdem Regiam Majestatem competit, et ipso jure pertinet*. III. Collationis actum exprimebant per verba: *Duximus conferendum = Duximus committendum = Damus, conferimus, et concedimus = Concedimus, et fiducialiter commendamus*: idque *cum omnibus praerogativis etc. = cum omnibus, et singulis juribus etc.* IV. Magistros Capellanos etiam renunciabant per haec alia verba: *Instituimus, et ordinavimus = facimus, creamus, et tenore praesentium ordinamus*. V. Universis, et singulis Regni personis tam saecularibus, quam Ecclesiasticis, edicebant, ut Electum *pro Magistro Capellano haberent, reputarent, tractarent, eique de juribus responderent, et responderi facerent*. VI. Capellanis omnibus regiis, et Laicis etiam illius juri adstrictis expresse mandabant, ut eum debita obedientia, et reverentia prosequerentur. *Quod ei tamquam Magistro Capellano, in omnibus, et singulis ad ipsum officium spectantibus pareant, et intendant tenore praesentium injungentes*. (*Dipl. XLVI. LXVIII. LXX. LXXIII. LXXXV. CIX. CXIII. CXIV. CXXV. et CXXVII.*). Et bene adnotandum est, sic constitutos Capellanos majores officium exercuisse suum, cum administratione jurisdictionis ad illud spectantis, et pertinentis vigore regiarum commissionum (*Dipl. XCVIII.*).

Pares quoque formulas adhibebant Reges, cum absenti, vel alia de causa impedito Capellano majori aliquem subrogabant, qui interea munus administraret (*Dipl. LIII. et LXI.*). Nec diversa ratione tam Reges, quam Proreges vacante Capellani majoris officio Vicarios in Terra S. Luciae con-

Digitized by Google

stituebant, ut ibi jurisdictionem temporalem, aut spiritualem, vel utramque, quoad novus deputaretur Capellanus major explicarent (*Dipl. LXXI. et LXXII.*). Et isti pariter substituti ad tempus Capellani majores, et Vicarii S. Luciae ex commissione regii Culminis suum persolvebant officium (*Dipl. LXXII.*).

In reliquis officiis, quae ad universam regiam Capellam spectabant, Regibus proprie non collationis, sed potius nominationis Formulae in usu fuerunt. Ita nominabant eos, qui suas confessiones exciperent, aut regiam stipem Egenis distribuerent, vel in Aula Divini Verbi praecones agerent (*Dipl. LIII. LXI. LXXXIX.*). Similiter nuncupabant Capellanos, qui suo addicti essent obsequio, vel apparato bello Militiam sequerentur (*Dipl. LXXXVI. et CVII.*). Qui proinde omnes (Eleemosynariis exceptis, quorum erat Pauperum, et Viduarum res adjuvare) vigore regiae nominationis sacrum et spirituale munus obire non debebant, nisi a Capellano majore approbarentur. Distat enim seu de beneficiis, seu de officiis agitur ecclesiasticis a simplici nominatione collatio. Haec scilicet actus est vel Ordinarii, vel alterius liberam conferendi potestatem habentis per se completus, ut quis legitimo jure beneficium, vel officium obtineat. Illa vero actus est incompletus, quia nominatus indiget Ordinarii sive institutione, sive approbatione, ut beneficium, vel officium recte consequatur.

Sed hic probe recolendum est, Siculos Reges, quoniam Capellanis majoribus jurisdictionem conferebant quasi episcopalem; principium et caput extitisse spiritualium omnium facultatum, quas regiae Capellae inferiores Administri ἁπλῶς ab eisdem Regibus nominati pro suis exsequendis officiis a Capellano majore repetebant. Nam Capellanus major non praestabat, nisi quod ei fuerat a Rege per officii collationem traditum, et commendatum.

Ex quo par est intelligere, in concedendis etiam regiae Capellae officiis, Reges nostros Ordinarii Collatoris munus explevisse. Siquidem vel expresse conferebant, et in hac specie minime dubium est, quin ordinariae collationis actum exercerent: vel tantummodo nominabant, et facultates, quibus nominati ἀμέσως a Capellano majore donabantur, ab ea dependebant ordinaria jurisdictione, quam Reges Collatores Capellanis majoribus cum officio communicabant.

CAPUT II.

De obscurato jure collativo Regis in Regiam Capellam

§. I.

Probat obliteratum jus collativum Regis in regiam Capellam, quoad spectat ad beneficia.

Eximium Regiae Coronae in omnia, et singula Palatinae S. Petri Capellae beneficia jus collativum temporis decursu, et variis de causis oblanguit. A Regno aberant Reges: Capellani majores vel in Hispania, vel in S. Lucia morabantur: regale palatium prorsus destitutum erat; neo enim Proreges ibi consistebant, nec Carolus V. Caesar, dum Panormi fuit, in eo consedit. *Capto Tuneto*, (inquit Fazellus Dec. II. lib. X.) *Carolus in Siciliam navigans . . . idibus Septembris Panormum hora fere* 24 *ingressus, Templum maximum invisit, . . . unde statim egressus per celeberrimam Urbis viam ad aedes Guillelmi Ajutamechristi hospitio suo paratas regio more*

Digitized by Google

accessit. Porro exinanitis, et in nihilum versis Canonicorum, et Clericorum praebendis, Palatini Sacelli cultus et religio intervacabant, quemadmodum Jacobus Arnedo, et Franciscus de Puteo regii Visitatores contestati sunt.

In tam perdito regiae Capellae statu quasi cuivis in ea quidlibet audere fas esset, Proreges summa in elargiendis Canonicatibus libertate uti solebant, et Cantorum Procuratores ad reliqua beneficia conferenda jure se praeditos existimabant. Vide Pirrum in Not. reg. Cap. Ad haec accessit, quod in Sicilia, et multo magis in Hispania tanta erat regii juris inscientia, ut etiam laterent beneficia, quae ad regiam seu collationem, seu designationem spectarent, Quo factum est, ut Rex Ferdinandus Catholicus Viros rei diplomaticae peritos ad ea ex regiis tabulariis eruenda, et illustranda deputaverit: quod Lucae Barberii, et Juliani Castellano laboribus occasionem praebuit. Contigit interea, ut per bullas pontificias anno 1518. Palatinae Capellae Cantor institueretur Franciscus Sanchez, et anno 1536. Joannes Rodriquez, cum verbis ad Pan. Archiepiscopum directis, ut eos in corporalem possessionem immitteret.

His positis mirari haud subit, usitatum stilum et loquendi morem Reges immutasse. Sane Carolus V. in designando regiae Capellae Scholastico seu Scholae Magistro his verbis usus est: *Dictum beneficium de jure patronatus, cujus praesentatio ad nos spectat, conferimus, et si opus est praesentamus. Quocirca Rev. Archiepiscopum, vel ejus Vicarium etc. requirimus, quatenus praesentium provisionem exequantur*. Indignum profecto videbatur Palatinae Capellae beneficia non collativo Regiae Majestatis juri subesse. Sed in dubio tutius, et congruentius reputatum est, collationi conditionalem addere praesentationem.

Defectus aetatis, vel natalium, et alia canonica impedimenta, quae Apostolicae Sedis veniam requirebant, Cantoriam sacri Palatii ab anno 1495 ad annum 1559 pontificiae collationi subjecerant. Cum autem Joannes Antonius Viperanus anno 1581 a Rege Philippo II. electus, nullo ad illam consequendam canonico detentus esset impedimento; nihil sane obstabat, quominus de pristino more in possessionem induceretur. Sed longa nonaginta annorum intercapedo jus collativum Regiae Coronae in oblivionem adduxerat. Paterno igitur exemplo permotus filius Viperanum Cantorem renunciavit his verbis: *Conferimus, concedimus, vel te . . . instituimus, et quatenus opus est, praesentamus. Propterea Archiepiscopum pan. . . . . seu aliam quamcumque personam ecclesiasticam, ad quam spectat, exhortantes, ut dictum beneficium tibi conferant* (*Dipl. CXLVIII.*). Et inde ad annum usque 1750 regia chirographa pro Cantoribus, Canonicis, et reliquis Beneficiariis regiae Capellae similibus contexta formulis prodierunt.

Panormitani vero Archiepiscopi conditionem praesentationi appositam negligentes, ordinaria auctoritate instituebant eos, in quorum gratiam Reges conferebant, nec nisi quatenus opus esset, praesentabant (*Dipl. CL.*). Et semel invectus abusus ad annum usque 1756 salvo nihilominus praerogativo Regis jure perduravit, Non enim regiae provisiones ita debebant intelligi, ac si Reges vellent juri suo cedere; praesentationi nempe particula salutaris adnectebatur, quae omne praejudicium, quod induci poterat, averruncabat.

Troinensis Ecclesiae Praepositura, et Canonicatus, quos Reges olim pleno jure commendabant, jamdiu a Messanensibus Archiepiscopis, ne regia quidem nominatione praecedente, conferuntur. Cum enim praedictam Ecclesiam propitio usi tempore sibi vindicassent, sua effecerunt opera, ut, in

ea et ordinaria Capellani majoris jurisdictio, et Regis ad beneficia conferenda plena potestas desueverint.

Regius vero Canonicatus Ecclesiae Calaxibettae in summa consequentium temporum confusione in regiae praesentationis erasit beneficium. Mutatio inducta fuit a Proregibus, qui cum suapte auctoritate de regiis beneficiis providere vellent, falsis illius aetatis decepti opinionibus Regis, et Capellani majoris jurisdictioni fraudi fuerunt. Nempe ab anno 1534 ad regium Canonicatum praesentare coeperunt, et praesentationem ipsam ad Catanenses Episcopos dirigere tamquam loci Ordinarios. Ita irreptus abusus tempore addito magis inolevit, neque ab eo recessum est, postquam Reges beneficiorum sui patronatus juris omnimodam dispositionem Proregibus ademptam, sibi reservari jusserunt. Siquidem Regibus ipsis de suo collativo jure perplexis in expedito fuit ea collationis, et praesentationis coacervatio, quae in palatinae Capellae beneficiis obtinebat.

Certe Philippus II. Canonicatum S. Petri Calaxibettae providit cum verbis: *Conferimus, et concedimus, vel te de illo instituimus, et si opus est praesentamus. Rev. propterea in Christo Patrem Episcopum Catanensem, vel ejus in spiritualibus Vicarium, vel Officialem exhortantes, ut dictum Canonicatum tibi conferant, cum omnium jurium plenitudine* (*Dipl. CLXXI II.*). Quamobrem Catan. Antistites, quasi regia diplomata meram continerent praesentationem, Electos instituebant, et confirmabant. Adeoque modum omnem praetergressi sunt, ut Canonicatum in suis manibus vacare, dicerent, ejusque electionem, nominationem, institutionem, et quamcumque aliam dispositionem pleno sibi jure attribuerent.

Ante annum 1518 aliquando contigerat, Abbatiam seu beneficium S. Luciae ob resignationes cum pacto regressus, et reservatione pensionis, praevio tamen Regis assensu a S. Sede obtineri. Sed ab eodem anno ad nostra usque tempora regii juris exercitium interceptum fuit, etiam quando nulla intercedebant legitima impedimenta, quae collationem in Apostolicae Sedis jura transferrent. Quippe Abbatiae nomine, et invecto usu in dubium venit, utrum beneficium de numero esset Concistorialium, quae pontificiae provisioni reservantur.

Cum anno 1732 Ecclesia S. Luciae possessoris obitu vacasset, ab Imperialis Curiae Administris quaesitum est, quo tenore pro electo Antonio Ura regium Chirographum esset exarandum. Dum autem res disceptatur, ad Summum Pontificem recursum habuit Antonius, et sine regia nominatione beneficium adeptus, sese in possessionem immisit (*Dipl. CXCV.*). Simile quid verosimile est, accidisse anno 1736. quippe cum pontificiae bullae pro Abbate Marcello Muscella de regio Patronatu, ac praesentatione sileant (*Dipl. CXCVII.*). Dissolutis tandem anno 1768 Capellani majoris officio, et S. Luciae beneficio, rursus dubitatum est, utrum non interveniente Pontificis auctoritate, satis essent regiae literae ad Joannem Baptistam Riccioli in canonica beneficii possessione constituendum.

Sane ex doctissimo Abbatis Airoldi nunc R. M. Judicis Heracleensis Archiepiscopi, et Capellani majoris commentario patuit, beneficium de quo agebatur, non esse Concistoriale; ejus vero collationem resignationes in favorem, vel alia canonica impedimenta in pontificias manus devolvisse; itaque nullis in electo Ricciolo existentibus impedimentis, integrum esse Regiae Majestati juris sui collativi, quod in controversiam non veniebat, exercitium resumere. Quod R. M. Judex Hieronymus Palermo, et togati Jureconsulti, qui supremum Siciliae consilium componebant, rogati sententiam calculo suo

adprobarunt. Nihilominus quasi novitas inopportuna esset, inque aliud tempus rejici oporteret, propter obitum praefati Riccioli, Scipio Arduinus de more S. Luciae Abbas a Rege nominatur, et Summo Pontifici instituendus offertur (*Dipl. CCXII.*). Quare cum praeteriti temporis error magis innotuit, magis etiam convaluit, et usque ad praesentis saeculi initium perduravit.

De reliquis beneficiis ad regias Capellas pertinentibus, breviter me expediam. Seu quod Reges conferrent simul et praesentarent, seu quod merae praesentationis formulas adhiberent, Electos Episcopi ordinaria auctoritate confirmabant. Namque apud Pirrum lego, ab Archiepiscopis Messanensibus quandoque institutos Beneficiarios S. Joannis Palatii Messanensis, S. Pancratii de suffraganeis palatinae S. Petri Capellae, et Abbates S. Philippi de Plano Milatii, tametsi haec Abbatia existeret in Territorio S. Luciae, quod a quacumque dioecesi separatum, et Capellani majoris jurisdictioni addictum dignoscebatur. Sed aliquando etiam pro regiarum Capellarum beneficiis regiae nominationes ad Apostolicam Sedem dirigebantur, et fortasse ob aliquod impedimentum, quod nominatos ad beneficia consequenda reddebat inhabiles. Etenim ab ipso Pirro Beneficiarii S. Pancratii, et Abbates S. Philippi per bullas apostolicas aliquando instituti perhibentur. Ex quibus exemplis fit profecto jus collativum Regis super beneficia Capellis regiis adnexa tribus potissimum de causis obsolevisse. I. quia Ordinarii volebant instituere, quando Reges conferebant, et quatenus opus erat, praesentabant. II. quia Ordinariis legitima erat ratio instituendi, quandoquidem Reges ipsi aut Proreges non collationis, sed praesentationis formulas adhibebant. Et III. quia plerumque de personis nominatio fiebat canonico aliquo impedimento detentis, quod ex novae disciplinae regulis nisi summus Pontifex relaxare non poterat.

§. II.

De varia fortuna regii collativi juris quoad ad sacra spectat regiarum Capellarum officia.

Regio juri collativo, cui Capellania major, sacrorum omnium officiorum ad regiam Capellam pertinentium maxima, et praestantissima erat obnoxia, valde nocuit istius cum Abbatia S. Luciae compages, et coagmentatio. Creditum nempe fuit, hujus collationem in pontificias manus devolvi, seu quod electi Abbates canonico aliquo evincti impedimento, a summo Pontifice instituendi essent, seu quod ipsa Abbatia in concistorialibus beneficiis inclusa censeretur. Etsi ergo officium, et beneficium suapte natura, et conditione diversa essent; quando tamen simul connexa, et compacta manebant, alterum alterius lege adstringi, aequum esse videbatur.

Equidem peculiares causae Pontificem interveniendi praedictum beneficium spectabant, non officium, quod etiam ad illud jure inhabilibus committi poterat, neque pontificiis in reservationibus complectebatur. Itaque Abbatiae collatione Apostolicae Sedi attributa, haud sane erat, quare Capellania major a collativo regiae dignitatis jure abstraheretur. Ipse Leo X. utramque fassus est, *de jure patronatus pro tempore existentis Regis dicti Regni existere* (*Dipl. CXXX.*). Itemque Paulus III. et Gregorius XIII. de Capellania majore expresse habent; *inibi officium existere, et quandoque per Clericos saeculares, quandoque vero regulares, prout pro tempore existenti Regi Siciliae placet*, obtineri consuevisse (*Dipl. CXL. et CXLVI.*). Summa

Digitized by Google

proinde regii juris ignorantia, vel in eo tuendo, et conservando negligentia effecit, ut pro Capellanis majoribus instituendis ad Romanam Sedem recursus haberetur. Adeoque inveteravit abusus, ut anno 1768 aliquando tandem abrogari contigerit.

Jus vero regium praenotatas respectu Capellaniae majoris vices subiit; inferiorum enim officiorum ratione habita, stetit immotum. Et sane mortuo Capellano majore, Proreges destinabant Vicarios, per quos, donec vacanti officio fuisset a sua Catholica Majestate provisum in Terra S. Luciae spiritualis, ac temporalis jurisdictio esset exercenda (*Dipl. CXXXIV. et CXXXV.*). A Regibus etiam ac Proregibus Vicarii generales Exercitus cum administratione Sacramentorum, ac totius ecclesiasticae jurisdictionis (*Dipl. CLXXXIII. et CXCV.*); itemque Capellani Castrorum cum formulis conferendi vim ac potestatem habentibus renunciabantur (*Dipl. CXVIII. et CXXIII.*). Praetereaque Proreges arbitrario sibi adlegebant Caeremoniarum Magistros, eisque binos e Clero Palatinae Capellae sociabant auxiliares. (*Dipl. CCXXI. et CCXLI.*).

Tantum nominari et eligi solebant regii, vel Militum, Capellani (*Dipl. CXXXVII. et CLXXV.*) quibus ad exsequendas muneris sui partes, necessariae facultates vel a Capellano majore aut Vicario S. Luciae, vel a Vicario generali Exercitus erant impetrandae. Quamobrem tunc solum ejusmodi facultates a regia jurisdictione defluebant, quando a praedictis committebantur Vicariis, quos Reges, et regia vice Proreges ordinabant. Non enim Capellani majores ab eisdem Regibus vel Proregibus, sed a Summo Pontifice instituebantur.

C A P U T III.

De restituto saltem ex parte jure collativo Regis in regiam Capellam.

§. I.

De collatione regii Canonicatus et reliquorum Canonicatuum Ecclesiae Calaxibettae Regi vindicata.

Ante omnia juri collativo Regis adjudicata fuere beneficia, quae ad Ecclesiam, et regiam Capellam Calaxibettae pertinent. Jamdiu obtinuerat, ut ejus Ecclesiae regium Canonicum a Regibus seu Proregibus designatum, et reliquos Capellanos, quos etiam Canonicos vitiose appellabant, sine praevia designatione Cat. Episcopus tamquam loci Ordinarius institueret. Diuturnam injuriam Regi illatam regius Visitator Angelus de Ciocchis probe adnotavit, multaque decreta condidit, quibus dictam Ecclesiam Capellano majori, et jus conferendi regium Canonicatum, et Capellanias Regi vindicabat. Qua de causa viceregio rescripto inhibitus est Episcopus, ne illius Ecclesiae Capellanorum liberam electionem sibi deinceps assumeret.

De istiusmodi decretis, quasi Sacerdotii sui jura obterentibus valde conquestus Episcopus a regia extorsit clementia, ne causa indicta, causam amitteret, neve defensioni locus denegaretur. Itaque id negotii datum est regio Visitatori, ut eorum, quae ab ipso constituta fuerant, de scripto rationem redderet, et supremo Siciliensi Consilio, ut sedulo perpensis utrinsque partis rationum momentis rem discuteret, deque ea praecise ad Regem referret.

Statuta sua ille Vir summus egregie confirmata praestitit, et ab omni controversia sic expedita, ut ea regii Consiliarii communi consensu admiserint, et Regiae Majestati probaverint. Hinc regiae literae prodierunt anno 1750 in quibus, ad rem praesentem quod attinet, expresse legitur: quod decreta ultimae regiae visitationis pro ea etiam parte, quae regium jus collativum spectant, prorsus exequi in perpetuum debeant, et postulata Episcopalis Curiae de ipsis decretis remedium exposcentis minime audiantur, quippe cum nemo praerogativi juris, quod sine ulla dubitatione Regi competit, Oppugnator esse possit (*Dipl. CCV.*).

Inde jure suo Rex usus est, assignando videlicet regium Canonicatum, et Capellanias, quae hodie in secundarios Canonicatus Ecclesiae Calaxibettae conversae sunt, per verba. *Conferimus, concedimus, et commendamus, ac te de illo instituimus*, cum designatione Capellani majoris ad Electos in corporali possessione constituendos (*Dipl. CCVIII. et CCIX.*).

§. II.

De restituto regiae dignitati jure collativo in beneficia Palatinae Capellae.

Quod nunc Regiae Coronae jus collativum in singula quaeque Palatini Sacelli beneficia restitutum sit laudato superius regio Visitatori acceptum debet referri. Is enim asservata ibidem vetera monumenta perlegens, facile intellexit, liberam talium beneficiorum collationem ad Regem spectare, conditionalem vero praesentationem jamdiu regiis Chirographis apponi solitam regio juri adversam esse, et eo praesertim, quod Archiepiscopalis Curia inde instituendi ansam arriperet. Igitur de abolenda in posterum conditionali praesentatione decrevit.

Placuit vero clementissimo Regi hujus decreti exequutionem suspendere, usque donec maturo tractatu res expenderetur. Cum ergo Cantoria vacaret, neque in dubium veniret, quando haec dignitas juri collativo Regis esset obnoxia, omnem de reliquis beneficiis quaestionem fore peremptam, supremo Siciliae Consilio demandatum est, ut quibus formulis electus Joseph Filangeri ad eam dignitatem esset promovendus dispiceret, ac definite proponeret. Sed quoniam regii Consiliarii alias ex aliis moras nectendo oscitare videbantur, id munus ad regium Visitatorem deferri oportuit, qui tam perspicuis jus regium adseruit argumentis, ut nullum haesitationi locum reliquerit.

Igitur de praerogativo suo jure certus Rex evasit, et Cantorem renunciavit cum verbis: *Conferimus, concedimus in ipsaque illum instituimus cum omnibus juribus . . . . Hortamur idcirco Rev. Archiepiscopum pan. ejusque Vicarium generalem, Rev. nostrum Capellanum majorem, Canonicos, aliosque Viros ecclesiasticos, ad quos pertinet, ut praefatum Josephum Filangerium in Cantoratu praedicto installent, in ejusque corporalem possessionem immittant* (*Dipl. CCVI.*). Easdemque formulas in quorumdam Canonicatuum, et inferiorum regiae Capellae beneficiorum provisione adhibuit (*Dipl. CCVII.*).

Verum enimvero Archiepiscopus, cui corporalem in possessionem inductio tantum permittebatur, institutionis literas de more dabat, quasi Rex praesentandi non conferendi jure uteretur. Clandestini abusus Prorex ex R. M. Judicis Agathini Riggio, qui Palatinam Capellam regia cum potestate lu-

straverat, relatione certior factus, hujus, et Fisci Patroni Dominici Pensabene consulta, oblatumque a Cantore supplicem libellum Regi transmisit. Jus illud instituendi, et corporalem possessionem tradendi sibi tamquam Capellano majori tribuebat R. M. Judex, ejusque partes tuebatur Fisci Advocatus: ex adverso stabat Cantor, ut qui palatinae Capellae se venditabat Antistitem. Sed re in supremo Siciliae Consilio diu agitata, tandem uno ore conclamatum est, mirum profecto esse, quomodo isthaec controversia excitari potuerit, quandoquidem nemo est, qui suapte auctoritate instituere, et *installare* valeat in beneficiis, quorum collatio ad Regem pleno jure pertinet. Quod regiis in literis anno 1759 a Neapoli allatis comprehensum est.

Solutam non diu post possessoris obitu Cantoriam M. S. cum formulis liberae collationis Hugoni Papè decrevit, committendo primum R. M. Judici, et postea de benigna quadam indulgentia Pan. Praesuli, ut electum in corporalem possessionem immitterent. Quae causa fuit Archiepiscopo Sanctuarii, quae proculcata clamabat jura vindicaturo Neepolim proficiscendi, et ibi ex togatis Jureconsultis, Episcopis, ac Theologis ad causae disceptationem spectabile Concistorium instituendi, nec non prolixas scripturas elucubrandi, quae typis excusae fuerunt pro Regis, vel Antistitis jure tuendo.

Interim non contradicente Archiepiscopo, Canonicatus, et reliqua beneficia regiae Capellae, prout vacebant, pleno jure Rex conferebat, eo adhibito temperamento, ut nec dicto Praesuli, nec R. M. Judici corporalem Electorum institutionem committeret. Cum autem triginta post annis adhuc sub Judice lis esset, ad eam quam celerrime finiendam Majestati suae collubitum fuit, a Rhegiensi Archiepiscopo ante alios Regni Neapolitani Praelatos longe doctissimo atque integerrimo consilium accipere. Hujus igitur gravissimae consultationi adquiescens, nominatum a Prorege Telettensem Episcopum Fr. Simonem Indica verbis liberam collationem exprimentibus Cantorem instituit, inque corporalem possessionem a Capellano majore immitti voluit. Inde in usum abiit assiduum, ut pro Cantore, Canonicis, et Beneficiariis Palatinae Capellae, corporalis institutio sive *installatio* uni tantum Capellano majori a Rege demandetur.

§. III.

Agitur de S. Luciae, atque aliarum Regalium Capellarum beneficiis.

Diximus explorate cognitum fuisse, Abbetiam vulgo dictam S. Luciae Concistorialibus beneficiis minime accensendam, ad regiam collationem pleno jure spectare; at nihilominus pontificiae provisioni de Regis nominatione submitti non destitisse. Denato Abbate Carolo S. Columba tandem sublatum est Abbatiae nomen, unde tot dubia, et ambages emerserant, et beneficium Presbytero Joachim Sanacori a Rege assignatur his verbis: *Cum in Civitate S. Luciae . . . . vacaverit beneficium curatum, cujus collatio ad nos tamquam jus Patronatus habentes pertinet . . . . eidem nos conferimus*. Sed Capellano majori, secus ac fiebat in beneficiis Palatinae Capellae, ac S. Petri Calaxibettae, non solum Electi in corporalem possessionem inductio committitur, verum etiam *auctorizzabilis* institutio per haec alia verba: *Committimus itaque Rev. in Christo Patri Ordinario ejusdem Ecclesiae, et nostro Capellano majori . . . ut ipsi D. Joachino Sanacori praedicti beneficii curati institutionis literas largiatur, et in possessionem beneficii ejusdem immittat, in eoque installet* (*Dipl. CCXI.*).

Regio diplomati cum formulis secum invicem pugnantibus exarando causam dedere amplissimi Praesides, et Regni Consultor, unde supremus, (qui hodie ultimo caret), apud nos Senatus regius componebatur. Cum enim a Majestate sua rogati sententiam respondissent in Ecclesia S. Luciae non Abbatis improprie dicti, sed Capellani majoris propriam esse jurisdictionem; inde concluserunt, ad Capellanum majorem utpote Ordinarium pertinere, ut Beneficiarium canonice instituat, Beneficiarii vero munus esse, ut in paroecialibus explendis ministeriis, ab eo tamquam proprio Praesule, ac Superiore dependeat. Sed obiter, ac festine consultissimi caeteroquin Viri de Beneficiario sic instituendo decreverunt. Nam causa cognita longe aliter de beneficio judicassent, atque statuissent, cujus liberam collationem praevio doctissimo commentario ad ipsius beneficii conditionem dilucidandam conscripto, R. M. Judex, et suprema Siculorum rerum Audientia Neapoli constituta, Regi attribuerant. Nec si rem paullo attentius perpendissent, facile eos effugere potuisset praeclarissimum Capellae sacri Palatii, et Calaxibettae exemplum, ubi Capellanus major minime instituit, tametsi ordinaria, quae Praelatum decet nullius, jurisdictione augeatur.

Cum autem importunum fortasse visum esset, aut liberam beneficii ad regiam Capellam spectantis collationem Regi abrogare, aut amplissimi Senatus dicta rejicere; pronum fuit, regium chirographum extendi cum formulis ex una parte jus collativum, et ex altera Capellano majori mandatum expromentibus, ut Electo institutionis literas impertiret. Et quoniam ex ultimo statu negotia regi solent, pari ratione edita sunt regia diplomata, quando dictus Beneficiarius cum Praepositi, ac primae dignitatis nomine S. Luciae Collegio additus fuit (*Dipl. CCXLII.*), et quando ob ejus renunciationem ejusdem Ecclesiae Archidiaconus Jacobus Coccia ad Praepositiuram evehi promeruit (*Dipl. CCXLVIII.*).

Non solum Praepositura, sed etiam reliquae dignitates et Canonicatus Ecclesiae S. Luciae, ad regiam collationem omnino pertinent. Quippe accessoria ad regiam Capellam beneficia, etiamsi regia dote careant, et fidelium praecipue oblationibus sustineantur, juri collativo Regis accrescunt. Sed regiae collationis esse praedictas dignitates, et Canonicatus, tametsi facile sit animadvertere; numquam vero hactenus inspectum est. Quare fit, ut eo, quo antea modo, non intercedente videlicet Regis auctoritate de iisdem provideatur.

Ad caeterarum Capellarum beneficia, quod attinet, idem affirmari posse videtur. Siquidem jus regium ad ea pleno jure conferenda obliteratum permanet. Ex quo sequitur, ut Rex praesentet, ubi suapte potestate conferre posset, quamquam de paroecialibus agatur beneficiis, qualia sunt beneficia S. Jacobi Stationis Militum, SS. Joannis, et Silvestri maritimae arcis Panormitanae, et S. Ferdinandi Castri Thermarum. Ecquid profecto vetat, quominus Majestas sua, habita per Capellanum majorem de Concurrentibus praecedenti examine probatis relatione, dignioribus ista conferat beneficia? Nonne pleno jure regium instituit Ecclesiae Calaxibettae Canonicum, qui est unica dignitas, cuique tamquam unico Rectori, et Parocho universali omnium Incolarum et Ecclesiarum cura imminet?

Caeterum lex ipsa, quae sustinet actus eo meliori modo, quo valere possunt, efficit, ut in delegatam potestatem ea resolvatur, qua Capellanus major qualescumque instituit regiarum Capellarum Beneficiarios. Cum enim jus collativum in Regias Capellas regiae dignitati cohaereat; fit inde, ut praedicta potestas in Capellano majore sic jure praesumenda et intelligenda sit, quasi eidem a Rege demandetur.

Digitized by Google

§. IV.

De vindicata regiae collationi Capellania majore, deque regia nominatione in reliquis ad regiam Capellam spectantibus officiis.

Una ex causis dejungendi Abbatiam S. Luciae a Capellani majoris officio ea fuit, quod sub eisdem reservationibus, quibus illa includi poterat, minime comprehenderetur, et ad regiam collationem pertinere, extra omnem dubitationem positum esset. Diglutinata est igitur anno 1768 monstrosa compages, sed Abbati D. Scipioni Arduino per literas apostolicas instituto, Capellaniae majoris munus pro sola Civitate et districtu S. Luciae diplomate suo Rex commendavit. Cum enim adhuc pendentibus de Palatina controversiis, e re non esset, totius Regni Siciliae Capellanum majorem renunciari, Populi S. Luciae, Abbatem suum consueta ornari dignitate poscentis, votis censuit annuendum.

Tria interim Majestas sua praedicto in diplomate clarissimis verbis declaravit. Et I. Capellaniae majoris officium a regia Abbatia distinctum esse, atque regio collativo juri obnoxium: *Quae sane dignitas officium est a regia Abbatia plane diversum, et a nobis, nostroque arbitrio quoad collationem dependens*. II. Praefatam dignitatem Abbati Arduino se conferre, *ita tamen . . . ut eam tantummodo in Civitate, atque districtu S. Luciae restricte, et taxative exercere valeat, et non ultra*. Et III. Sibi liberam reservare facultatem Capellani majoris pro toto Regno Siciliae opportuno tempore constituendi. *Reservantes jus et auctoritatem conferendi post haec, cui nobis videbitur, ampliorem dignitatem Capellani majoris per totum Siciliae Regnum cum omnibus juribus, et jurisdictionibus* etc. (*Dipl. CCXIII.*).

In reliquis, quae ad regiam Capellam spectant officiis, antiquae collationis formulae desueverunt. Namque hodie Rex aeque nominat, et eligit Capellanos suos regios, Praefectos caeremoniarum Palatinae Ecclesiae, ejusdemque Capellanum, ut ajunt Sacramentalem. Porro nuncupat Capellanos Castrorum, Militum, et Classiariorum, nec non generalem Vicarium totius Exercitus. Denique sibi adlegit Confessarios, Eleemosynarios, et Concionatores Aulicos. Quorum omnium una et communis lex est, ut facultates, quae ad exercendum munus suum ipsis necessariae sunt, aut quae muneris sui, et officii limites excedunt, a Capellano majore repetant tamquam unico totius regiae Aulae, ac Militiae Antistite. Quamquam ejusmodi facultates ab ipso Rege, qui Capellanum majorem cum suis juribus, et jurisdictionibus instituit, tamquam a capite, ut alias observatum est, repetendae sint.

Digitized by Google

SECTIO ALTERA

Defenditur jus collativum Regis in regiam Capellam.

CAPUT I.

Explicatur varia Ecclesiae disciplina de collationibus Laicorum.

§. I.

Demonstratur olim Laicis Patronis titulo fundationis concessum, ut ordinatis jam Clericis Ecclesias suas commendarent.

Antiqua est Ecclesiae disciplina, quae jubet, Clericos omnes majores, minores ad titulum ordinari, seu cum designatione Ecclesiae, cui perpetuum deservirent. Ea vigente disciplina, nihil aliud Laicis fundatoribus permitti poterat, quam ut pro Ecclesiis a se aedificatis Ministros Episcopo sisterent ordinandos: idque re ipsa permissum est. Siquidem in Occidente primum Synodus Arausicana anno 341. Can. X. eam gratiam concessit Episcopo, qui in aliena dioecesi Ecclesiam extrueret, ut ad eam regendam pro arbitrio suo Clericos eligeret, et loci Episcopo ordinandos offerret. Satis restrictum beneficium: nam tantum Episcopo aedificatori, non vero aliis Christianis data est nominatio; fortasse quod Episcopi optimi erant de qualitatibus Clericorum Judices, non item Laici.

Interim in Oriente hujus Synodi aetate videntur etiam aliquando Laici in Ecclesiis, aut Monasteriis a se constructis Clericos nominasse, et Abbates dedisse, quemadmodum exemplis Thomasinus probat P. II. lib. X. C. 29. Certe vero aetate Justiniani Xenodochiorum, et Ecclesiarum fundatores jure seligendi Xenodochos, Oeconomos, et Presbyteros aucti erant. L. XLVI. §. 3. C. de Epis. et Cleric. Novell. CXXIII. C. 18. Et in Occidente ante Saeculi VI. medietatem in Oratoriis, et Paroeciis, quas in suis agris Laici construebant, jam receptum erat jus patronatus, uti patet ex Concilii Aurelianensis IV. Can. VII. et XXXIII.

Generatim vero in Synodo Toletana IX. anno 655 celebrata Can. II. ad puniendam quorumdam Episcoporum negligentiam, fundatoribus, quousque ipsi viverent, datum, ut Rectores idoneos in Paroeciis a se fundatis ordinandos Episcopis offerrent. Inde labentibus annis haec nominandi facultas etiam cessit haeredibus: quod in Occidente praesertim invaluit, postquam Oratoria in usum privatarum familiarum evaserunt frequentiora, et Ecclesiae Laicis in feudum concessae sunt. Constat enim Laicos a se possessas Ecclesias in haeredes transmisisse.

At enim disciplina, quae ordinationes omnes ad titulum fieri praecipiebat, eo ipso tempore, quo maxime vigebat, aliquas passa est exceptiones. Certe Hieronymus Ep. LXI. ad Pammach. ea conditione Presbyteratum se scribit, accepisse, ut sibi ad Monasterium reverti liceret. Istiusmodi etiam erat ordinatio Macedonii notissimi anachoretae, quem dolo bono e cella abductum, et Presbyterum ordinatum, Flavianus Episcopus Antiochenus in desertum redire concessit, Theodor. hist. Relig. C. XIII. Et Paulinus de ordinatione sua Ep. VI. ad Sever. haec habet: *Ea conditione in Ecclesia Bar-*

cinonensi consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiae non adligarer, in Sacerdotium tantum Domini, non in locum Ecclesiae dedicatus. Jamvero temporis decursu in Ecclesiae perniciem factae sunt exceptiones faciliores, atque adeo frequentiores, hactenus ut Saeculo XII. jam laxata titnli necessitate, sine titulo ecclesiastico ordinationes passim invaluerint.

Exinde licet intelligere, quemadmodum stante adhuc antiqua disciplina, potuerit jus fundatorum ultra simplicem nominationem extendi, et liberam collationem complecti, siquando ordinati, et nullius Ecclesiae vinculo adstricti erant Clerici, quibus Ecclesias a se aedificatas vellent, committere. Tunc enim cessabat Ministros Episcopo sistendi necessitas, neque inter Clericos, et Ecclesiam nexus abrumpebatur, quippe cum Clericus assumendus sine titulo ordinatus, ac proinde nulli Ecclesiae esset addictus. Quid mirum igitur si Fundatoribus in hac specie pleno etiam jure conferendi facta sit potestas, uti certam ex veterum Canonum sententia fidem habet?

Et quidem I. Laudata Synodus Arausicana postquam concedit Episcopo, qui Ecclesiam in aliena dioecesi erexit, ut Clericos, quos ad eam administrandam designasset, loci Episcopus ordinet, subdit: *vel si ordinati jam sunt, ipsos habere adquiescat*. Cum ergo Clerici essent ordinibus initiati, propterea que ad sacra obeunda ministeria idonei, eos locorum Episcopi cogebantur admittere, quos Ecclesiae suae aedificator vellet adscribere.

II. In Synodo Aurelianensi anni 545 Can. VII. extat, *ut in Oratoriis Domini praediorum minime contra votum Episcopi, ad quem territorii ipsius privilegium noscitur pertinere, peregrinos Clericos intromittant, nisi forsitan quos probatos ibidem districtio Pontificis observare praeceperit*. Siquidem ignotis Clericis sacra officia sine judicio, et permissione Episcopi committere, Ecclesiae legibus adversabatur. Sed Canone XXXV. eadem Synodus fundatoribus indulsit, ut Clericos, videlicet non peregrinos Ecclesiis suis pro suo jure constituant = *Siquis in agro aut habet, aut habere postulat dioecesim, primum ut terras ei deputet sufficientes, et Clericos, qui ibidem sua impleant officia*. Quo in textu, quae deputandi vis, et ratio sit, apparet ex eo, quod fundator uti terras, ita et Clericos deputare habeat. Deputare autem terras, nihil aliud est, quam dare, assignare, et concedere fundos; unde satis redditnum alendis Ministris, et sustinendo Religionis exercitio tribuatur. Itaque fundatores eo jure erant, ut Ecclesias darent, assignarent, et concederent Clericis, quos ad ecclesiastica munera rite exsequenda, ordinatio habiles efficiebat.

III. Idem quoque eruitur ex Conciliis Gallicanis sub Carolo M. ad evellendos ingruentes abusus celebratis anno 813. Nempe obtinebat, ut Laici Ecclesias darent, et auferrent, easdemque qnasi profanae res essent, et promercales majorem praesentis pecuniae vim offerentibus venderent. Decretum est igitur in Concilio Arelatensi Can. IV. V. *Ut Laici Presbyteros absque judicio proprii Episcopi non ejiciant de Ecclesiis, nec alios immittere praesumant. Ut Laici omnino a Presbyteris non audeant munera exigere propter commendationem Ecclesiae. Quia plerumque propter cupiditatem a Laicis talibus Presbyteris Ecclesiae dantur, qui ad peragendum Sacerdotale officium sunt indigni*. Pariter in Concilio Cabilonensi, apud Grat. Can. XXXVIII. Caus. XVI. q. 7 habetur: *Quod multi arbitrii sui temeritate, et quod est gravius, ducti cupiditate, Presbyteris quibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant, vel auferunt*. Et hinc oportere statuitur: *Ut canonica regula servata, nullus absque consensu Episcopi, cuilibet Presbytero Ecclesiam det. Quam si juste adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi culpa sua, et coram*

Digitized by Google

Episcopo, cononica severitate amittat. Eademque habent Concilium Moguntinum Can. XXXVII. eodem, Remense Can. XII. ac Turonense Can. XV. Quorum quinque Conciliorum decreta in Conventu Aquisgranensi coram ipso Imperatore pro reformando Ecclesiarum statu approbata teste Eginhardo ad ann. 813 et in Regum Francorum Capitularia subinde relata fuerunt.

Vides ut ad vitia corrigenda, quae ecclesiasticam perderent disciplinam, minime abrogata fuerit Laicis fundatoribus ad dandas, et concedendas Ecclesias prisca potestas. Non enim sancitum est, ut ordinatos Presbyteros Episcopis prout nova disciplina postulat, offerrent instituendos. Id unum sapientissime cautum fuit, ne Laici insciis, et inconsultis Episcopis Ecclesias suas darent, et auferrent; idque sane ne Altaris ministerium indignis committeretur, vel eo digni per summam injuriam abjicerentur. Quare perrexerunt Laici jam ordinatos Presbyteros Ecclesiis suis pro suo jure constituere, praevio dumtaxat Episcoporum consensu, et approbatione, ne ioeptis vel improbis Presbyteris ad sacra officia aditus pateret.

IV. Id ipsum confirmant duo Romana Concilia, quorum alterum sub Eugenio II. anno 826. alterum sub Leone IV. habitum est anno 853. Nempe de vacantibus Ecclesiis, quae ad Laicorum jus pertinebant, in utroque Concilio Can. XXIV. statutum fuit: *Et si saecularium hominum sub jure sint constitutae, ab Episcopo illius dioecesis admoneantur: et si admoniti Presbyteros intra trium mensium spatium ibidem neglexerint constituere; curam exinde habens Episcopus absque neglectu Principi suggerat, quatenus ejus emendetur sententia*. Quo ex Canone manifestum est, Laicis concessum fuisse, ut in suis Ecclesiis Presbyteros constituerent. Et hinc si admoniti ab Episcopo, intra tres menses id facere negligerent, Principi ab ipsomet Episcopo erant denunciandi, ut suam ad eorum negligentiam corrigendam interponeret auctoritatem.

V. Desumptus ex iisdem illis Conciliis Canon *Monasterium* apud Grat. Can. XXXIII. eodem, sic habet: *Monasterium vel Oratorium canonice constructum a dominio Constructoris eo invito non auferatur: liceatque illi Presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius dioecesis, cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare*. Itaque Monasteria vel Oratoria proprietati fundatoris attributa erant, et fundatore invito ab ejus dominio abstrahi non poterant. Ob eam causam licebat fundatori Presbytero, cui vellet, illa commendare, dummodo Episcopi consensus adfuisset. Porro verbum commendare, idem valet, ac dare, concedere, tradere, quemadmodum ex mediae aetatis tam sacris, quam profanis monumentis a Cangio relatis, constat. Ergo praecedente Episcopi consensu Ecclesiarum datio, concessio ac traditio, (quae vis est liberae collationis), ad fundatorum jura spectabant.

VI. Praedicto Canoni *Monasterium* maxime consonat Concilii Salegustadiensis anni 1022 Canon. XIII. *Item decretum est, ut nullus Laicorum alicui Clerico suam commendet Ecclesiam praeter consensum Episcopi; sed eum suo mittat Episcopo, vel ejus Vicario, ut probetur, si scientia, aetate, et moribus talis sit, ut sibi Populus Dei commendetur*. Itaque antequam Clerico suam commendaret Ecclesiam, debebat Laicus fundator eum allegare Episcopo, vel Vicario non quia instituendus esset, sed approbandus. Ut adeo post approbationem sine ulteriori canonica sollemnitate collationis actum ipse fundator pro suo jure exerceret, et Ecclesiam ab eo Laicus acciperet.

Quid plura? Ex deductis monumentis clare patet, id olim Laicis fundatoribus datum fuisse, ut si Clerici, quos volebant Ecclesiis a se constructis addicere, sacra ordinatione indigerent; eos Episcopis ordinandos of-

Digitized by Google

ferrent; sin minus Ecclesias jam ordinatis Clericis darent, deputarent, constituerent, et commendarent, (quod vocibus in rem aptioribus collationem, seu canonicam institutionem adpellamus) expectato dumtaxat Episcopi consensu, ne Clericis indignis immeritisque intemeratum Religionis ministerium committeretur.

§. II.

Probat, in nova etiam disciplina subsistere Principum collationes.

Quae vitia imperante Carolo M. tot Synodorum proscripserat auctoritas, efficaciora poscebant remedia, unde radicitus evellerentur. In primis Oratoriorum fundatores aliquando ea sine consensu Episcopi, Presbyteris, quibus vellent, commendabant. Majori autem potestate usi, seu abusi sunt Laici Saeculo IX. et deinceps in Ecclesiis, quas in feudum sive a Regibus, sive ab Episcopis acceperant; nam tamquam si essent privati domini, eas pro arbitrio, et inscio Episcopo Clericis dabant, institutosque Clericos mox ejiciebant. Quid enim boni a Laicis sperandum erat illa tempestate, qua Clerici ferme omnes luto incontinentiae et simoniae conspurcati disciplinam evertebant ecclesiasticam?

Itaque quod Laicis ministeriorum Dei dispensatio proprie non competeret, Canones Saeculo X. et sequenti passim damnarunt ejusmodi a Laicis factas Ecclesiarum concessiones, de qua re fuse Thomasinus P. II. lib. 1. C. LV. eoque frequentibus decretis redacta res est, ut Laicis tantum jus esset in Ecclesiis, quas possidebant, nominare Clericos, quos inde Episcopus institueret. Ita Laicorum collationes Ecclesiam tandem abolevit; sed non per omnia desierunt. Nam Carolus Molinaeus ad Reg. de Infir. resign. n. 46 et seqq. et Carolus Fevret in tract. de Abusu lib. III. C. VI. n. 15 multos recensent Laicos nobiles, qui beneficia, immo qui Paroecias conferunt. Praeterea integra remanserunt jura Summorum Imperantium, qui ex antiquis institutis conferunt adhuc multa beneficia, praesertim aere regio fundata.

Et sane Reges Angliae in Ecclesia S. Petri de Curia Cenomanensi, quae erat regiae fundationis, Episcopo inconsulto Decanum creabant, et praebendas conferebant. Innocentius vero III. qui hoc testatur in sua Decretali, quam integram exhibet Antonius Augustinus in III. Collect. C. IV. de Consuet. collationes istiusmodi fundationis jure fieri consuetas non reprobat, procul dubio reprobaturus, si quando vir ille summus, et rei canonicae peritus illas ecclesiasticis regulis adversas existimasset.

Honorius III. habet, Decanum Andegavensem ex donatione Regis praebendas ejusdem Ecclesiae dedisse C. XXXIV. de Praebend. Comitissam quoque Flandriae jampridem jure conferendi beneficia usam fuisse, constare videtur ex C. Final. de Concess. praeb. Ubi scribit idem Honorius: *Cum dilecta in Christo filia Comitissa Flandrensis fecerit promissiones de non vacantibus beneficiis Ecclesiarum, in quibus jus obtinebat patronatus, et donationes eorum in manibus posuerit alienis* etc.

Quamvis autem Pontifex concessiones ab ea Comitissa factas non vacantibus beneficiis, vel donationes alteri cuidam commissas improbet; *nihil tamen improbat, immo nec attingit eorum, quae pertinent ad beneficiorum jam vacantium collationem, seu concessionem, seu donationem Comitissae huic ratione juris patronatus competentem*, inquit Boetius Epo in Tract. de

Digitized by Google

Regal. vel jure Principum in benef. eccles. *Quin immo*, pergit auctor, *contra satis hinc apparet, Comitissam vel Comitem Flandriae semper solere singularia beneficia Ecclesiarum, in quibus jus obtinebat Patronatus absolute conferre*. Qui et ibidem ostendit, vocabulum donationis, quo hic utitur Pontifex, de simplici praesentatione accipi non posse: recteque notat, similis donationis sex praebendarum Sacerdotalium eidem Comitissae competentis mentionem facere Caput XL. de Testibus.

Quis porro nescit, Reges Galliae ab antiquo, quousque Episcopales Sedes vacant, jure Regaliae, omnia, quae Episcopalis collationis sunt, conferre beneficia? Quod jus in Gallia etiam inferiores Dynastae habuerunt, uti probat Petrus de Marca Conc. lib. VIII. C. 25 eoque etiam Angliae Reges, aliique utebantur C. ex diligenti de jure patron. in 1 coll.

Et quamvis jus hoc, quod Philippus pulcher coronae suae vindicabat, asperrimis carpserit verbis Bonifacius VIII., attamen ad eum scribens fassus est, Regibus collationes Ecclesiae privilegio expresso vel tacito posse competere. *Ad te, hujusmodi ecclesiastica dignitatum, Personatuum, Canonicatuum, Beneficiorum, et Praebendarum collatio, non potest quomodolibet pertinere, nec pertinet; nec per tuam collationem potest alicui jus adquiri sine auctoritate vel consensu Sedis Apostolicae tacitis, vel expressis*. Rex autem huic conditioni adquiescens respondit: *Quod collatione Beneficiorum usus est, et utitur sicut ad eum pertinet de jure, et bona consuetudine, sicut S. Ludovicus, et alii Praedecessores sui usi fuerunt a tempore cujus memoria non existit, nec circa hoc fecit, nec intendit facere aliquam novitatem; nec credit, quod Papa sibi facere velit, qui longum usum suum, et Praedecessorum suorum in collatione hujusmodi novit plenissime ab experto*. Consule Aufrerium Praesidem Tolosanum in sua Repet. ad Clem. 1 de Off. Ordin. et antiquum Glossographum ad C. 13 de Elect. in 6.

Hoc itaque jure Reges Galliae, et alii Principes uti non destiterunt semper formulas, quae collationem, vel concessionem indicant, adhibentes. Et licet eo se jure de indulto Sedis Apostolicae uti non exprimant; ipse nihilominus continuus et notorius usus a Sede Apostolica non improbatus de Sedis Apostolicae tacito saltem consensu dubitari non sinit.

Pari ratione Reges nostri multa beneficia praesertim regii patronatus pleno jure elargiuntur: creant enim in Regno Neapolis Archipresbyterum Altamurae, Priorem S. Nicolai Bariensis, Abbatem S. Aegidii Altavillae, qui omnes quasi episcopali dignitate condecorantur, et alia multa minora beneficia in variis dioecesibus sive simplicia, sive cum cura animarum conferunt, quorum indicem Chioccarellus, Scipio Mazzella, et novissime Troylus scriptis consignarunt. In Regno Siciliae praeter ea, quae ad regias Capellas pertinent, alia conferunt beneficia, et sacra officia, quae Lucas Barberius, et Julianus Castellanus in suis ita dictis Capibreviis recensuerunt. Et praeterea ipsimet utriusque Siciliae Reges, Regaliae jure utuntur ex *antiqua dignitate, quam habent in Ecclesiis vacantibus* (*Dipl. XXVI.*).

Digitized by Google

§. III.

Quo sensu explicandum sit, Reges beneficia vel officia conferre, quibus etiam cura animarum, et quasi episcopalis jurisdictio est adnexa.

Beneficiorum, et sacrorum officiorum dispensationem, rem spiritualem esse, et Sacerdotio cohaerentem, nemo dubitat Catholicus. Interim ex hactenus dictis profecto fit, non ita comparatam esse, ut a Laicorum natura, et definitione prorsus abhorreat. Non enim Ecclesia jus olim Laicis fundatoribus concessisset, aut hodie praesertim in Regibus perferret, cujus Laici jure divino essent incapaces. Restat igitur, ut expendamus, qui possint Laici suapte potestate beneficia, et sacra ministeria conferre, et ea praesertim, quibus cura animarum adnectitur, non interveniente Episcopi jussione, seu confirmatione? Maxime, cum haec difficultas ab antiquo Theologos, et juris ecclesiastici peritos exercuerit, quorum sententias congessit Nat. Alexander Diss. VIII. in Saec. XIII. et XIV. Artic. VI.

Jamvero nihil ad rem magis dici potest, quam Reges beneficia conferre, tamquam Episcoporum Vicarios ex expressa, vel tacita Ecclesiae concessione. Ubi enim collatio beneficiorum ab ordinatione sejuncta est, nihil impedimento fuisse videtur, quin illa in inferiores Clericos, et Laicos, immo foeminas devolveretur, immobili penes Episcopos ordinum collatione remanente. Ipse Bonifacius VIII. etsi Philippo pulchro minus aequus, inficiari non potuit, ad Reges collationem spectare posse Ecclesiae consensu tacito, vel expresso. Et consensus quidem expressus est, si Summi Pontificis privilegio datio beneficiorum Regibus concessa sit, tacitus vero, ubi ex longa consuetudine, cujus non extet memoria, Reges scientibus, et minime contradicentibus Episcopis, beneficia contulerint. Quin passim docent, hac in re antiquam consuetudinem, cujus non extet memoria, privilegii vim habere, quam sententiam multis illustrat Petrus de Marca lib. III. Cap. IX. n. 6.

Sed inquies, Bonifacium locutum esse de simplicibus beneficiis, qualia Personatus, Canonicatus etc. de beneficiis vero, quae curam animarum adnexam habent, non item. Nam cura animarum ab iis, quibus ex divina institutione competit, idest Episcopis accipi debet, nec eam Laici quantumvis regia, et suprema potestata muniti dare queunt, uti declaravit Gregorius IX. apud Raynaldum ad ann. 1236 Friderico Imperatori scribens: *Esto, quod aliqua beneficia conferas, ut curam tamen animarum illis adnexam committere valeas, jus spirituale, quod non cadit in Laicum, non permittit*. Idque agnovit Ludovicus M. Rex Christianissimus, qui suo gravissimo edicto anni anni 1686 statuit, ut collatis jure regaliae beneficiis, quibus aliqua jurisdictio inest, a Vicariis Capituli, aut ab Episcopo canonica missio concedatur.

Gregorius vero IX. Fridericum admonuit, ne Episcopatus conferret: haec enim inter eum, et Pontificem praecipua quaestio agitabatur. Hinc nec Fridericus, nec sequentes Reges a conferendis regiae fundationis cujuscumque naturae beneficiis sese abstinuerunt; et quod mirum est, Sede Apostolica nequicquam reluctante, quin etiam collationes ipsas expresse confirmante. Sane Innocentius IV. uti referunt Richardus de S. Germano in Chron. Sigonius de Regno Italiae, ac Bzovius ad ann. 1244 nedum non irritam edixit, sed etiam clarissimis verbis comprobavit donationem Archipresbyteratus Altamurae ab Imperatore Friderico Richardo de Brundusio plene

jure factam: tametsi haec dignitas quasi episcopali jurisdictione augeretur. Porro in singulis controversiis, quae apud Romanam Curiam circa regias istiusmodi beneficiorum, ac Paroeciarum provisiones, tractandae fuerunt, numquam Optimi Judices aut de jure collative Regis addubitarunt, aut provisos legitime ad spiritualia etiam jura exercenda titulo destitutos censuerunt. Qua de re plurimae Rotae decisiones habentur apud Chioccarellium M. S. Tom. VI. et XIII.

Ad Ludovicum M. quod attinet: Certe ipsius edictum anni 1682 beneficia respicit, quae jure Regaliae vacantibus episcopalibus Ecclesiis a Rege conferantur. Nihil ergo innovatum est in beneficiis, quae alio, quam Regaliae nomine ipse Ludovicus, ejusque Antecessores conferre consueverant. Itaque Galliarum Reges ex antiquis institutis haec beneficia pleno jure elargiri prosecuti sunt, nec non M. Eleemosynarium cum quasi episcopali jurisdictione constituere, ac regiarum Capellarum Thesaurarios, quorum officio cura insita est animarum. Consule acta Comitiorum Cleri Gallicani sub die 25 Februarii ann. 1747.

Laicae igitur collationes etiam in beneficiis, curam et spiritualem jurisdictionem habentibus, cum jure divino vel ecclesiastico minime pugnant. Nec enim Laici, si ad libellam res reducatur, beneficia et sacra officia proprio jure, sed vicario Episcoporum vel Summi Pontificis nomine conferunt. Quo sensu praestant sese ut Organum, et Canale lapideum, per quod spiritualis Ecclesiae transit auctoritas, et a fonte, in quo residet, Clerico, quem sacra inauguratio fecit idoneum, communicatur. Ex quo etiam sequitur, Principem si ex privilegio Papae collationem habeat beneficiorum, non Laicum, sed per Laicum conferre Pontificem; quae sententia Romanos inter Curiales est receptissima.

Ita Curradus in prax. benef. lib. II. C. IV. n. 83. *Quin immo, ubi hujusmodi privilegium concessum est, Laicus non dicitur conferre, sed ipse Papa confert mediante ministerio Laici, unde talis Collatio non reputatur regia, aut alterius Principis, sed mere apostolica, ut ex plurimis probat Lotter: nam quoties Papa transfert jura spiritualia in Laicum, illa non sunt in Laico, ut fundata in ipso, sed ut Ministro, et Agente nomine Papae*. Currado consonat Marta de jurisd. P. IV. C. XLVI. n. 12. *Si Rex confert beneficium ex privilegio Papae nihil spiritualitatis, dat ex se, sed a Papa, et per ipsum Regem transit spiritualitas, sicut aqua per canalem lapideum*. Et Card. de Luca de benef. Disc. IX. n. 12. *Ut de collatione vel provisione beneficii ecclesiastici, quam Laicus faciat, quod intelligitur fieri per Papam ad id potestatem concedentem cum ministerio Laici, qui proinde consideretur tamquam nudum organum, seu instrumentum: atque advertebam, ita docere frequentem praxim in pluribus beneficiis, et dignitatibus adnexam habentibus plenam quasi episcopalem ac ordinariam jurisdictionem cum territorio separato, ut praesertim est Archipresbyter Altamurae in Regno Neapolitano . . . . . cum similibus, et tamen talis collatio fit per solum Regem, sed quia ista facultas provenit ex concessione apostolica, ideo a Papa potius, quam a Rege isti Praelati potestatem ac jurisdictionem habere dicuntur*.

Caeterum ex Ecclesiae privilegio Laicos conferre, non impedit, quominus ex ipsius privilegii vi ac potestate proprie etiam jure conferant, et conferre dicantur. Eadem enim est privilegiorum, ac legum ratio. Quod autem Canones Laico tribuunt, *illud ei ipso jure competit*, idest, suo, *et summo jure, non vero ex mera gratia*, quemadmodum de concessione facta

per leges, aut Canones agens recte observat Franciscus Le Roy Institut. Canon. lib. IV. Tit. 7.

CAPUT II.

De quaesito Regibus nostris legitimis cum titulis jure collativo in Regiam Capellam.

§. I.

Probat Jus collativum Regibus nostris competere titulo fundationis in regias Capellas in genere, et expressa etiam Rogerii Regis lege in sacri Palatii Capellam in specie.

Legibus odiosis, quales sunt, quae poenes, et censuras ecclesiesticas in transgressores decernunt, nisi Principes nominatim exprimantur, minime comprehendi, pro certo esse debet. Siquidem hoc unanimi consensione tenent, ac docent Jureconsulti omnes, argumento etiam ducto ex Cap. Quod nonnullis ex. de Privileg. et Regula juris, quae habet, odia restringi, favores convenit ampliari. Et hinc Trid. Concilii Sess. XXV. C. 19 decreto, quo beneficia nondum vacantia promitti vetantur, jus primariarum precum, quod pro vacaturis Imperatori competebat, non includi censuit Sacra Congregatio Fagnano testo in C. Nulla 2 de Concess. praeb. in haec verba: *Quia non nominatur Imperator, qui est speciali nota dignus, et nominantur Cardinales, qui sunt et ipsi speciali nota digni. Unde si concilium voluisset comprehendere Imperatorem, expressisset.* Certum sane est, Conciliorum Canones Saeculo XI. et deinceps anathemetis poenam statuisse in Laicos, qui snapte auctoritate in suis Ecclesiis Clericos instituerent. Sed quoniam in tam longa serie Canonum, Principes, qui speciali nota digni erant, haud nominantur; eorum inde jura peraeque ac privatorum hominum velle perstringere, absonum erit.

Sano regia dignitas, et celsitudo non patitur, ut uno eodemque modulo Principes, ac privati metiantur, quasi inter eos nihil intersit. Reges, inquit Bonifacius VIII. cujus consilia non eo quidem spectabant, ut Regibus velificaret, *sicut dignitatis altitudine praeeminent, sic praerogativa gratiae ipsos convenit anteferre.* Praeterea Reges non solum munificentia sua Ecclesias ditarunt, sed etiam publicis legibus permiserunt, ut fideles testamento, vel largitionibus inter vivos, bona sua in Ecclesias effunderent. *Quidquid habet Ecclesiola mea*, (scripsit Gunebaldo Burgundionum Regi Avitus Viennae in Delphinatu Archiepiscopus Ep. XXXIX.) *immo omnes Ecclesiae nostrae, vestrum est de substantia, quam vel servastis hactenus, vel donastis.* Jam si gratiae referendae causa jus patronatus institutum fuit; quis neget, recte rationi congruere, ut amplioribus privilegiis ob collata in Ecclesias majora beneficia, Principes condecorentur?

Adde, quod Ecclesia in Imperio nata sit, non e contra Imperium in Ecclesia subsistat. Hinc enim necesse est, ut ecclesiastica, et regia potestas mutuis sese officiis complectantur. Ad rem Arnolphus Luxoviensis in Northmannia Episcopus ad Alexandrum III. Epist. IX. *Quibusdam amplexibus sibi invicem dignitas ecclesiastica, et regia occurrunt; cum nec Reges sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regum consequatur.* Et huc denique accedit, quod optimo cuique Principi, qui digniores velit ad Eccle-

Digitized by Google

siasticas dignitates promovere, sapientissimi atque integerrimi Viri non desint, quos in Consilium edhibeat. Quare Thomasinus P. II. Lib. I. C. 65 n. 10: *Congeries illa Canonum, quam et hic, et alibi prompsimus, oppugnabat illos Collatores Laicos, qui turmatim hanc licentiam arripuerant, conferebantque beneficia sine examine, sine delectu, passim, et promiscue: at certe tantopere laboratum non esset adversus Regem, qui non conferret, nisi ex Episcoporum, et Confessarii sui, et Virorum Religione, et doctrina praestantium consilio.*

Gravissimis igitur de causis profecto fit, Reges non venire sub generalibus Canonum dispositionibus, quae Laicis fundatoribus collationes omnino prohibent. Hinc non mirum, si in nova disciplina etiam non invitis Episcopis, nec reluctante Summo Pontifice, beneficia, quae ipsi Reges aere suo fundaverint, pleno jure conferant. Sic ergo illud, quod primo loco conficiendum erat, jam confectum est: Regi Siciliae jus collativum in regias Capellas a se aedificatas titulo fundationis esse quaesitum. Non enim Regi nostro id jus denegari potest, quod aliis Regibus pari ratione concessum non dubitamus.

Sed Palatinam S. Petri Capellam quod spectat, alia ex lege fundationis ratio succurrit, quare omnimodam potestatem ad conferenda illius beneficia, et sacra ministeria, non excluso Capellani majoris officio Regi adseramus. Quippe Rogerius istiusmodi Ecclesiam sub ea conditione ac lege fundavit, ut nulli Personae liceret, in ea sibi aliquid vindicare nisi per se, aut eos, qui sibi in Regno succederent. Et hinc manifestum esse debet, Rogerium liberam cujusque qualitatis beneficiorum et sacrorum Officiorum collationem, suo suornmque Successorum juri reservasse. Siquidem stante hac lege fundationis, quae dictam Capellam Regi facit obnoxiam, qui fieri posset, ut alii nisi a Rege constituti in ea vel sacris incumbant officiis, vel sacram et episcopalem jurisdictionem exerceant?

Jamvero sancte observandas esse fundationum leges expresso vel tacito Ecclesiae consensu approbatas ex eo patet, quod ex communi Doctorum sententia contractus vim habent. E pluribus documento sit Pitonius, qui de Controv. illustr. Alleg. 47 n. 6 et seqq. ita scribit: *Ubi fides publica? ubi observantia pacti? ubi sacrosancta lex contractus? nonne hoc esset decipere fundatores, qui legem rei suae dixerunt? nonne esset violare jus gentium, et naturale?* Et postea subdit: *Deus quidem contractus non subjecit Principi uti a jure Gentium provenientes . . . . ex quo descendit, quod Princeps revocare non potest privilegium, quod in contractum transivit, sed illud servare debet; et hoc procedere non solum quoad se ipsum, sed etiam per ejus successores servandum est.*

Itaque *sancta et inviolabilis esse debet fundatorum voluntas*, inquiunt Concilii Coloniensis II. Patres. adeoque firma, et stabilis est, ut nulla etiam immemorabili consuetudine infirmari possit. *Nulla potest dari consuetudo, quae aliquatenus fundationibus, quae hodie sunt juris publici possit derogare*: ut a Sacra Congregatione pronunciatum fuisse alibi observavimus. Confer Zipaeum Consult. lib. X. Cons. 3 §. haec inquam; nec non Declarat. in Conc. Trid. Sess. XXII. C. 8 pag. 194. Jus igitur collativum in Sacri Palatii Capellam Regibus nostris etiam ex lege fundationis competens ambiguum habere nemo poterit.

Digitized by Google

§. II.

Jus collativum in Regias Capellas Regibus nostris etiam Apostolicae legationis nomine competens evincitur.

Non solum fundationis, sed etiam Apostolicae legationis titulo Siculi Reges collativo in regias Capellas jure condecorantur. Sane vox ipsa, et natura Legationis id connotat, ut quis pontificiae auctoritatis consors, et particeps constituatur. Ideo ex quo coepere Pontifices dare mandata de providendo, et vacantia seu vacatura beneficia suae collationi subjicere, Ordinariis Collatoribus eorum conferendorum ablata potestate, id sibi juris Legati Pontificii pro suo modulo explicandum esse censuerunt. Tum vero quasi Ordinarii beneficiorum omnium Collatores evaserunt, cum ex receptis opinionibus plenitudo potestatis ita residebat in Pontifice, ut caeteri Episcopi, Pontificii Vicarii, et Ministri existimarentur, vocati in partem tantum sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, quod magnificis verbis Innocentius III. profitetur lib. XVI. Ep. 104 et Fleuryus Disc. IV. hist. Eccl. et Enspenius P. I. Tit. XXI. C. II. n. 15. et seqq. aliique passim observarunt. Et sane plenitudo pontificiae potestatis, quae tantum Coadjutores Episcopos adsumit, Pontifices, Superiores, et Episcopos totius Ecclesiae constituebat. Ita sponte sua frequentiores factae, et Episcopali, ac Metropolitica potestate auctae Legationes. Cum ergo Siculos Reges Urbanus II. Apostolicae Sedis Legatos constituerit; evidens fit quemadmodum et ob eam qualitatem regiarum Capellarum beneficia et sacra officia conferendi jus adquisiverint.

Non me latet, potestatem ad beneficia conferenda, qua Legati omnes in Provincia suae legationis usi fuerant, tandem ad solos Cardinales Legatos a latere fuisse restrictam. Quod enim Angli de Legatis omnium beneficiorum provisionem sibi reservantibus, gravissime conquerebantur, in Concilio Lugdunensi ab Innocentio IV. decretum fuit, *ut Ecclesiae Romanae Legati quantumcumque plenam legationem obtineant, sive a nobis missi fuerint, sive suarum praetextu Ecclesiarum, Legationis sibi vindicent dignitatem, ex ipsius legationis munere, conferendi beneficia nullam habeant potestatem, nisi hoc alicui specialiter duxerimus indulgendum. Quod in fratribus nostris Legatione fungentibus nolumus observari: quia sicut honoris praerogativa laetantur, sic eos auctoritate fungi volumus ampliori.* Cap. I. Officii nostri Tit. XV. de offic. Legati in 6. Ita Legatis tam missis, quam natis adempta est beneficiorum reservatio, et collatio, et solis cessit Cardinalibus, qui Apostolica legatione aucti, Legati a latere appellantur.

Sed non video cur de Rege Siciliae aliter sentiamus, putemusve hanc praerogativam, quae Cardinalibus legatis a latere conceditur, alii, qui Legatus est a latere, tametsi de numero non sit Cardinalium, esse denegatam. Ex notissimo Urbani II. privilegio, quod Benedictus XIII. edita bulla, quae Concordiae vim habet, confirmavit, Reges Legati sunt quidem nati, sed a latere in Regno Siciliae. Nam latina verba diplomatis Urbani Pontificis, *quando ad vos ex latere nostro miserimus*, indicare possunt, quia Vobis missionem, et Legati a latere auctoritatem impertimur. Sic autem verba illa intelligendo particula *ad* esset superflua, et legi oporteret, ut aliqui legunt: *quandoquidem ad vos ex latere nostro miserimus*. Retenta igitur particula *ad*, sensus est: Non mittemus ad vos Legatum ex latere nostro, sed id omne, quod per Legatum, videlicet a latere acturi sumus, per vos cum pari potestate perfici volumus. Quare utraque explicatio in idem

recidit, et Regem Siciliae Legatum a latere, aut propria Legati a latere auctoritate praeditum ostendit.

Caeterum non venire sub generalibus dispositionibus jura ad Reges spectantia, ex rebus jam disputatis apparet. Et quando Cardinalibus Legatis competit beneficiorum collatio, quia sicut in altiori dignitatis gradu collocantur, sic eos ampliori fungi par est auctoritate; id privilegium in Rege Siciliae Legato etiam Apostolico saltem in beneficiis regio aere fundatis, regia dignitas firmum, certumque conficiet.

§. III.

Collatio beneficiorum, et sacrorum officiorum ad Regias Capellas spectantium Regi competit etiam ex peculiari privilegio, et antiqua consuetudine.

Ad Regum nostrorum collativum in regias Capellas jus corroborandum, praeter fundationis, et Apostolicae Legationis titulum, expressum quoque facit privilegium, et consuetudo. Et primo quidem privilegium argui debet ex Concordia Mazariensi, quae habet, Praelatos ita dictis Terrariis, hoc est Nobilibus indulsisse, ut Capellis, quas in suis pagis, et villis aedificarent, Clericos pro suo jure constituerent. *Si vero Terrarius in Casalibus Capellam facere voluerit, Capellanum per Episcopum non habebit* (*Dipl.* IV.). Quando autem privatis Nobilibus facultatem faciunt Episcopi, Clericos in suis Capellis instituendi; parem facultatem Rogerio Comiti, ejusque haeredibus, quod regias spectat Capellas ultro consensisse, nemini dubium esse potest. Habes igitur jus collativum in Regias Capellas Regibus nostris Episcoporum consensu ab ipso Regni primordio quaesitum, vel confirmatum.

Inde apostolica etiam auctoritate id jus Reges nostros sibi proprium vindicasse, colligi posse videtur, ex propositione Ecclesiae, et responsione ad eam reddita Friderici Imperatoris nomine anno 1234 apud Lunigium Cod. dipl. Ital. T. II. *Propositio Ecclesiae. Item quod non permittit, Cathedrales, et alias vacantes Ecclesias ordinari . . . . Responsio Imperialis. Cathedrales et alias vacantes Ecclesias Dom. Imperator vult, et desiderat ordinari, salvis privilegiis, et dignitatibus, quae Praedecessores sui Reges usque ad sua tempora habuerunt, et quibus ipse modestius, quam Praedecessores sui hactenus usi sunt, nec contra ordinationem Ecclesiae unquam facit.*

De privilegio etiam Apostolico ad conferenda beneficia Siciliae Regibus concesso antiquus Glossographus Joannes Semeca, qui per ea tempora floruit in Can. I. Caus. XVI. q. 7. haec habet. *Qui Ecclesiam consequitur a Laico, ipso jure suspensus est . . . nisi auctoritate Papae habeat Laicus investituras, sicut Dux Apuliae*. Quibus verbis indigitat, Laicorum conditioni haud repugnare, ut beneficia, quibus addita sit cura animarum, conferant, dummodo Pontificis privilegio id faciant, uti Dux Apuliae, seu verius Rex Siciliae, qui ab antiquo Regem Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae se nuncupabat. Itaque pontificio privilegio aucti Siciliae Reges beneficia conferebant, eodemque privilegio sese Fridericus a querelis omnibus, et objurgationibus repurgabat.

Porro Summi Pontifices aliquando Regi Siciliae generalem omnium beneficiorum Regni collationem assensi sunt, tametsi ad regii Patronatus jura non pertinerent. Hoc se privilegio condecoratum adserit Rex Martinus apud

Digitized by Google

Pirrum in Episc. Melit. ad ann. 1408 his verbis. *Praesentium serie pateat Universis, quod auctoritate apostolica nobis concessa per bullas speciales, quod beneficia, et dignitates ecclesiasticas in Regno Siciliae vacantes, seu vacantia, personis idoneis, de quibus sit merito confidendum . . . conferre, et commendare valeremus* etc.

Postremo jus collativum Regum nostrorum in regias Capellas firmat antiqua consuetudo. Constat enim ex dictis, eos olim perque multa saecula de omnibus regiae suae Capellae seu beneficiis, seu sacris officiis pleno jure disposuisse, et quidem scientibus, et prudentibus Episcopis, qui ad abusum Religioni contrarium revellendum, non siluissent. Constat praeterea (quod etsi saepe dictum est, dicendum est saepius) talem consuetudinem ex tacito Ecclesiae consensu expressum aequare privilegium, haberique loco tituli bene constituti, et probati, quemadmodum tam veteres, quam recentiores Jureconsulti uno ore testantur, et legum auctoritate docent.

CAPUT III.

De servato etiam juris, et ritus ordine in restituendo jure collativo Regis in regiam Capellam.

§. I.

Agitur de servato juris ordine in integrando Regiae Coronae in regiam Capellam collativo jure.

Etsi collatio sit res mere spiritualis ex C. Transmissae de Jur. Patron. adeoque a simplici praesentatione differat, quatenus rei spirituali tantum adhaeret; nihilominus ex Ecclesiae concessione fit, ut inter regalia Regis Siciliae jura computetur, et regiae ipsius dignitati contexta censeatur. Cum ergo regalia vindicandi, et quidem jure Majestatis, jure Imperii, jure summo, aeterna sit auctoritas, quemadmodum extat in Decis. Dolan. LXXVI. N. 2. ecqua esse poterit vel probabilis ratio, quare de legitime integrato regio in regiam Capellam jure collativo subdubitemus?

Haec sane integratio nihil habebat offensionis ex parte Canonum, qui fundatoribus concessa praesentatione, abrogabant omnino collationem. Namque isti Canones de Regibus speciali dignis nota silebant, et praeter fundationem id jus in regias Capellas, Apostolici Legati qualitas, et inveterata consuetudo, quae expressum aequat privilegium, in Siciliae Rege firmabant. Siqua hic difficultas post ea, quae de regalium praescriptione ad Subditos non pertinente dicta sunt, occurrit, ex facto enascitur, quod pro summo Pontifice stare videtur. Constat enim Pontifices Regum nominatione provocatos sacri Palatii Cantoriam toties contulisse, quoties possessore suo vacare contigit ab anno 1491 ad annum 1581 item Abbatiam S. Luciae cum adnexa Capellania majore Regni Siciliae ab anno 1518 ad annum 1768. et inde Abbatiam a praefata Capellania sejunctam ad annum usque 1801. Postquam ergo in praefatis beneficiis, et Officio conferendis non ultro, sed regiis praesentationibus exciti Pontifices sese per longum tempus immiscuerant, certe magis fuisset, ut eorum provisio jam praescripta, inque Apostolicam Sedem devoluta censeretur.

At vero Pontifices in hac causa spectari possunt vel uti Principes, quales sunt Imperatores ac Reges, vel proprie uti supremi Catholici Orbis An-

tistites. Ex iis, quae de praescriptione naturae juri prorsus incognita disseruimus, clare patet, Summo Pontifici utpote Principi temporali nullam adversus Regem Siciliae competere posse praescriptionem. Quippe Principes in statu naturae constituti sunt, et eorum unusquisque sua sibi jura vindicat, atque tuetur. Si vero Pontificem respicimus uti supremum Ecclesiae Praesulem ac Pastorem, non una, sed multiplex ad propositam quaestionem erit responsio.

I. Ab Ecclesiae, quae spiritu Sanctitatis animatur, ingenio abhorret, ut aliud suadente veritate atque justitia, sua jura velit extendere. *Quodcumque*, inquit Tertullianus de veland. Virgin. C. I. *adversus veritatem sapit, hoc erit haeresis, etiam vetus consuetudo*. Et juxta praeceptum Legis Sed si liceat D. de offic. Praesid. *non tam spectandum est, quod antea factum sit, quam quid debeat*.

II. Nihil magis a mente Summorum Pontificum alienum debet videri, quam ut praescribere jus alienum, eique derogare intendant. *Respectu autem Suae Sanctitatis*, uti scribit Salgado de reg. protect. P. III. C. X. n. 24 *nec haec intentio praescribendi, et derogandi juri Patronatus regio potest induci*. Et certum est ex L. fin. ff. Quemadmodum servitutes amittantur, ex L. Final. ff. de itinere, actuque privato, sine intentione et animo praescribendi, non posse locum habere praescriptionem.

III. Inter omnes convenit Canonistas, provisiones Apostolicas non mutare statum beneficii juris patronatus. Unde non immerito sic habet Henricus Arniseo De Jur. majest. lib. II, C. II. n. 3. *Quidquid sit, patet praescriptionem non consistere sine aliena jactura, et quadam iniquitate. Ideoque miror, quod ecclesiasticae potentiae Defensores quidam, cum eam aliter probare non possint, ad praescriptionem, tamquam ad ultimum praesidium confugiunt, et super tam fragili, ex jure Civili contra aequitatem inducto fundamento rem tantam superstruant, eoque contra jus divinum, et humanum pugnare conentur*.

Denique in factis expositis recurrendi ad Sanctam Sedem occasionem praebuere canonica impedimenta, quibus pontificia ex indulgentia exsolvendi erant Electi, ut beneficia consequi possent. Nullis ergo existentibus impedimentis, jus liberum collativum Regiae Majestati recte integratum est; nam cessante causa, cessat effectus.

§. II.

De servato ritus Ordine in restituendo regio in regiam Capellam collativo jure.

Ad ea, quae hac de re alibi dicta sunt, pauca opus erit adjicere. Profecto ex Regalium natura ipsa proficiscitur, ut ad ea Regiae Coronae integranda, sine ordinarii judicii formulis procedatur. Itaque in vindicando ab illegitimis usurpationibus jure collativo Regis in Regiam Capellam, bene a consuetis judiciorum sollemnitatibus, ne dicam ambagibus recessum est. *Omni jure petito*, inquit Marius Cutelli in Not. 1. ad Cap. Mart. n. 8. *ab eis titulo, per quod detinere praesumunt, eove non exhibito, vel si exhibeatur, non tamen ab eo, cui jus erat concedendi, statim a possessione depelli poterunt, ut scripsimus Orat. II. n. 5. et Orat. IV. n. 16. ubi in id sex supra quinquaginta Doctores citavimus: quibus addendus est Sixtin. de Regal. lib. I. C. V. Caus. 15. n. 63. Ponte de potest. Proreg. §. 4 Tit. 7 de Regal.*

Digitized by Google

impos. n. 37 *et* 78 *qui Regni Neapolitani praxim ita se habere affirmat*. Vides igitur hanc theoriam ubique, ac praesertim in Regno utriusque Siciliae esse receptissimam: quod et aliis testimoniis, si necesse esset, confirmare possem.

Deinde ex Regalium quoque natura et conditione descendit, ut causae omnes circa illa emergentes sive in possessorio, sive in petitorio judicio in regiis Curiis tractentur, ac finiantur. Atque observatu dignum est, Romanos Pontifices quandoque hunc morem approbasse, ac ratum fore jussisse. Namque in pactis conventis inter Bonifacium VIII. et Philippum Pulchrum Galliarum Regem, haec habentur. *Item certum notorium, et indubitatum, quod in causis quibuslibet ad fidem Catholicam, vel quae mere spirituales noscuntur, non spectantibus, quae Regem Franciae tangant; agendo, vel defendendo Rex non litigat, nec litigare debet, vel tenetur de consuetudine notoria, nisi in Curia sua semper a tanto tempore, de quo in contrarium memoria non exitit*. Alia etiam in hanc rem pontificia diplomata et rescripta memorat Natalis Alexander Diss. VIII. in hist. Saeculi XIII. et XIV. Art. VI.

Sed jam iis expositis, et enodatis, quae ad regiae Capellae Siciliae politiam spectare videbantur, tempus est, ut huic libro II. finem faciamus. Saoe hunc librum concludimus non paucis (nam id fieri non poterat, quod amplissimus esset, et justi voluminis materiam suppeditaret), sed quam paucissimis fieri licuit, ut et Capellani majoris, et Regis ipsius in regiam Capellam legitima potestas, et jurisdictio eo statu esset, quem neque stulta temeritas, neque improba labefactaret injuria.

DE REGIA CAPELLA SICILIAE.

LIBER III.

Regiae Capellae Siciliae λειτουργίαν percenset.

Cum instituti nostri ratio postulet, ut nedum de Liturgia stricte sumpta, verum etiam de insignioribus Palatinae Capellae caeremoniis, quae sacrum aliquod ministerium involvunt, pertractemus: Liturgiae nomen, quatenus quodcumque publicum munus, et Officium denotat, adhibebimus. Namque hoc sensu ea voce usi sunt Plato, Aristoteles, Demosthenes, Xenophon, Isocrates, aliique profani Scriptores, quorum testimonia proferunt Lexicographi Graeci. Et quamvis ab initio nascentis Ecclesiae, inter Christianos invaluerit, ut pro sacrificio Corporis, et Sanguinis Domini accipiatur; nihilosecius observat vir eruditus Richardus in Comment. ad Proclum de Tradit. Missae, Patres, quando Liturgiae vocabulum ad Sacrificium indicandum usurpant, semper sacrae, vel mysticae epitheton adjecisse. Etsi autem hoc vocabulum late sumptum, amplissimam nobis disputandarum rerum praebeat materiam; non tamen in his enodandis argumentis, eam copiam, quam possumus persequemur. E sacris omnibus ministeriis, quae ad Regiam Capellam pertinent, quanta maxima brevitate licebit, quae potiora, et scitu pulchriora sunt, exponemus. Qua de causa hujus libri tot erunt membra, quot Capita.

CAPUT I.

De Liturgia, ejusque Ordine in Palatina Capella Regum Siciliae.

§. I.

Nonnulla circa veterem Sacri Palatii Liturgiam notatu digna percenset.

Divina Officia in Aula Regum Siciliae decentissime olim persoluta fuisse, suadent Ecclesiae Palatinae a Rogerio Rege constructae nobilitas, Parochialis dignitas ei collata, insigne Canonicorum Collegium illius ministerio addictum, summa Rogerii, et Successorum Regum erga res sacras Religio. Constat vero ex literis Rogerii Regis datis anno 1148 in gratiam Joannis de Nusco Abbatis Regii Monasterii S Jo. de Eremitis, praecipuos festos dies in Capella Palatina solemni ritu celebratos, sacra faciente Episcopo aliquo: Rogerium vero Apostolicae Sedis privilegium, quo illius Monasterii Abbati Mitra, chirotecae, sandalia, tunica, dalmatica, et quotidianus usus annuli, et alia concessa fuerant, nominatim confirmasse: tum decrevisse, ut idem Abbas, tamquam primus Capellanus Regis, vel Antistes aliquis illo permittente, ibi sacris operaretur (*Dipl. IV. et CCLX.*). Neque dubitandum, quin solemni liturgiae Reges adesse consueverint insigni pompa. Hinc enim nonnisi a Magno Capellano Pontificum more, vel ab Episcopo aliquo solemnia celebranda erant; et hinc quoque illud honoris, ac privilegii loco habebatur.

Paterno instituto adhaesisse Guillelmum primum hujus nominis Regem Siciliae, probat Romualdus Guarna coevus Auctor in suo Chron. his verbis: *Divino officio extitit multum intentus, et personas est ecclesiasticas multum veneratus. Capellam S. Petri, quae erat in Palatio mirabilis musivi fecit pictura depingi, ac ejus parietes pretiosi marmoris varietate vestivit; et eam ornamentis aureis et argenteis ditavit plurimum, et ornavit. Clericos in ea multos, et praebendas instituit, et divinum in illa officium decenter, et tractatim, et cum Dei reverentia, et timore celebrari disposuit.* Verisimillimum est, Regem divinis rebus addictissimum, praecipuas anni Festivitates regia pompa, et splendido apparatu in Capella sua coluisse, et ad earum nobilitatem augendam, ornamentis aureis, et argenteis, et omni pretiosissima supellectili Capellam suam amplificasse. Quem etiam sacro adesse solitum singulis diebus, indicat idem Romualdus, cum narrat, Conjuratos in Regem seditioni principium dedisse prima Feria V. Quadragesimae, dum Rex ad missam audiendam pergeret. Pariter regnante Guillelmo II. Conjurati in Stephanum Regis Cancellarium, de eo necando consilium inierunt Dominica Palmarum, cum Rex e Palatio juxta morem egrederetur: quod de supplicatione, quae eo die fieri solet, et quam Reges nostri comitabantur, intelligi debet. Itaque Northmannos Reges et privatim, et publice divinis officiis in Capella sua adfuisse, nemo est, qui possit ambigere.

Verum non adfuere tantum, cum et iis rite decenterque celebrandis sedulo incubuerint. Refert Canonicus de Joanne in Tract. de divinis Sicul. offic. C. XIV. n. 9 in quodam MS. Codice, cui titulus: *Cantus diversi ad usum S Pan. Ecclesiae*, legi *Kyrie Regis Guillelmi*. Censet vir doctus Guillelmi nomen praefatis *Kyrie* adfixum, nihil aliud praeseferre, quam

Digitized by Google

quod rursus in Ecclesiis Siculis decantari coeperit Guillelmo promovente, non quidem I. sed II. quandoquidem in quodam Missali Gallo-Siculo Ecclesiae pan. quod Northmannorum aetatem redolet, nullum *Kyrie* vestigium apparet, ea fortasse de causa, quod Codex Guillelmi II. aevo sit vetustior. Potuit vero ea institutio ad Guillelmum I. referri, quem, ut diximus, ordinationi sacrorum Officiorum advigilasse, Romualdus Guarna testatur. Et probabile est, eamdem institutionem a Capella sacri Palatii in caeteras Siculas Ecclesias defluxisse.

Illud sane certum, quod pluribus momentis evincit clarissimus Auctor, a Northmannis nempe Principibus intromissum in Ecclesias Siculas ritum Gallicanum, cui Siculi patrias nonnullas caeremonias addiderunt, et hinc originem habuit Liturgia Gallo-Sicula, quam ille accurate describit, quaeque viguit in Sicilia usque ad Concilii Tridentini, et Pii V. tempora. Jamvero inde consequitur, Northmannos Principes praesertim in Capellam suam Gallicanum ordinem invexisse, et a Capella Palatina ad caeteras Ecclesias derivasse, plane ut de Ordine Romano e Sacello Caroli magni ad reliquas Galliae Ecclesias traducto, inter Doctos convenit.

In eodem Ordine Gallo-Siculo occurrit ritus acclamationum Regi factarum in Liturgia post Collectam. De veteri acclamationum ritu, plura tradunt Card. Bona lib. II. rer. liturg. Mabillonius Tom. II. veter. analect. Catalanus in Comment. ad Concil. Oecum, et Pontificale Romanum. In Sicilia vero ejusmodi acclamationes Regi fiebant, dicta Oratione post hymnum Angelicum, atque his verbis exprimebantur, uti legitur in antiquo Codice membranaceo. Pan. Ecclesiae, teste eodem de Joanne ibidem n. 14. *Acclamationes Regis Friderici. Christus vincit, Christus regnat, Christus Imperat:* Chorus respondebat: *Exaudi Christe. Domino nostro Regi Friderico, Magnifico, et Triumphatori, ac Invictissimo vita perpetua:* Choro respondente: *Exaudi Christe Salvator mundi, Redemptor mundi, Sancta Trinitas, S. Maria, S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, S. Joannes Baptista:* Choro respondente singulis vicibus: *Tu illum adjuva. Regi nostro Friderico, Glorioso, et Triumphatori pax sempiterna:* Chorus reponebat: *Exaudi S. Petre, S. Paule, S. Stephane, S. Laurenti:* Chorus reponebat: *Tu illum adjuva. Pacifico Rectori, et piissimo Gubernatori Regi nostro Friderico lux indeficiens, et pax aeterna:* Choro respondente: *Exaudi S. Sylvester, S. Maria Magdalena, S. Christina, S. Agatha:* Choro respondente: *Tu illum adjuva:* Tum repetebatur Antiphona. *Christus vincit.* Hunc Fridericum Regem Siciliae, fuisse hujus nominis III. putat vir doctus.

Quin etiam in liturgia Capellae sacri Palatii, pro Rege preces effundebantur. Siquidem in pervetusto Codice membranaceo ejusdem Capellae, pro Rege Guillelmo I. Collectam fieri adnotavit pan. eruditionis perquisitor diligentissimus Jo. M. Amato de Principe Templo lib. XIII. C. XIII. pag. 448. Cujus antiqui instituti vestigia supersunt tam in Capella Palatina, ubi ex decreto R. M. Judicis, et Regii Visitatoris D. Emmanuelis de Quero, et Torillo (Dipl. CLIII.) Collecta recitatur pro Rege; quam in Metropolitana Ecclesia, ubi ex decreto Synodi dioecesanae Archiepiscopi Jacobi de Palafox, post Summi Pontificis nomen, Regis quoque nomen additur Canoni, et Collecta, aliaeque preces pro Rege in Choro recitantur.

Jamvero hunc morem precandi in liturgia pro Rege, ab Apostolo I. ad Timoth. C. 2. inductum, atque a vetustissimis Christianis observatum, a Conciliis etiam Emeritensi Cap. III. Toletano XVI. Cap. VIII. Remensi I. Cap. XL. praeceptum, Northmanni Principes a Gallicano ordine hauserunt.

Digitized by Google

Nam in antiqua liturgia Gallicana Sacerdos his verbis precabatur: *Suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro Rege nostro, et sua venerabili prole, et statu Regni, et pro omni Populo Christiano*. Et ut ad hanc rem fideles magis impellerent, Romani Pontifices, indulgentiis eos donarunt, qui pro Rege, et Regno exorarent, uti factum ab Innocentio IV. et Clemente V. refert Feraultius in tractatu de juribus, et privilegiis Regni Franciae. In Anglia etiam nunc temporis viget hujusmodi antiquissima consuetudo. Siquidem in Ecclesia Vestmonasteriensi contigua regio Palatio, ubi tumulantur Regum defunctorum corpora, Canonicus ad hoc munus ordinatus, singulis diebus stata hora se confert ad regiam Capellam, ibique cunctos monet, ut pro Regibus Reginis eorumque filiis vita functis precentur. Sed ad Suevos Siciliae Reges progrediamur.

Hos etiam solitos fuisse in Capella Palatina divinis officiis assistere, compertum est. Nam Fridericus II. Imperator, cum ibi in die S. Stephani protomartyris divino adesset officio, petentibus Cantore, et Canonicis, privilegia illi ab Rogerio Rege, et ab Henrico VI. Patre suo concessa de verbo ad verbum rata esse jussit. (Dipl. XXIV.) Tum Rex Mamfredus Palatii pan. Sacellum spiritualem Cameram Praedecessorum Regum, et suam esse dixit, et quidem ex eo, quod ad instar Camerae, ubi thesaurus regius servabatur, spiritualium rerum copiam Regibus suppeditaret. Vide Cangium voce Camera. Ergo religionis causa hanc regiam Capellam Reges adibant, et sacramenta, et alias spirituales opes inde percipiebant.

Porro in more habuisse Suevos Principes magna solemnia agere in Aula sua regio apparatu, indicant veteres rerum Sicularum Scriptores, dum adnotant loca, ubi praecipuos festos dies illi celebrarunt. Ita Matthaeus Spinellius in Diariis, quae habentur in Collectione Script. Italiae, Clarissimi Muratorii T. VII. loquens de Rege Mamfredo ad ann. 1255. *Eodem anno Natalem Dominicum celebravit Teate, et per omnia Oppida Aprutii creavit Equites*: Et rursus de eodem Manfredo refert: *Secunda Decembris venit Barlettam, et multis ibi mensibus substitit, celebravit etiam ibidem Natalem Dominicum magno cum triumpho*. Idemque notat, celebratum a Mamfredo S. Martini festum, et ad hanc celebritatem invitatos Neapolitanos quamplures. Quidam igitur festi dies in Aula nostrorum Principum solemni pompa agebantur.

Neque reticendum est illud, quod idem narrat Spinellius, scilicet Mamfredo Barulum subeunti occurrisse Cives ferentes manibus palmas, atque accinentes, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*. Erat tunc temporis usitatum, hisce honoris, ac laetitiae significationibus Principes excipere. Hinc et Carolum Andegavensem Romani obviam euntes excepere canendo, *Hosanna pium*, uti refert Nicolaus de Jamsilla in hist. rer. Sicul. Script. Ital. Muratorii Tom. VIII. Rogerium quoque Comitem Saracenis bellum inferentem Troynenses Cives, qui Graeci erant, Graecorum more exceperunt cum Cruce, thuribulis, ac thure, uti scribit Fazellus lib. VII. Cap. I. Sed ad rem nostram redeamus.

Aragonios Siciliae Reges quando Panormi degebant, Palatinam Capellam vacatum sacris officiis adire consuevisse certum est. Sane Rex Martinus ibi praesens ad preces Cantoris, et Canonicorum antiqua omnia privilegia illi confirmavit, novisque auxit (Dipl. LXXV.). Praeterea statas quasdam solemnitates splendido etiam apparatu in Capella sua dictos Reges coluisse pro certo esse debet. Et id de ipsomet Martino Rege Catanae subsistente colligitur ex diplomate ab eo dato in gratiam Capellae regiae Catanensis S. M.

de Eleemosyna, quod Siciliae sacrae Tomo II. exhibetur. Ibi enim rex ait, se hanc Capellam beneficiis prosequi, quod divina officia, et Sacramenta ibidem administrentur, *et nos saepe saepius illuc accedimus in ordinariis nostris functionibus ecclesiasticis, uti nostra Capella*. Erant itaque Siciliae Regibus functiones, quas regio cum apparatu celebrabant.

Addam sub Joanne Rege Siciliae Alphonsi magnanimi fratre, et Ferdinandi Catholici parente, viguisse liturgiam palatinam: id enim indicat Fazelli lib. IX. Cap. X. de eo testimonium. *Princeps hic Christianae religionis fuit longe omnium studiosissimus. Quotidie sacris intererat. Divorum omnium, ac Deiparae Virginis sacra stata caste, ac jejunio, Quadragesimam praeterea a vigesimo aetatis anno ad septuagesimum usque jejunio, et abstinentia celebrabat. Festos dies, ac Dei cultum revereri ab omnibus inviolabili lege sancivit, a Saracenis imperio subjectis Mahometi nomen invocari vetuit, indignum ac sacrilegum prope facinus existimans, in Christianorum Principatu hominis perditissimi falsum nomen venerationi esse. Christi corpus cum per vicos, et in festo suo die, et item alias (ut fit) deferebatur, non modo a Christianis, verum a Iudaeis quoque, et Saracenis detecto capite ac genuflexo adorari sub mulcta constituit*. Qua in re Joannes aemulatus videtur pietatem non modo Constantini, M. Theodosii, Leonis, et Anthemii, quorum leges de observandis festis extant in Codice, sed et Caroli M. et aliorum Regum francorum, quorum persimiles constitutiones exhibent Capitul. lib. I. 75 et lib. VI. Cap. 205.

§. II.

De subsequentium temporum palatina liturgia, ejusque ordine.

Martino juniore sine legitimis filiis defuncto, Proreges, qui regia vice imperium administrarunt, Regum vestigiis inhaerentes, publica Religionis exempla prodere consueverunt. Itaque in Capella palatina cum toto regio Consilio, Senatu Panormitano, et Proceribus Regni, statis quibusdam diebus rei divinae aderant praesertim in Dominicis Adventus, et tempore Quadragesimae ad Sermones audiendos. Tum vero Proreges solio quidem, sed sine Umbella insidebant, haec enim uni tantum Philiberto de Subaudia Classis hispanicae Praefecto, et Siciliae Proregi concessa est anno 1623. caeterum nulli post Reges concedebatur, ut in Notitia Regiae Capellae adnotat Pirrus. Qui ibidem testatur, ejusdem Capellae Canonicis missam solemniter celebrantibus de mandato ipsius Principis Philiberti permissum fuisse anno 1624 ut juxta consuetudinem Ecclesiae Cathedralis ad scamnum, et Scabellum, stragulum ac tapetum adhiberent. Addit Mongitorius in Auctario sacro regiae Capellae, anno 1629 a Prorege Duce Alburquerque indultam fuisse Petro de Neyla Judici Regiae Monarchiae, solemni more faciendi sedem sericam cum tapete, sicque etiam suis Successoribus. Et certe antehac nulli fas erat in Sacello sacri Palatii nisi Proregibus, vel Cardinalibus uti sericis sedibus, et cervicalibus (Dipl. CLXXXVII.).

Jamvero Proreges Capitulo et Clero palatino primas in sacris functionibus concedebant. Et hinc fiebat, ut etiam post infimos Clericos in die Cinerum, et Dominica palmarum, cinerem, et palmam acciperent. Feria V. in coena Domini in augustissima regiae domus pinacotheca erecto altari post decantatum a Diacono Evangelium, Prorex linteo praecinctus duodecim pauperum pedes lavabat, et osculabatur. Tum hi accumbebant mensae, fer-

culis, et cibariis oppletae donatique vestibus, et nummis laeti dimittebantur. Hac quoque die magno cum comitatu e Palatio egressi Proreges praecedentibus Magistro Justitiario Civitatis, ejusque Curia, et Ministris, plures adibant Ecclesias, veneraturi Christi corpus in monumento positum. In Parasceve postquam Antistes, qui sacris operabatur, et Canonici, et Clerici adoraverant Sanctissimam Crucem, tum demum inter duos Canonicos progrediendo ad Altaris gradus, eam flexis genibus adorabant. Porro in festo Purificationis et feria V. et VI. majoris hebdomadae cereus pro agenda supplicatione, ad Proregem sive solio, sive intra ligneos Cancellos assidentem deferebatur. Cum enim Regis Legati a latere vices gereret, Caeremonialis Episcoporum erga ipsum rubrica servanda erat, quae habet, ut cereus, et palma legatis suo in loco sedentibus adferantur.

Ad haec Proreges insigni pompa solemnissimam supplicationem in festo Corporis Domini e templo mansionis ad Cathedralem Ecclesiam haberi solitam prosequebantur. Praeibant cum accensis facibus in suas divisae classes piae Laicorum sodalitates, sic dictae Confraternitates, religiosae familiae, et simul cum Capitulo Cathedralis Ecclesiae Sacrum Consilium. Sanctissimam Eucharistiam deferebat Panormitanus Antistes, sub umbraculo, quod Patres conscripti pan. Civitatis Senatoria induti veste fulciebant. Sequebatur deinde praetoriano utrinque instructus milite Prorex cereum gestans accensum. Proregi adhaerebant a dextra primus Regni Dynasta, et a sinistra Praetor vel Senator ordine prior. Subibant Dux olim Praetorianae cohortis primarius (*il Capitano della Guardia*) et postea secundarius (*il Tenente della Guardia*) item Cosmeta major, et Stabuli Praefectus major (*il Cameriere e Cavallerizzo maggiori di S. E.*), qui ex ingenuis, et nobilibus viris deligebantur. Tandem reliqui Senatores bini incedentes, agmen claudebant. Pari comitatu Proreges in supplicationibus procedebant indici consuetis in festo Conceptionis B. Mariae Virginis, et in die Parasceves ad religiosissimum circumferendum simulacrum, quod Deiparam filii nece maxime dolentem refert.

Praeterea in quibusdam solemnitatibus Proreges ad Metropolitanam Ecclesiam, vel Ecclesias Monialium, aut Regularium se conferebant magna cum pompa ad audiendam solemnem liturgiam. Solium Proregis holoserica umbella purpurei coloris, aureisque lineis distincta exornatum, a cornu Evangelii pluribus gradibus sublime excitabatur. Prope Proregem sedentem adstabat Dux olim Praetorianorum Militum, sed postea qui secundum ab eo locum obtinebat. In ipsius Solii gradatione sedebant M. R. Curiae Judices, qui in negotiis tum civilibus, tum criminalibus jus dicebant. Curatores aerarii Regii (*Procuratori fiscali*) et Protonotarius, et Secretarii Regni. Inter Altare, et solium Proregis insidebant sedibus tres Supremi Magistratus, seu Praesides M. R. Curiae, Regii Patrimonii, et Sacrae Regiae Conscientiae, seu Concistorii, et Assessor Proregis, quem Consultorem nuncupabant. Hos sequebantur in Scamno Magistratus, qui regium patrimonium administrabant, videlicet Magistri Rationales, Thesaurarius, Conservator, Magister sic dictus Portulanus, et fisci Patronus. Ex altera vero Solii parte considebat in Sede primus e Dynastis Regni, quos *Titulates* vocabant, hunc excipiebant Scamno insidentes Concistorii Judices. E regione Solii, scamno assidebant Magister Justitiarius Civitatis, Praetor, et Patres conscripti Senatores panormitani. Ad Latus Arae dexterum stabant Proregis Ostiarii (*Portieri di Camera*) qui Mystas praecedebant ad Proregem euntes: Chori januam tuebantur Germana cohors praetoriana ferox hastis (*gli Alabardieri*), et Senatorii sic dicti Comestabuli.

Solemnis vero liturgia in Metropolitana Ecclesia sacris operante pan. Antistite, hoc ordine peragebatur. Proregi occurrebat eumque aqua lustrali adspergebat Cantor, vel alius e Choro dignior pluviali amictus, et infulatus. Inchoata missa Diaconus, qui ad altare ministrabat ad Proregem accedebat, juxta quem introitum, at confessionem recitabat. Idem praestabant officium Subdiaconus altaris erga Senatum, et alii duo Subdiaconi erga tres supremos Praesides, et primum Regni Dynastam. Evangelii librum e Capitulo dignior pluvali indutus praeeunte Caduccatore (*Mazziero*) et Praefecto Caeremoniarum Proregi adferebat, hujus osculo excipiendum. Tum quoque alium sacrum Codicem alter e dignioribus Canonicis gestabat ab Archiepiscopo deosculandum. Pariter Diaconus altari inserviens thure ter ducto thuribulo Proregem inhalabat, isque stans, apertoque capite thus accipiebat. Post trisagium descendens a throno Prorex sericum supra pulvinar purpureum flexis genibus adorabat Corpus Dominicum inter primum Dynastam a dextera, et Praetorem Civitatis a laeva. In solium reversus pro pacis signum auream Deiparae iconem osculabatur a digniore Canonico advectam, et una tres Clerici Diaconorum veste induti pacis osculum praebebant Senatoribus, Dynastis, atque Magistratibus.

Extra Metropolitanam Ecclesiam Magister Caeremoniarum Proregi ad spersorium, porrigebat, ministrabat, uti Caeremoniale Episcorum faciendum praecipit cum Legatis, qui rei divinae interfuturi, Ecclesiam ingrediuntur. In Ecclesia palatina Cantor, vel R. M. Judex pluviali amictus Evangelii Codicem ad Proregem osculo libandum deferebat: in reliquis Ecclesiis id praestitum a Subdiacono, qui sacro ministrabat. Idemque Subdiaconus iconem portabat, a Prorege pro signo pacis, osculo contingendam. In Ecclesia tantum Cathedrali sacras functiones coram Proregibus ipsius Ecclesiae Praefecti Caeremoniarum moderati sunt: in aliis vero Ecclesiis ad Praefectos Caeremoniarum palatinos id munus nec sine summa ratione pertinuit. Nam Princeps ubivis sacro insigni pompa adest, Cappellae suae Ministros pro jure adhibet, cavetque hoc pacto, ne se debitis honorum significationibus quorumcumque sacras caeremonias temperantium defraudet ignavia.

§. III.

Quo ordine liturgia palatina hoc postremo tempore praesentibus Regibus persoluta fuerit.

Liturgiam palatinam Regum absentia jacentem erexere pietati erga Deum, et Coelites addictissimi Reges, regiique Principes, quos aliquandiu inter nos constitisse, Siculi fasti commemorant. Sed numquam alias sacrarum rerum apparatu, pompa et nitore, ea sic efflornit, excelluitque, uti postremis hisce temporibus, quibus Augustissimi Reges Ferdinandus III. et Maria Carolina Conjux ac tota regia familia Regnum, et hanc Metropolim Urbem diuturna sua praesentia condecorarunt. Adhuc sane dum haec scribimus, Principes Regni haeredes cum regia sua prole Panormi degunt: sed deest nobis inclyta Regina cujus importunissimum funus lacrymati sumus, abest etiam paucis ab hinc mensibus Rex Clementissimus, cujus maxima est erga divinum cultum Religio. Itaque operae pretium erit liturgiam, ejusque ordinem describere, prout praesentibus Regibus absolvi consuevit. Res enim digna est, quae litterarum monumentis commendetur.

Nullo regio apparatu, et e pulpito data opera extructo, divinis pala-

tinae Capellae officiis adesse soliti fuerunt Reges cum tota regia familia, praesertim in magnis sollemniis quae Capellano majore sacris operante antiquo ex instituto celebrantur (*Dipl.* XI.). Tempore autem Quadragesimae pro obeundis spiritualibus D. Ignatii exercitiis, in tabernaculo sericis velis obducto consistebant, strato pedibus tapete, appositoque ad genua flectenda aulaeis tecto scabello. Prope adstabant Proceres ac Matronae aulico ministerio per vices addictae, reliquis in Ecclesia confuse assidentibus, in locis tamen e regio conspectu submotis: nam aliter eis standum fuisset.

Feria V. in Coena Domini pientissima Regina et regii Principes qua mares, qua foeminae, Confessario ipsius Reginae super maximam palatinae Capellae aram facienti aderant, et sacratissimam ab eo sumebant Eucharistiam. Sacrum assistentibus Caeremoniarum Magistris, Clericisque cereos detinentibus accensos peragebatur. Solemni verò Missae praeter Reges, et Regios Principes in pulpito manentes, Cubicularii Regis unius modi amicti habitu intererant. Ex his antiquiores Baldachini hastas, et parvam umbellam gestantes, caeteri, et qui subibant Ephebi Aulae cum facibus ardentibus, digestique in ordinem Sanctissimum Christi Corpus comitabantur ad monumentum.

Sacris expletis officiis Canonici, et Clerici cum Capellano majore in amplissimam regiae domus aulam conscendebant, ubi ad ea Evangelii verba, *Et cum accepisset linteum, praecinxit se*, operam porrigentibus Principe Regni haerede, ac Magnatibus Aulae, linteo Rex praecinctus duodecim Pauperum pedes lavabat, et abstergebat. Post Lotionem sacer textus a Presbytero assistente osculandus Regi adferebatur, et a Diacono Rex Regina, et regii Principes thure colebantur. Eadem die animi excelsi, et magnifici Regina, cui opem ferebant ornatissimae filiae, Matronae Aulicae, ac famulae a Cubiculo, totidem egenarum puellarum pedes eluebat. Hae primum assidebant mensae, quae lautissimis ferculis instruebatur, mox ferculis in sportas illatis removebatur. Tum cantato per Diaconum Evangelio, persolutisque sacris caeremoniis, omnes a Regina complexae ac deosculatae, cum sua quaeque sporta, et nummato lucello ad collum appenso discedebant.

Pomeridiano ejusdem diei tempore Augustissimi Reges cum tota Regia familia, insigni pompa, et comitatu septem Palatio viciniores Ecclesias visitabant, adorandi causa Christi corpus in sepulchro conditum. Et in regio comitatu aderat Magnus Capellanus, vel palatinus Cantor, ut ad fores Ecclesiarum, Cathedrali tantum excepta, lustralem aquam Regibus, regiisque Principibus exhiberet. Non enim Panormitanae Ecclesiae, quae nullis a Feria V. majoris hebdomadae usque ad Sabbatum ejusmodi honorem defert, morigeratur Palatina Capella, praesertim cum talis ritus ex earum rerum genere sit, quae liberas habent observationes, et pro temporum, locorumque adjunctis variantur.

In Parasceve supplicatio ad transferendum e monumento ad altare Christi corpus instituta, pari atque pridie solemnitate agebatur. Hora I. post solis occasum in Capellam Reges, regiique Principes descendebant, et eo, quem diximus, modo considentes, Concioni, quae de Christi Domini morte fiebat, aures dabant. Ibi in die Paschatis Confessarii sui missam Rex audiebat, deque eodem sacrificio Corpus Dominicum participabat.

In festo Corporis Domini Rex cum filio Regni herede ad Mansionis Ecclesiam magna sese pompa conferebat. Solio uterque insidentes, ita tamen, ut umbella solum Regem sub se haberet, rei divinae vacabant quam Ill. et Rev. Dom. D. Gabriel M. Gravina Magnus Constantinianae Societatis

Digitized by Google

Prior faciebat. Nempe ejusmodi Ecclesia Teutonicorum olim propria, jamdiu in Equestris Constantiniani ordinis jura concesserat. Jamvero in Missa Evangelium, et pacis instrumentum a Capellano majore advecta osculo tantum Rex excipiebat. Finita missa celeberrimam supplicationem palatino, et praetoriano utrinque milite stipatus Rex prosequebatur e Templo mansionis usque ad Metropolitanam Ecclesiam. Regi a laeva adhaerebat filius, et ambo medii ibant ex antiquo, qui jam obsolevit, more, inter primum Regni Dynastam, et Pan. Civitatis Praetorem. Proxime a tergo incedebant Magnates Aulae, Supremus Regiae domus Praefectus, Supremus regii Stabuli Praefectus, Dux praetorianorum Militum, Supremus Cosmeta regius vulgo dictus (*il Somigliero di S. M.*) et Panormitani Patres conscripti: praeeuntibus, et cum Capitulo Cathedralis Ecclesiae gradientibus regiis Cubiculariis aurea clave donatis, quorum, qui inter S. Januarii Equites adlecti erant, ordinis insignia praeferebant.

Non modo palatinum S. Petri Sacellum frequentare solebant rebus sacris addictissimi Reges, et regii Principes, verum etiam Cathedralem Ecclesiam sive ad Quadragesimales Conciones summa cum Populi aedificatione auscultandas, sive ad gratias pro obtentis beneficiis Deo agendas, itemque Regularium Ecclesias eo die, quem sacrum celebrant sui ordinis fundatori. Tum pro festo inventionis Corporis D. Rosaliae in Templo Cathedrali, et pro festo Conceptionis B. M. Virginis in Ecclesia D. Francisci, Rex magna pompa, et apparatu solemnem audiebat liturgiam.

Solium Regis in Ecclesia Cathedrali, ubi thronus regius defixus est a Cornu Evangelii, septem gradibus sublime a pavimento excitabatur, aulaeis undique tectum, nec non postergali, et baldachino multo fulgentibus auro exornatum. Magnifico ibi subsellio Rex considebat, strato pedibus tapete, appositoque genuflexorio ad sinixtram versus altare. Pone Regem adstabant Supremus regiae domus Praefectus, et Dux Praetorianorum Militum, itemque ad ostium parvi Cubiculi Solio haerentis regius Ornator, quem vocant *Tapezziero maggiore di S. M.* In plano ubi Solium adsurgebat, stabat Regni Protonotarius, ut signis Regem admonitum faceret, quando in liturgia ei standum esset, aut in genua provolvendum.

A dextro Solii latere scamno assidebant primarii regni Dynastae: sex quoque aderant spectabiles famuli. vulgo dicti (*Mozzi d' officio*) parati ad porrigendos cereos accensos octo Adolescentibus, qui aulicos inter Ephebos ministrabant, et sacrae liturgiae usibus inserviebant. Ex adverso Solii pulpitum erigebatur sericis textilibus interius, exteriusque contectum, et aureis distinctum parergis, ubi Regina, et regiae sobolis Principes tam mares, quam foeminae decentissime considebant. Inter pulpitum, et Altare in faldstorio cum postergali sedebat Pan. Archiepiscopus, qui tamen ex ordine coelestem hostiam non ipse immolabat, sed operanti Pontificum more intererat. Prope pulpitum a sinistra illius parte Civitatis Magister Justitiarius conscriptique Patres, quem locum obtinere solent, occupabant.

Chorus, ubi hastati Milites Praetoriani in acie instructi non omnibus patebat. Scilicet destinatus erat Legatis Principum, Ducibus Exercitus, Praefectis Classis, Proceribus, et Matronis Aulae, itemque iis, qui Regis sunt a supremo Consilio, quique sunt a Secretis Imperii negotiis, Ostiariis Regis discrimen, et aulicum ordinem custodientibus. Extra chorum sed intra cancellos admittebantur Supremi Magistratus, Inferiores ordinum Duces, et Nobiles aliquo titulo insignes. In media navi Ecclesiae spatiosum efformabatur pro Rege ambulacrum, Palatino Milite utrinque vallatum. Ante Ecclesiam Pa-

latina etiam cohors in acie disposita Regi advenienti militare impendebat obsequium, quod omnis generis belliorum instrumentorum musicus concentus exaggerabat.

Rege praesente hi peculiares ritus in liturgia observabantur. Ad Templi januam Panormitanus Archiepiscopus adspersorium sistendo aquam benedictam Regi, Reginae regiisque Principibus administrabat. Soli Regi introitus, et confessio per Diaconum recitabantur. Locum Evangelii ab Rege osculandum Praefectus Caeremoniarum velo abstergebat. Thure Diaconus thuribulum ter ductans colebat primo Regem stantem, et pileatum, secundo Reginam, inde regios Principes sigillatim bis ducto thuribulo. Divinam victimam ante altare Rex adorabat genibus innixus, atque inter primum Regni Dynastam, et Pan. Civitatis Praetorem, qui mos, ut indicavi superius exolevit. Pacis denique signum a Praefecto Caeremoniarum pariter depurgatum tantum Regi afferebatur, ejus osculo excipiendum.

In Ecclesia D. Francisci Solium Regis, et Pulpitum Regiae familiae, pari ratione apparabantur, eademque rerum, et loci erat compositio. Ad fores Ecclesiae Capellanus major, suppetias ei ferentibus duobus Palatinae Capellae Canonicis, ac duobus Caeremoniarum Pro-Magistris Lustralem aquam regibus et omnibus regiae familiae Principibus offerebat. Tum secundus Caeremoniarum Pro-Magister festina opera celebrantem et rei Sacrae Administros urgebat, ut in Sacello B. M. Virginis sine labe conceptae praesto essent. Ibi Reges et regii Principes super tapete ac pulvinaribus ante mensulam stragulo coopertam in genua procumbebant omnes, et alta voce lectam pro tuenda usque ad effusionem sanguinis immaculata Deiparae conceptione voti formulam Rex propria manu subsignabat, et Evangelium a Capellano majore advectum osculabatur. Hac peracta functione Rex pergebat ad solium, regina et regia soboles ad Pulpitum, Capellanus major, eique assistentes Canonici ad laevum Solii latus: Sacri Ministri, et celebrans pluviali deposito palla indutus, comitantibus Caeremoniarum Pro-Magistris, ac praecedentibus sex Aulae Regiae Ephebis, ad altare progrediebantur.

Post confessionem more solito cum Rege factam, et Evangelii Codicem, quem Capellanus major gerebat, ab eodem Rege osculatum, panegyricum de Laudibus Immaculatae Conceptionis sermonem doctus aliquis e Franciscana familia Orator in suggesto recitabat. Ter ducto thuribulo Diaconus thure inhalabat Regem, Reginam, et Regios Principes, sed hunc honorem regiis Principibus confuse adhibebat. Pacis quoque signum a Capellano majore ad Regem adferebatur.

Tandem et in Templo maximo, et in Ecclesia D. Francisci institutae solemnitati finem dabat eucharistica benedictio. Coeterum eisdem quoque ritibus absolvitur sacra liturgia, praesente insigni pompa Sereniss. Principe Regni haerede, qui Siciliam Augustissimi Patris nomine adhuc moderatur.

Digitized by Google

CAPUT II.

De coronatione Regum Siciliae.

§. I.

Agitur de coronatione Rogerii primi post pulsos Saracenos Regis Siciliae.

Enarrato liturgiae palatinae ordine, ad insigniores aulicas caeremonias gradum facimus, quae sacrum ministerium involvunt, initio ducto a Regum coronatione, utpote quae est omnium praestantissima.

Primus e Northmannis Principibus Regis Siciliae titulum sibi asseruit Rogerius Comitis filius, eamque ob causam sacro Ecclesiae ritu ab Episcopis ungi, et coronari voluit. Id in Chronico quodam MS. S. Stephani de Bosco in Calabria, quod in Chronol. Reg. Sicil. refert Pirrus, ita describitur. *Ditionem habente Rogerio Apuliae, Calabriae, et Siciliae, Sergium Ducem Neapolis in bello vicit, obtinuitque etiam Principatum Capuae, et nihil faciens Ducalem titulum, consilio. et sententia Satraporum, et Magistratus, Regis titulo nuncupari voluit, ad cujus actus celebritatem quamplures fuerunt acciti Archiepiscopi, et Episcopi, varii Comites, et Milites, cum quibus etiam Magister Radulphus a Crucifixo, Eremi Magister voluit tantae interesse solemnitati, et decurrente anno MCXXIX. Indict. VIII. Kal. Maii discessit una simul cum Episcopo Melitensi, et Squillacino, et in navigatione ob tempus, et pluviam multa passi sunt incommoda, tamdem ad Civitatem Messanae appulerunt, ubi ab illius Civitatis Episcopo mira cum charitate recepti fuerunt: post tertium quoque diem iter habuerunt Panormum versus, ubi invenerunt apparatus quamplures occasione tantae solemnitatis, et idibus Maii constituta die pro Rogerii coronatione, ipse comparuit suo in Palatio indutus regali vestimento auro contexto, Capite cooperto parvo serico bireto, catena aurea ad collum, multiplici gemmarum textura variata, et equo residens ad majorem Ecclesiam, magna Praelatorum, et Procerum simul equitantium cohorte ductus fuit, ubi a Clero summo cum honore receptus est. Erat quippe Templum pretiosissimo, ac nitidissimo apparatu excultum: ita ut intuentium oculos summa admiratione afficiebat, ibique tantus diversarum Nationum concursus fuit, ut vix ad Ecclesiam pateret aditus. Factis aliquibus caeremoniis a Praelatis, demum Beneventanus, Capuanus, Salernitanus, et Panormitanus Regale diadema variis contextum gemmis Rogerii caput ornarunt, eique sceptrum tradiderunt, et Regis titulo ab omnibus fuit acclamatus, et Hymno dicto pro gratiarum actione, omni genere Musicorum, tubis, citaris, et symphoniis (ipsis, et Rege equitantibus) associatus fuit per Urbem, et ad Regiam ductus.* Enumerantur deinde Episcopi, et Magnates, qui rei sacrae interfuerunt.

Cum autem huic Rogerii Coronationi obsisteret Innocentius II. Pontifex, ea causa fuit Rogerio adhaerendi Anacleto Pseudopontifici, a quo regia dignitas illi confirmata est diplomate, quod exhibent Baronius, et Pirrus in Chron. Reg. Sicil. ad annum 1130 facta Regi potestate, *ut per manus Archiepiscoporum terrae tuae, quos volueris, tu et tui haeredes in Reges inungamini, et in statutis temporibus coronemini.* Unde rursum Rogerius in Metropolitana pan. Ecclesia eodem anno 1130. Regni Coronam accepit

a Cardinali Comite Anacleti Legato. De hac Rogerii inauguratione agit Alexander Abbas Telesinus lib. II. de gestis Rogerii, aitque ipso die Nativitatis Dominicae peractam, inque Palatii apparatu, et Conviviorum splendore pompam fuisse incredibilem. Cui consentit Chronicon Falconis Beneventani his verbis: *Anno igitur ipso praedictus Anacletus Cardinalem suum, Comitem nomine, ad Ducem illum direxit, quem die Nativitatis Domini in Civitate Palermitana in Regem coronavit; Princeps vero Robertus Capuanus coronam in Capite ejus posuit.*

Tandem vero. Innocentius a Rogerio, contra quem arma moverat, acie victus, summaque Religione exceptus, cum eo in gratiam rediit, ratamque habuit regiam illius dignitatem, uti patet ex Innocentii diplomate anni 1139 apud Pirrum loc. cit. Ibi cum dixisset Pontifex, Rogerium a Praedecessore suo Honorio magna complexum fuisse benevolentia, subdit: *Nos ergo ejus vestigiis inhaerentes, et de potentia tua ad decorem, et utilitatem S. Ecclesiae Dei spem, atque fiduciam obtinentes, Regnum Siciliae, quod utique (prout in antiquis refertur historiis) regnum fuisse non dubium est, tibi ab eodem antecessore nostro concessum, cum integritate honoris regii, et dignitate Regibus pertinente, Excellentiae tuae concedimus, et Apostolica auctoritate firmamus. Ducatum quoque Apuliae tibi ab eodem collatum, et insuper Principatum Capuanum integre nihilominus nostri favoris robore communimus, tibique concedimus.*

Jamvero ex iis Pontificis litteris perspicuum, qua potissimum causa Regiam sibi dignitatem consciverit Rogerius, quod nempe priscis temporibus Reges habuerit haec Insula suos, et hoc cum veritate congruere, Scriptores Siculi pluribus argumentis ostendunt. Eamdem causam Rogerio tribuendae Regiae dignitatis, indicat quoque Abbas Telesinus lib. II. ita scribens, *Nam si Regni solium in eadem quondam Civitate (panormitana) ad regendum tantum Siciliam certum est extitisse, et nunc ad ipsum per longum tempus defecisse videtur; valde dignum, et justum, ut in Capite Rogerii diademate posito, Regnum ipsum non solum ibi modo restituatur, sed in caeteras etiam Regiones, quibus dominari cernitur, dilatari debeat.*

Quibus ex verbis clare patet, regium titulum a Rogerio assumptum, quo etiam subsequentes Reges Northmanni, Svevique insigniti fuerunt, ad Siciliam pertinuisse, quae antiquitus Regnum extiterat, et in cujus Metropoli Urbe ungendi, et Coronandi fuerunt Reges Siciliae. At non videtur denegandum, e Sicilia simul ac transmarinis Regionibus, quae Rogerio suberant, et ab Innocentio II. Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae appellantur, solidum Regnum fuisse conflatum. Non enim Apulia Regnum dicebatur, neque Reges vocabantur utriusque Siciliae. Sed Reges Siciliae, Ducatus Apuliae, Principatus Capuae. Et hujus solidi Regni Metropolis constituta Panormus: ea enim totius Regni Sedes, vel Metropolis dicitur (ut verbis utar S. Antonini *in Summ. Confess. P. II. C. 3.*) *non in qua Rex moratur, sed in qua Rex ungitur, et coronatur.*

Scio Rogerium pluries sese Regem Siciliae, et Apuliae inscripsisse. Sed non inde (nisi fallor), valida emergit ratio, quae probet, Apuliam Regnum fuisse a Siciliae Regno distinctum. Et sane hic titulus a Rogerio usurpari potuit, ut ostenderet se Regem non modo Siciliae, verum etiam illarum ditionum, quas in proximo Continenti obtinebat. Deinde primis illis regiae dignitatis temporibus, non satis fortasse constabat, quo se potius titulo Rogerius insigniret. Re tamen melius expensa, quod regius titulus ad Siciliam referebatur, Ducatusque interim Apuliae, ac Prin-

Digitized by Google

cipatus Capuae Siculo adjecti fuerant imperio, consultius visum est, Regis Siciliae, Ducatus Apuliae, ac Principatus Capuae titulum assumi, qui proinde Rogerio posterisque Regibus fuit perpetuo consuetus, et usitatus. Ad haec accedit, Suevos Reges plerumque Siciliae tantum Reges se adpellasse, cujus rei diplometa XV. XVI. XVIII. XXI. XXV. XXVI. XXVII. et XXVIII. exemplo esse possunt. Non autem Siciliae tantum Reges se adpellare debuissent, quandoquidem a Sicilia diversum Regnum esset Apulia. Et quamvis Clemens IV. utramque Siciliam ultra, et citra pharum distinxerit, cum imperium Carolo Andegavensi demandavit, tamen ipse Carolus Regum, quibus im Regno succedebat, titulum sibi proprium fecit, Regem Siciliae Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae sese inscribens. Unicum ergo Regnum, quod postea in duo abiit, et Panormus, in qua ungendi, et coronandi Reges, unica totius Regni Metropolis.

§. II.

De Regibus, qui Panormi post Rogerium solemniter uncti et inauguroti fuerunt.

Dixi Reges Siciliae Panormi ungendos, et coronandos fuisse. In ipsa enim primae Coronationis celebritate Fazello teste Dec. I. lib. VIII. statuit Rogerius, *ut Siciliae Reges, ejusque Italiae partis, quoe eo tempore Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae, et nondum Regni titulum habebat, Principes Panormi, et non alibi more Christianorum eo loci regio titulo investirentur, ut ex ejus diplomate dato Ponormi anno salutis* 1129 *die* 18 *Majl constat*. Quod vero decrevit Rogerius, alii Siciliae Reges ratum habuerunt, invioleteque observarunt. Mamfredus Rex in privilegio anni 1258 quod inter bullas privilegia, et instrumenta pan. metrop. Ecclesiae refert Mongitorius, ait de eadem Ecclesia: *Ibidem Divi Reges Sicilioe, et Imperatores Progenitores nostri honoris excellentis insignia in vita consueverunt recipere*. Fridericus III. in litteris ad Pan. Senatum anno 1374 datis, quas in Not. Eccl. Mess. exhibet Pirrus, haec habet: *Urbe nostra felici Panormi, cui jus, et antiquitas tribuerunt, Reges Siciliae sibi coronandos*. Et Martinus I. in privil. quod inter pan. Urbis privilegia a Michaele del vio collecta habetur, decrevit: *Placet regiis Majestotibus, quod coronotio Regalium fiat in Urbe Ponormi, prout fieri debet, et hactenus fuit consuetum*.

Sane Guillemus I. quem Rogerius Pater adhuc vivens sibi Regni socium adjunxerat, anno 1154 die festo Paschatis ad Hugone Archiepiscopo panormitano, et Guillelmus II. hujus filius anno 1166 a Romualdo Guarna electo Panormitano uncti fuere. Memorat hanc Guillelmi II. unctionem, simulque exprimit illius viri Petrus Blesensis in Epist. X. ad Gualterium Capellanum Regis scribens: *Doleo, quod inter primitias dominationis suae, et initia unctionis regiae hoc praesumit: virtus equidem consecrationis ab hujusmodi violentiis eum utinam temperasset: magna enim est hujus efficacia Sacramenti, nam de Davide, postquam a Samuele unctus est, Scriptura testotur, quod directus est Spiritu Domini a die illa, et in reliquum. Saul quoque die illo, qua olei lenticula a Samuele perfusus est, mutatus est in virum olterum, et insiliente in eum Spiritu Domini, cum accessisset ad cuneum Prophetarum, cum eis prophetare coepit*.

Qui successere Reges Tancredus anno 1190. Rogerius II. vel simul cum Petre Tancredo, vel anno 1192 et Guillemus III. alter Tancredi filius an-

no 1194 in Ecclesia panormitana more Majorum regium diadema, et sacram unctionem acceperunt. Pariter Suevi Reges Northmannorum Regum Successores: Siquidem Henricus Imperator anno 1195 a Bartholomaeo Antiocheno Antistite panormitano, Fridericus Imperator anno 1198. Henricus ejus filius anno 1212 et Mamfredus anno 1258 a Rainaldo Aquaviva Episcopo Agrigentino, assistentibus Episcopis Monregalensi, Tarentino, et Salernitano, aliisque in Pan. Ecclesia inuncti leguntur.

Idem dicendum de Aragoniis Siciliae Regibus, qui pulsis Andegavensibus imperarunt. Nam Petrus I. anno 1282, Jacobus Petri filius anno 1286. Fridericus II. alter Petri I. filius anno 1296, Petrus II. Friderici II. filius anno 1321. Ludovicus Petri II. filius anno 1342, Fridericus III. Ludovici frater anno 1374, et Martinus I. anno 1398 in Ecclesia panormitana a Pan. utplurimum Archiepiscopis, nisi ant abessent, aut sedes ipsa vacaret, sacro oleo inuncti, at coronati fuerunt, uti constat ex Fazello de Rebus Siculis, Pirro in Chronol. Reg. Sicil. Baronio de Majestate pan. et Amato de Principe Templo panormitano. Diu a Martino I. ob Regum absentiam intermissa fuerat prisca in Templo panormitano Reges ungendi, et coronandi sollemnitas. Sed anno 1713. Victorius Amedeus Dux Sabaudiae, cui ex inito inter Europae Principes Foedere Regnum Siciliae concessum fuerat, ibidem a Josepho Gasch Archiepiscopo sacram unctionem, regiumque diadema suscepit. Et anno 1735 Carolus Borbonius Hispaniarum Infans, in quem post bellum ad recuperanda Neapolis, et Siciliae Regna, summa celeritate, parique virtute confectum, regnandi jura transtulerat, Panormi in Ecclesia Cathedrali more majorum a Josepho Basile Archiepiscopo unctus, coronatusque est Rex Siciliae.

Siculis non modo Regibus, sed etiam Reginis usitata fuit unctio. Ita Joannam Reginam Henrici Anglorum Regis filiam, et Guilielmi II. Conjugem in palatina S. Petri Capella coronatam, et desponsatam fuisse anno 1177 scribit Pirrus. Imperatrix Constantia Northmanna una cum Imperatore Henrico VI. ejus Viro, et Constantia Sueva, Manfredi filia una cum Conjuge Petro Rege Aragoniae, in Pan. Ecclesia coronam acceperunt. Itidem Antonia Baucia Neapolitana uxor Friderici III. Regis Siciliae anno 1375 et Regina Maria Aragonia Uxor Martini I. anno 1398 et Regina Anna Borbonia conjux Victorii Amedei Ducis Subaudiae, postea Sardiniae Regis.

§. III.

De insignibus, quae olim in solemni inauguratione accipiebant Reges Siciliae.

Non sunt hoc loco praetermittenda insignia, quibus olim in sua solemni inauguratione ornabantur Siculi Reges, quaeque praeter Coronam, et Virgam, fuere Annulus, Dalmatica, atque Sandalia. Et sane Episcopalia haec ornamenta Rogerio Regi concessit Lucius II. Rom. Pontifex, uti constat ex Epistola quadam a Romanis ad Conradum Imperatorem scripta, et ab Ottone Frisingensi relata lib. I. C. 27 et 28 in qua ajunt, Lucium Pontificem ob operam a Rogerio egregie navatam contra Arnaldum Brixiensem, qui pristinam Senatus Romani dignitatem restituere conabatur, concessisse Rogerio illa ornamenta. *Concordiam autem*, inquiunt, inter Siculum, et Papam, *hujusmodi* esse accepimus. *Papa concessit Siculo Virgam, et Annulum, et Dalmaticam, et Mitram, atque Sandalia, et ne ullum mittat in terram*

suam Legatum, nisi quem Siculus petierit, et Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento vestro, et Romani Imperii. Hanc epistolam refert quoque Sigonius, etsi concessionem illam non Lucio II. sed Eugenio III. anno 1145 adscribat. Neque id mirum, neque novum debet videri.

Nam priscis temporibus, uti notat doctissimus Thomasinus P. I. lib. II. C. 52 Romani Antistites non semel aliqua Sacerdotalia indumenta laicis Principibus communicarunt. Et in antiquis ordinibus ad benedicendum Regem editis a Martene, Reges amicti observantur Sandaliis, Tunica, atque Dalmatica. Eisdem insignibus potiori jure donandi erant Siculi Reges apostolicae Sedis legatione aucti, ut qui Pontificis vices in Regno gerebant, pontificio quoque ornatu eminerent. Testis est Amatus de Principe Templo lib. X. C. I. regiam vestem ex auro, et optimo serico contextam, sive pretiosa lana, quam vulgo *Pinolam* appellant, qua Rex Rogerius utebatur, oblongam, et ad modum Dalmaticae elaboratam, a Cephaleditanis in Ecclesia asservari. Tum Inveges lib. III. hist. pan., profert numisma, quod Guillelmum Regem exhibet corona quatuor radiis distincta redimitum, Virga, Dalmatica, et Sandaliis indutum. Et nos etiam testari possumus, cum occasione reaedificandi pan. Cathedrale templum, reclusa fuerunt Regia sepulchra, ibidem existentia vidisse, atque observasse prae caeteris Rogerii I. ac Friderici II. Imperatoris corpora hisce sacris, et Episcopalibus ornamentis cooperta, nec non Guillelmi I. Cadaver eisdem intectum vestibus, conspectum fuisse, incendii causa, quod nobilissimum Monregalense Templum lacrymabili clade affecit. Mos quippe fuit, cum iisdem insignibus, quae in solemni coronatione accipiebant, Reges sepelire.

Adnotandum porro est cum Amato ibidem, Northmannos Principes plurima Aulae officia, regia ornamenta, ac titulos a Graecis Imperatoribus hausisse. Nam juxta Graecorum mores habuere in Aula Logothetas, Spatharios, aliosque hujusmodi officiales, et Crucem in Castris sibi praeferre faciebant; tum dicebantur Augusti, Imperatores, a Deo coronati, Divini, Divi, Sacri, et more Imperatorum rubeis litteris subscribebant nomina sua, et diplomata bullis aureis obsignabant. Atqui, ut de reliquis vestibus taceam, Dalmatica fuit usitatum Imperatorum vestimentum: unde de Carolo M. legitur, dono dedisse Episcopis Anglis, quasdam e suis Dalmaticis, ut animam Hadriani Papae precibus Deo commendarent: et Annales Fuldenses perhibent Carolum Calvum indutum Dalmatica, atque desuper accinctum baltheo, uti refert Thomasinus P. I. lib. II. Cap. 49 de Beneficiis. Ostendit ibi vir doctissimus, olim Dalmaticas fuisse vestes Civiles Laicorum, Imperatores Orientis communicasse imperialia indumenta Christianis Regibus, et Episcopis, Reges, Magnatesque perstitisse in vestibus oblongis diutius, sed eas tandem dimisisse, nec jam a tempore Caroli VI. Francorum Regis, eis usos esse, nisi in solemnioribus caeremoniis.

Neque omittendum est, Siculos Reges in coronatione sua accinctos fuisse ense Constantini, in palatina Capella S. Petri asservato. Referunt enim Pirrus in Chronologia Regum Siciliae, et Surita Annal. Arag. lib. X. C. 69. Martinum II. Aragoniae Regem, patremque Martini I. coronandum Caesaraugustae die 13. Aprilis anno 1399 in Siciliam ablegasse Pontium Thaustum, Archidiaconum Caesaraugustanum, ut a filio ensem Imperatoris Constantini in Sacello regio S. Petri Panormi diu asservatum, pro suae coronationis solemnitate exposceret.

§. IV.

Ordo coronationis Caroli III. Borbonii Regis Siciliae.

Quo ordine uncti et coronati fuerint antiqui Reges Siciliae nullibi distincte expositum et enarratum invenio. Coronationem Victorii Amedei Subaudiae Ducis Petrus Vitala in Libro, cui titulus *la Maestà in trono*: et Caroli III. Borbonii Petrus la Placa in opere, cui titulum fecit *la Reggia in trionfo* accuratissime descripserunt. Satis erit postremae hujus Coronationis, quae die tertia Julii anno 1735. in nostra Metropolitana Ecclesia peracta est, prout ab eodem la Placa describitur, ordinem, et ritus oratione persequi.

Stata die cuncta ad solemnissimam caeremoniam disposita, et praeparata fuerunt. Templum insigniter adornatum, Solium sublime cum Scabello, et sede erectum, prope solium lignea aedicula aulaeis tecta pro vestiario Regis, mensa quoque, ubi apposita supellex sacro ministerio inserviens, tum reliqua ad eam solemnitatem persolvendam magnificentissime comparata. Antistes sacris operaturus, Pontificalibus indutus ornamentis, praeeuntibus Clericis, Canonicis, et Episcopis Regni, e Sacrario ad aram principem accessit, in cujus extremo gradu, sedens in faldistorio, sedentibus etiam cunctis, Regem expectavit. Is e Palatio regia pompa ad Ecclesiam venit, cujus in ostio a Magno Eleemosynario adspersus est aqua benedicta, tum recta pergit ad Vestiarium, ubi solemnes vestes induit. Praeibant duo Procares Aulici a Regis cubiculo, aurea clave donati, quorum unus Coronam, et Sceptrum, alter Ensem, et Baltheum gerebat: eaque regalia insignia Antistiti tradita, Archidiaconus super altare collocavit. Regi solemnibus vestibus amicto sine ense, et pileo, Vestiario exeunti obviam occurrere Episcopi Catanensis, et Syracusanus, a quibus ductus est ad Altare, et salutato Antistite, ab eo benedictionem accepit. Adhaeserunt Regi in tota Coronationis officio Comes S. Stephani Magnus Aulae Magister, Barthnlomaeus Corsinus Magnus Praefectus Regii Stabuli, Laelius Carafa Dux Praetorianorum Militum, Joseph Beza Magnus Eleemosynarius, et nonnulli Regis Cubicularii.

Ubi Rex altari se sistit, Episcopus Cataneosis petiit ab Antistite, ut Regem inungeret; mox ibidem sedente Rege medio inter duos Episcopos, lecta est ab Antistite admonitio, qae habetur in Pontificali Romano. Ea finita Rex adgeniculatus Archiepiscopo, fidei professionem emisit, deinde allato Evangeliorum Codice, juravit his verbis: *Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Evangelia:* et osculatus est Antistitis manum. Is vero stans orationem recitavit, quam et alii Episcopi submissa voce suo quisque loco recitarunt. Postea altare ascendit, ibique sedens in faldistorio, Regis brachium et Scapulas, quas unus e regiis Cubiculariis denudaverat, inunxit, adstantibus caeteris Episcopis.

His peractis uterque ad ultimum Altaris gradum descendit, et Antistes quidem Sacrum inchoavit, Rex a cornu Evangelii flexis genibus audivit a Magno Eleemosynario, qui prope aderat, introitum, et Confessionem. Tum ad vestiarium se contulit, ubi postquam M. Eleemosynarius scapulas, et brachium detersit, induit regalem chlamidem, Solium conscendit, et genua submittens audivit a M. Eleemosynario reliquum Missae officium ad Epistolam usque. In Solio post Regis Sedem Dux praetorianae cohortis, et prope Regem Praefectus domus regiae steterunt. Dicta Epistola, illum praefati duo Episcopi ad Altare duxerunt, ubi accepto ab Antistite ense, quem quater vibravit, imposita est regio Capiti Corona, et Sceptrum ei traditur,

Sed Praefectus Regii Stabuli ensem a latere Regis sublatum, ac denudatum toto Coronationis officio ante Regem tulit. Carolum itaque regiis insignibus ornatum, plaudentibus universis, Archiepiscopus Panormitanus, et Episcopus Catanensis, quos caeteri sequebantur Episcopi, ad solium deduxerunt. Eoque in throno collocato, Pan. Antistes praecinit hymnum *Te Deum*, quem dum Musici decantabant, Antistes stetit ad dextram Regis, et hymno finito preces et orationem prout in Pontificali Romano dixit. Mox rediit ad Altare reliquam liturgiae partem celebraturus.

Decantato Evangelio Cantor Metropolitanae Ecclesiae Evangeliorum librum attulit ad Regem, Eleemosynarius serico velo locum abstersit, quem Rex erat osculo libaturus. Ad offertorium Rex altare adiit, ubi provolutus in genua, porrigente Eleemosynario oblationem, obtulit Antistiti sacris operanti, osculata ejus manu, duodecim aurea numismata, quibus insculpta erat Regis ipsius effigies, et nummos aureos prope ducentos. Ad solium reversus, stans accepit thus a Diacono, qui et thure coluit adstantes Episcopos.

Dominici Corporis instante consecratione, Arionensium Dux Regis Cubicularius ademit regalia insignia, Coronam, et Sceptrum. Pacis signum Episcopus Catanensis exhibuit Regi deosculandum, quod prius Eleemosynarius deterserat. Ad communionem accedens ad altare, sequente Regem Cubiculario, qui regalia ferebat insignia, primo eucharisticum panem sumpsit, mox vinum non consecratum, seu purificationem, sed in eodem Calice, in quo Antistes Christi sanguinem hauserat. Duo regis Cubicularii mappulam coram eo tenuerunt, alter verò aliam ad os abstergendum praebuit. Tandem reversus ad Solium, rursus regalia induit ornamenta, et sacro absoluto, Episcopali benedictione donatus, iisdem ornamentis indutus rediit ad regias Aedes, cui jam anno 1789 e terris sublato, ut a Deo O. M. aeternam felicitatem, sic ejus filio Ferdinando Regi nostro Clementissimo diuturnum imperium faustum fortunatumque votis publicis adprecamur.

CAPUT II.

De baptismo Regum Siculorum.

§. I.

De loco et ritu baptismi Regum Siculorum, de celebratis in Sicilia sub Proregibus Regum natalitiis, deque regiis Infantibus hoc postremo tempore Panormi editis, et solemniter baptizatis.

Vix ulla supersunt monumenta, unde pateat, quo loco, quove ritu Siculis Regibus Regenerationis Sacramentum administrari consueverit. Scio Joannem Paternonium Panormitanum Antistitem in suis pro Ecclesia panormitana allegationibus, inter alia Ecclesiae suae privilegia recensere, quod ibi Siculi Reges salutari lavacro afficerentur. Scio P. Amato lib. 13 C. I. etiam scribere, non in Capella Palatina, sed in Ecclesia Metropolitana Regios Infantes ablutos, nullum a Pirro in Notitia illius Capellae indicari Regem, qui illic baptismum acceperit, eosdemque in Cathedrali Templo baptizatos fuisse, antiqua prodere instrumenta. Nec me latet, in Chronico cujusdam Anonymi apud Martene Tom. III. Anecd. legi: *Anno a nativitate Domini 1303. Indic. 3. die Mercurii in mane diei 14 videlicet Mensis Julii apud Parcum novum de tenimento Panormi natus fuit ex dicta Domina Aeliono-*

Digitized by Google

ra uxore dicti Domini Regis Friderici II. eidem Regi Friderico filius nomine Domp. Petrus, qui Domp. Petrus die Sabbati 24 ejusdem baptizatus fuit in fonte majoris Panormitanae Ecclesiae.

Statuo nihilominus, in Ecclesia Palatina non semel regiis Pueris collatum baptisma, verisimillimum esse; tum quia mos fuit Regibus in aedibus suis baptismum recipere, quod et illis privilegium concessit Viennense Concilium, tum quia parochialis erat sacri Palatii Capella, eademque multiplici nomine praestantissima. Accedit Siculos Reges, in privilegiis Panormitanae Ecclesiae collatis, quae a Pirro, Fazello, Baronio de Majestate Panormitana, et Amato exhibentur, non aliam suae erga illam munificentiae causam innuere, quam quod ibi regio diademate ornati fuerint, ibi quoque Praedecessorum Regum cadavera tumulata jacerent. Eccur vero siluissent, se ibidem regeneratos esse, Christianaeque Religioni nomen dedisse?

Minime verò dubium, quin magnis olim solemnibus consueverit Sicilia Regum suorum concelebrare baptismos. Et quamvis postea Regibus longe absentibus, regiis Infantibus cunas non daret, nihilo tamen minus apud nos eorum natalitia celebrata sunt splendidissimo apparatu, choreis, ludis publicis, spectaculis, concessa pluribus reis venia, festivis ignibus, personatorum turbis, pugnis ludicris, et nobilissima indicta equitatione, qua Reguli, Optimates, et ipsi Proreges per celebriores Urbis vias equites incedebant. Uti sub Proregibus, Duce feriae anno 1605 in natali Philippi IV. Regis, Comite Ayalae anno 1662 in natali Caroli II. illius Regis filii, Marchione Balbases anno 1707 in natali Ferdinandi primogeniti Philippi V. Principe Corsini anno 1740 in natali Elisabethae primogenitae Caroli III. Regis, et M. Amaliae Reginae, Duce de la Viefuille anno 1747 in natali Philippi, qui paterni imperii erat haeres, ex multorum Auctorum Chronicis M. S. factum enarrat Joannes Evangelista de Blasio Abbas Casinensis in historia Viceregum Siciliae. Qui idem Tom. III. P. II. pag. 94 et Seq. agens de Prorege Marchione Folliani, sumtuosissima festa describit regio aere Panormi edita ob natalitium M. Theresiae primogenitae filiae Ferdinandi III. Regis nostri Augustissimi, et inclytae recordationis Mariae Carolinae Reginae, praeter ea, quae ab ipso Prorege, a Senatu, et a Magistro Civitatis Justitiario toti Populo exhibita publicam laetitiam conduplicarunt.

Hac postrema aetate quae nobis ob Regum et regiae familiae praesentiam faustissima contigit, plures Panormi orti sunt regii Principes. Natus est enim e Francisco Borbonio Juventutis Principe, et Maria Clementina Austrica prima ejus uxore anno 1800 Ferdinandus post Patrem Regni haeres, quem postea immiti morte Neapoli consumptum, luximus. In lucem deinde prodierunt ex eodem Serenissimo Principe et Maria Elisabetha Borbonia secunda Conjuge anne 1806 infans Maria Christina, et anno 1808 M. Amalia, quae anno sequenti vita decessit, anno 1810 Ferdinandus, aeque ut primus ad imperium natus, anno 1811 Carolus, anno 1813 Leopoldus, et anno 1814 M. Antonia. Porro ex nuptiis inter Seren. D. Philippum Ludovicum Ducem Aurelianensem, et M. Amaliam Regis filiam initis ortum habuere Panormi anno 1810 Ferdinandus Philippus Ludovicus, anno 1812 Maria Theresia Carolina, et anno 1813 Maria Christina Carolina. Haec regia soboles ab Heracleensi Archiepiscopo D. Alphonso Airoldi Capellano majore in Palatino S. Petri Sacello, prout facto opus fuit, vel baptizata est, vel sacris tantum caeremoniis initiata, et eo quidem solemni ordine, qui primum adhibitus fuit pro Ferdinando, quem e Francisci Borbonii, et M. Clementinae Austriacae conjugio editum diximus. Ut ergo quo regio ap-

paratu, et pompa regiis Infantibus baptismus administrari hactenus consuevit, intelligatur, solemnem ipsius Ferdinandi baptismum describere, sat erit.

§. II.

De ordine, quo Ser. Princeps Ferdinandus Panormi baptizatus, et in templo praesentatus est anno 1800.

Prolusere insigni caeremoniae regia rescripta, quibus praeter Aulae Proceres, ac Matronas, legatos Principum, Supremosque belli Duces, Senatum Panormitanum, Optimates Regni Curatores, Tribunalium Praesides, Consultorem, et generalem Exercitus Auditorem de solemni baptismo celebrando, ut eidem magna cum pompa interessent, Rex voluit admonitos. Regiae quoque ad Exc. et Rev. Dom. D. Alphonsum Airoldi redditae sunt litterae, quibus de sacro ministerio per eum utpote Antistitem Aulae, peragendo certior fiebat. Pariterque significatum est Panormitanae Sedis in interregno Vicario, ut Ecclesiarum Urbis statim ab accepto partus nuncio, aera campana pulsari faceret, et Arcium Praefectis, ut bellica tormenta in laetitiae signum explodenda curarent.

Post meridiem diei 26 Augusti anni 1800 hora decima et sesqui computus Hispanici, Ser. Princeps felicissimo partu masculum enixa est infantem, cujus nativitatem subito festivus campanarum sonitus toti Populo indicavit. Sed Regis imperio data fuit opera, ut omnes, qui juxta emanatum ordinem praesto esse debebant, in subsequentem diem ad horam decimam, et sesqui ante meridiem evocarentur. Interim prorogatis in crastinum solemnibus caeremoniis Ill. et Rev. D. Philippus Scalora, qui erat Seren. Principibus a Confessionibus, natum puerum in ipso Matris cubiculo, aqua e baptismali fonte regiae Capellae desumpta privato ritu abluit.

Postridie cum omnia ad tantam celebritatem agendam essent parata, stata hora praeeuntibus sex regiis Adolescentibus cereos gestantibus accensos, primaria famula a Cubiculo media inter binos Regiae domus Praefectos, totidemque Aulicas Matronas, sacris imbuendum puerum per interiores scalas in Aedem detulit Palatinam. Rege ac Juventutis Principe (Regina cum caeteris filiis longe in Germania degebat) in pulpito decentissime ornato assidentibus, Canonicis, et Clericis loco stantibus, et frequentissimo Procerum, Magnatumque, et omnis generis illustrium Personarum conventu Ecclesiam celebrante, amplissimus Aulae Antistes D. Alphonsus Airoldi Pontificum more, sacro juxta Ecclesiae ritum functus est officio. Susceptorem vero Augustissimi Austriaci Imperatoris nomine egit Comes Franciscus de Esterathis, Sacrae Imperialis, et Apostolicae Majestatis intimus Cubicularius, Consiliarus, et Legatus apud Regem utriusque Siciliae.

Solemnem caeremoniam, jubente M. S. triduum consecutum est amplifico Fastu insigne. Atque altero die decantato in Ecclesia Palatina gratiarum actionis hymno, Aulici Magnatesque, ut moris est in magnis celebritatibus, ad Regem consalutandum admissi sunt. Nec silendum, explosa interdiu muralia tormenta, et vespere plane illustretas ardentium luminum copia celebriores Urbis vias, totius tridui publicam exeggerasse laetitiam.

Hunc solemnem Ser. Principis Ferdinandi baptismum excepit solemnior et insignior ipsius in Templo Palatino ad aram principem oblatio. Unde hujus quoque ordinem enarrare, operae pretium duximus, praesertim quod ea ce-

Digitized by Google

lebritas numquam alias iterata, et repetita fuerit.

Da peragenda sacra caerimonia, ut ei splendide assisterent, Rege sic disponente, certiores facti sunt omnes, qui solemni baptismo interfuerant. Porro ante porticum regiae Capellae ubi natus Infans Deo erat dedicandus, fabrili opere constructum sericisque textilibus ornatum est salutatorium, quod binos remotiores a Templi janua, ejusdem porticus arcus, et his, qui ex adverso respondent, obserabat, interpositamque pergulam claudebat.

Mane diei 20 Septembris 1800 quae dies celebritati praestituta fuerat, Aulici, Magnatesque in amplissimam regii Palatii pinacothecam, Senatus Panormitanus, xiiviri Regni Curatores, et Magistratus in Capellam regiam, inque salutatorium Inferiores ordinum Duces convenere. Interim ab Aula vulgo dicta *degli Alabardieri*, usque ad Templi vestibulum, a dextra, et laeva majorum scalarum sacri Palatii, constituti in acie Palatini Milites, in ipsa vero Capella hastati Milites Praetoriani.

Data hora XI. ante meridiem Rex et Princeps Regni haeres per scalam interiorem exscensu facto, ibidem in pulpito celebrandae solemnitati privatim adfuturi constiterunt. Serenissima verò Princeps magno et insigni comitatu ad regiam Capellam progressa est. Praecedebant Ostiarius Regis major, qui Regis sunt a cubiculo aurea clave donati, tam ii, qui honoris causa sunt in illum coetum adscripti, quos vocant. *Gentiluomini di entrata*, quam ii, qui operam suam in Aula praestant, vulgo dicti *Gentiluomini di esercizio*, praetereaque Duces, et Praefecti Exercitus. Hos excipiebat primaria e famulis a cubiculo reginm gestans infantem media inter duos honorarios regios Cubicularios, illamque subsequebatur regiae prolis Alumna. Tum ipsa incedebat Religiosissima Princeps, cui a latere adhaerebant regiae domus Praefectus, et Aulica Matrona, a tergo Comes Franciscus de Esterathls. Denique agmen claudebant reliquae Aulae Matronae pariformi habitu indutae, prout fieri solet in diebus, quae aulico fastu celebrantur.

Urbi ad salutatorium ventum est, e famulae brachiis filium in ulnas excepit suas Serenissima Mater, et candelam in manu habens accensam ad ostium Ecclesiae, coram regio Capellano majore Pontificalibus vestibus amicto in genua procubuit. Consuetis precibus ab Antistite recitatis, eo praeeunte ad principem aram perrexit. Inde post alias preces, et benedictiones digressa ante chorum ornatissimam super basellam collocato infantulo flexis genibus missam audivit. Qua finita benedictionem cum Sacramento receperunt universi, et eo, quo processerant ordine, ad regias aedes regressi sunt.

Coronidem addidit sacrae solemnitati instituta ejus dei vespere in gratiam nobilium Matronarum aulica salutatio. Quam propter causam in amplissimam regii Palatii Pinacothecam admissae, Regis et Principum ibi praesentium manus deosculatae sunt.

§. V.

De titulis, quibus Regum nostrorum filii donabantur.

Nunc titulos subnectere juvat, quibus donati fuere Regum nostrorum filii, ut moris est apud omnes fere Europae Principes. Northmannos, qui regio titulo in Sicilia, et transmarinis Regionibus, quae hodie amplissimum Neapolis Regnum componunt, imperarunt, jam diximus, se inscripsisse Reges Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae: quod priscis tempo-

ribus Sicilia suos habuisset Reges, Apulia vero diceretur Ducatus, et Capue insignem quoque Principatum constitueret. Diximus etiam Northmannos Principes consueto titulo sese Reges Siciliae Ducatus Apuliee, et Principatus Capuae nuncupasse. Quamobrem illorum filii hisce titulis Ducatus, et Principetus insigniti fuere, ita ut natu maximus haeres Regni, diceretur Dux Apuliae, secundo loco netus Princeps Capuae, tertius vero Princeps Tarenti. Ita Rogerius Filius natu maximus Rogerii I. Regis ex Albira Uxore, constitutus est enno 1130 Dux Apuliae, tum anno 1139 Dux Neapolis, quod haec amplissima Civitas a Rogerio subacta esset, et e vivis excessisset Sergius Dux Napolitenorum, ut in Chronico Falconis legitur. Amphusium elterum Rogerii I. Regis filium nominarunt Capuae Principem, et extincto Rogerio fratre, Ducem Neapolis. Guillelmum ejusdem Rogerii I. filium, qui deinde praemortuis fratribus in imperio successit, dixere Principem Capuee. Preeter hos alii memorantur a Scriptoribus filii Rogerii Regis, Tancredus nempe Princeps Barensis, et Henricus Princeps Tarenti.

Pariter Rogerio primogenito Guillelmi I. Regis ex Uxore Mergerita filia Regis Navarrae, datus est anno 1154 titulus Ducis Apuliae, quem novennem puerum commota seditione Siculi Regem acclamarunt, sed gravi pedis ictu ab irato Patre percussus paulo post obiit. Henricus alter Guillelmi I. filius adpellatus est Princeps Capuae, et a nonnullis Scriptoribus memoratur Robertus ejusdem Regis filius, et ipse Principatus Capuani titulo donatus. Guillelmo II. Regi nulli fuerunt liberi ex Joanna Uxore filia Henrici Regis Anglorum: quemobrem illi in Imperio successit Tancredus Comes Licii filius nothus Rogerii Ducis Apuliee primogeniti filii Rogerii I. Regis. Tancredi Regis Siciliae filius natu maximus Rogerius ex Uxore Sybilia Richardi Comitis Acerrarum filia, dictus est quoque Dux Apuliee. Sed huic e vivis sublato, entequam Regno potiretur, successit Guillelmus hujus nominis III. quem nulla ducta Uxore, Henricus Imperator Regno oculis, et virilibus privavit immeni crudelitate. Patet itaque sub Northmennis Regibus, primogenito filio heeredi Regni collatum fuisse titulum Ducis Apuliae, alisque regiis liberis titulos Principum Capuae, et Tarenti. Atque hujusmodi tituli adeo regiis filiis, nec ullis aliis convenire existimabantur, ut hoc preetextu Guillelmus I. Tarentino Principatu privaverit Simonem nothum filium Rogerii I. Regis, cui Parens Principatum illum ex testamento concesserat, quod nempe nonnisi legitimi Regum filii dicendi essent Duces Apuliae, vel Principes Capuae aut Principes Tarenti, nothis vero filiis nonnisi Comitis titulus deberetur, uti narrat Falcandus in Chronico. Et quidem tunc temporis, praeter regios liberos nulli dicebantur Principes, aut Duces, sed Comites, etsi regia stirpe vel cognatione eminerent.

Northmannis Regibus Suevi Imperatores successere. Henricus VI Fridericus II. Conradus, Manfredus, hique inscribebantur aut Reges Siciliee, aut Reges Siciliae Ducatus Apuliae et Principatus Capuae. Porro etiam Reges Hierusalem dicti sunt, quod Jole filia Joannis de Brenna Regis Hierusalem, et Uxor Friderici II. paterna in Hierosolymitanum imperium jura Viro communicasset, qui proinde Hierosolymam adiens, ibi anno 1229 die Paschatis unctus coronatusque est. At Suevorum Principum filii, nec Ducatus Apuliae, neque Principatus Capuae, aut Tarenti titulis ornati leguntur, excepto Mamfredo, cui Fridericus Pater Tarentinum contulit Principatum, quod illi simul essent Imperatores, Regesque Germaniae, aliisque titulis filios suos exornarent. Ita ex Friderici II. Imperatoris, Regisque Siciliae filiis, Henricus dictus est Rex Germaniae, Conradus dictus est Rex

Romenorum alter Henricus Rex Siciliae, et Mamfredus Princeps Tarenti: tum ex illius nothis Entius Rex Sardiniae, Fridericus Princeps Antiochiae, Henricus Rex Corsicae, Richardus Comes Civitae.

Mamfredum Suevorum Regum postremum Carolus Andegavensis et imperio, et vita privavit, cum a Clemente IV. donatus est imperio Siciliae, citra, et ultra pharum. Sed invisum infensumque Gallorum imperium Siculi anno 1282 ea excusserunt insigni Gallorum clade, quae Vesperarum Siciliensium nomine adpellata est, neque unquam vel Romanorum Pontificum censuris, vel Caroli, et Successorum Regum Andegavensium armis in horum potestatem, ditionemque redigi potuere. Itaque Siciliam ultra pharum Aragonii Reges administrarunt, qui tamen nec ipsi, nec eorum liberi dicti sunt Duces Apuliae vel Principes Capuae, bene vero sibi addiderunt titulos Ducis Athenarum, et Neopatriae. Ita Rogerius, Mamfredus, Guillelmus, Joannes filii Friderici II. Regis adpellati fuerunt Athenarum Duces, tum Duces Neopatriae, et Randacii. Et Fridericus III. filius Petri Regis, antequam imperio potiretur, vocabatur Dux Athenarum, et Neopatriae: et Martinus Rex se inscribebat Regem Siciliae Ducatuum Athenarum, et Neopatriae Ducem, uti legitur in Diplomate XC. et apud Pirrum in Chronologia Regum Siciliae. Equidem Fridericus II. anno 1302 et Fridericus III. anno 1363 Reges Siciliae ultra pharum, inito foedere cum Carolo II. et Joanna I. Neapolitanis Regibus convenere, ut non ipsi dicerentur Siciliae Reges, sed Trinacriae, Neapolitanis vero Regibus Andegavensibus haereret titulus Regis Siciliae. Sed Romanorum Pontificum opera extortis conditionibus minime steterunt nostri Aragonii Reges, qui proinde Siciliae Reges sese inscribere prosecuti sunt.

CAPUT III.

De nuptiis Regum Siciliae

§. *I.*

De antiquorum Siciliae Regum nuptiis, deque Conjugio Sereniss. Principum Mariae Christinae, et Mariae Amaliae.

Ex antiquissimo more Conjugia Regum benedici consueverunt in eorum Oratoriis Palatinis. Ita Joannes Patriarcha Constantinopolitanus ab Imperatore Mauritio rogatus, ejus benedixit nuptias in Palatio, uti testatur Theophilectus Simocata lib. I. Hist. Mauricianae: et Theophanes narrat, in domo Marinae Augustae celebretas fuisse nuptias Dementiae filiae Phocae Imperatoris cum Prisco Patritio. Idem Theophanes lib. IV. n. 25 testis est, in Oratorio Palatino Deiparae Pherl, a Michaele Imperatore constructo, saepe sanctificata fuisse Imperialia Conjugia.

Eumdem viguisse morem apud Siculos Reges, indicat Romualdus Guarna in rerum a Northmannis gestarum Chronico, ubi narrat Guillelmo II. Siciliae Regi desponsatem Joannam filiam Henrici Regis Anglorum in Capella Palatina Panormitana. *Convocatis autem*, ait, *Rex Guillelmus Proceribus Siciliae, et magna Populi multitudine, praenominatam filiam Regis Angliae in Capella sua desponsavit, et se, et eam gloriose coronari fecit, et sollemnes de illa nuptias celebravit.*

Non raro tamen in Ecclesia Metropolitana Regales nuptiae consecraban-

tur, quemadmodum de Blanca filia Caroli Regis Navarae desponsata Regi Martino I. Juniori constat ex monumento, quodam edito ab Amato de Princ. Templo lib. XIII. C. I. ubi: *Providus Notarius Urbanus de Simbaldinis testis juratus, et interrogatus dixit, quod cum Serenissima Regina Blanca bonae memoriae esset eques induta Regalibus, et solemnibus Indumentis ante januam Cortilis Hospitii magni regii, olim de Claromonte, causa eundi ad majorem Panormitanam Ecclesiam ad se desponsandam cum Serenissimo R. Martino felicis memoriae, olim Rege Sicilae, et ibidem convenissent, et essent nonnulli Nobiles tam felicis Urbis Panormi, quam Nobiles Civitatis Messanae, seu Ambaxiadores ipsius Civitatis, orta esset inter eos disceptatio, et altercatio magna, quis eorum ducere debebat curdonem habenarum equitaturae Dominae Reginae a parte dextera: insistebant enim Ambaxiadores Civitatis Messanae asserentes ad eos spectare partem dexteram: Officiales vero dictae Urbis repugnabant dicentes, ad eos dictam partem dexteram spectare ex eo quia repraesentabant universitatem dictae Urbis, tamquam Caput Regni Siciliae, et altercato per magnum spatium inter eos, fuit finaliter conclusum, et deliberatum per sacrum regium Concilium dicti D. Regis Martini, quod Officiales Universitatis dictae Urbis, quae est Caput Regni, deberent ire ex parte dextera, et dicti Nobiles Ambaxiadores Messanenses ex parte sinistra, et sic actum extitit.* Inde patet qua pompa Siculae Reginae ad nuptias ducerentur.

Regibus inde absentibus, a regalibus nuptiis benedicendis In Sicilia cessatum est. Nihilo tamen minus insignia festa illarum occasione agere Siculi non destiterunt. Petrus Ranzanus singulari opusculo festa descripsit, quae in nuptiis Ferdinandi II. cum Elisabetha Castellani Regni haerede, per sex continenter dies Panormi ut illis temporibus celebrata sunt. Ut enim refert laudatus Auctor, Aedium frontes textilibus ornatae erant sericis, viae Urbis stratae froudibus arboribusque recisis cum fructibus, quos tempus ferebat, in moenibus Urbis collocata identidem dolia, quae sero ad augendam illuminationem succendebantur; Palatiorum fenestrae ardentibus quoque facibus micabant, et praeter sollemnissimam Equitationem, qua Reguli, et Proceres mille ac ducenti cereos deferentes accensos per celebriores vias equites incedebant, quadringenti Juvenes magnificis vestibus induti, saltantes, et cantantes Urbe vagabantur. Vide Tom. IV Opusc. Sicul. in praef. ad Ranzanum de Auctore, ac primordiis felicis Urbis Panormi.

Posteriori aetate alia publicae gratulationis et obsequentis animi erga Regales Conjuges argumenta obtinuerunt. Ita in secundis nuptiis Philippi IV. cum filia Aug. Imperatoris Ferdinandi III. et Caroli II. cum M. Amalia Neburgensi, itemque in conjugio Caroli III. Borbonii cum M. Amalia de Saxonia Augusti III. Poloniae Regis filia, et Ferdinandi Regis nostri Invictissimi cum beatae memoriae Maria Carolina Austriaca plures statuti festivi dies, faces noctu ad laetitiam accensae, pugnae ludicrae, concursiones equitum, moles ligneae miri operis festivum evomentes ignem, Choreae actae in regio Palatio, scenica plura edita spectacula, et alia plurima ad jucunditatem simul et magnificentiam comparata, ut ex Auria, nec non Mongitorrii, et aliorum M. D. S. Diariis fidem habet.

Postremis hisce temporibus Augustissimi Regis praesentia pristina apud nos Saecula renovavit. Duo siquidem regalia Conjugia insigni pompa Panormi celebrata sunt, alterum videlicet inter Mariam Christinam Regis nostri filiam, et Carolum felicem de Subaudia Ducem Genevesem anno 1807, alterum Inter Mariam Amaliam Regis nostri pariter filiam, et Philippum Lu-

dovicum Ducem Aurelianensem anno 1809. Quamobrem de ritibus, qui in utroque observati fuerunt, agendum erit.

§. V.

Enarrat ordinem servatum in nuptiis Principis M. Christinae cum Carolo Felice de Subaudia Duce Genevensi, et Principis M. Amaliae cum Philippo Ludovico Borbonio Duce Aurelianensi.

Ante porticum regiae Capellae, ubi nuptiae Principis M. Christinae cum Genevensi Duce erant celebrandae, fabrili opera, extructo amplissimo Conclavi: separata a lateralibus media Ecclesiae navi per ligneum septum, quod a fronte Arae maximae, ubi fixus thronus regius, aditum in eamdem navem praebebat. Ipsa regia Capella insigni apparatu, et plurium candelarum pensilibus candelabris exornata. In ingressum Odei, seu Chori erecto Altari portatili: Solio Regum a cornu Evangelii prope chorum excitato: super pavimentum strato tapete, impositisque sellis, et pulvinaribus ad sedendum, et genua flectendum pro Sponso, et Sponsa, cuncta ad tantam solemnitatem peragendam erant in promptu.

Die 26 Aprilis 1807 hora fere sexta post meridiem Juventutis Princeps comitantibus regiae domus Praefecto, et vices suas agente Cubiculario, splendida rheda, cui sex equi alligati, advectus ad Palatium accessit Ducis Montisleonis, ubi Serenissimus Sponsus morabatur, cumque ad regias aedes deduxit hoc quidem ordine. Praeibant armati equites quatuor, famulus veredarius, quem nuncupant *il Postiglione*, ac tres pedites Cursores, quos *Lacchè* adpellant: alii duo Cursores a dextera, et laeva currus incedebant, ejusque Ostiolo proximus equitans equorum Magister vulgo dictus *il Cavallerizzo di Campo*. Subsequebantur armata equitum cohors, et alii duo vacui currus ad meram pompam, et magnificentiam.

Jam prima incipiebat vigilia noctis, cum Rex, et Regina, cujus lateri haerebat nuptura filia, et cuncta Soboles regia, in magna regiae domus Pinacotheca, ubi Aulici Magnatesque convenerant, advenientem Sponsum quam urbanissime susceperunt. Mox Rege jubente accensa sunt luminaria, unde totum interius exteriusque effulsit Palatium. Praesertim verò cereis ex utraque parte flagrantibus claruerunt Scalae majores, claruitque magna luminum copia ligneum conclave, regiumque Sacellum. Stata inde hora praecedentibus sex Ephebis cereos gestantibus accensos, Reges facto descensu cum Regalibus Sponsis, et Aulico comitatu, Ecclesiam prono genu salutati prius ab inferioribus ordinum Ductoribus, quibus conclave destinatum fuerat, ingressi sunt.

In Ecclesia suo quisque loco stetit. In solio consistebant Reges, in Tabulato pretiosis intecto aulaeis Princeps Regni heres, et regia familia, in Odeo Canonici, et Clerici, in imo pavimento a latere solii Legati Principum, et Optimates equestri ordini S. Januarii adscripti; ante aram et in conspectu Regum nupturi Principes. Certo hinc submoti spatio suberant Panormitanae Civitatis Patres conscripti Senatoria veste induti. A tergo Senatus adstabant Regis Cubicularii, Praefecti domus regiae, Matronae Aulae, ac supremi Duces Exercitus. Hos excipiebant Praesides, Consultor, fisci Patroni M. R. C. ac patrimonii, et Conservator. Ultimo tandem aderant hastati Praeteriani Milites in acie constituti.

Suum igitur locum tuentibus universis ad Regis nutum Heracleensis Ar-

chiepiscopus et Capellanus major Dom. D. Alphonsus Airoldi Pontificali amictus habitu, medius inter duos Canonicos, et ministrante utpote Parocho loci Cantore Palatino, sacram auspicatus est caeremoniam. Qua juxta Ecclesiae ritum absoluta decantatus est a Musicis Regiae Capellae gratiarum actionis hymnus, et ab eodem Antistite sumpto in manus augustissimo Eucharistiae Sacramento impertita benedictio. His peractis Rex, Regina, Conjuges, et regiae stirpis Principes post receptas in regia pinacotheca aulicas gratulationes, dum facibus accensis tota Urbs clarescebat, insigni pompa Theatrum adiere, quod cereorum undique ardescentium, et multa Nobilium, ac Matronarum auro gemmisque nitentium frequentia condecorabat. Sequenti die 7 Aprilis pari pompa et solemnitate celebrata est in Capella Palatina Missa pro Sponsis. Nam Regibus Solio insidentibus, et cunctis praecedentis seri ordinem servantibus, divinam immolavit victimam Antistes Aulae Capellanus major. Qui proinde super Conjuges ante se in genua provolutos consuetam recitavit orationem, eosdemque ad Missae finem adspersit aqua benedicta.

Eodem modo se res habuit in Conjugio Ser. Principis M. Amaliae cum Duce Aurelianensi celebrato die 25 Novembris anno 1809. Sed in cubiculo Regis tunc aegrotantis erecto altari portatili Sponsos matrimonii vinculo conjunxit Antistes Aulae, adstantibus ob loci angustiam ordinum Primoribus, caeteris autem in magna pinacotheca sese continentibus. Post initas vero nuptias Regina, Conjuges, et regia familia cum universo Aulicorum coetu in regiam Capellam eodem sero ad grates Deo persolvendas exscenderunt, ibique postridie Missae pro Sponsis interfuerunt.

Addere juvat in nuptiis M. Christinae ac Ducis Genevensis praeter aulicam pompam, triumque dierum vespertinam Urbis illuminationem, nulla edita fuisse spectacula. Non enim actae choreae, non festivi ignes explosi, non equitum concursiones institutae, ad nuptiarum exaugendam lautitiam. Quippe Clementissimae simul ac sapientissimae Reginae placuit, quod erat in fugacia festa erogandum, in publicum ac permanens Civitatis bonum convertere. Hinc plus quam centum ex infimo Populo grandibus Puellis, quae dote cassae erant, et illocabiles, congruam dotem attribuit, unde confestim non sine grata Populi totius admurmuratione totidem conciliata fuere matrimonia. Praeterea eisdem jam nuptis Puellis, earumque Maritis, et Matribus in oecho amplissimo regii Palatii mensam exquisitissimis cibis instructam exhiberi fecit, ad quam ipsa etiam Regina miro humanitatis, et Comitatis exemplo ministravit. Quid profecto tali spectaculo jucundius pariter ac magnificentius ad regales nuptias laetificandas edi potuisset?

CAPUT IV.

De ritu armandi Milites, creandique septem Regni Proceres, nec non conferendi equestres ordines apud Siculos Reges usitato.

§. *I.*

Agitur de ritu armandi Milites et septem creandi Proceres in Regno Siciliae.

Siculos Reges in more olim habuisse, militari cingulo donare in magnis sollemniis, ut in eorum coronatione, aut conjugio, vel ob insignem aliquam victoriam de hostibus partam, vel primo eorum in Civitatem aliquam ingres-

su, quosdam de se deque Regno optime meritos, passim referunt Sicularum rerum Scriptores. Ita Rogerium I. Neapolim ingressum cum Innocentio II. duos ibi menses festos egisse, et centum quinquaginta creasse Milites narrat Fazellus lib. I. rerum Sicularum. De eodem Rogerio scribit lib. IV. C. 5. Abbas Telesinus: *Ipse Rex Natalis Dominici subsequentis die adveniente duos liberos suos ad Militiam promovit, Rogerium scilicet Ducem, et Tancredum Barensem Principem, ad quorum videlicet laudem, et honorem quadraginta Equites cum eisdem ipsis militari cingulo decoravit*. Nam et Reges ipsi, et eorum filii, vel ab Episcopis, vel a Regibus militare accipiebant cingulum, uti multis constat exemplis apud eos, qui de hac re scripsere.

De Mamfredo Rege Spinellus in Diariis T. I. Script. Ital. Muratorii, refert: *Rex Momfredus ingressus solemni pompa Neapolim, creavit ibi triginta tres Equites, jussitque eos bono animo esse, eo quod volebat bonam concordiam cum Papa, et esse filius obediens Ecclesiae. Recordatus autem Archipresbyteri Caraccioli, qui fuerat paedagogus suus, quaesivit, quinam ex ejus familia superessent Neapoli. Intelligens porro duos superesse nepotes, accersitos ad se creavit Equites cum provisione unciarum quinquaginta*. Carolus Andegavensis referente Summontio lib. IV. initis anno 1272 secundis nuptiis, plures constituit Milites.

Testis est Bartholomaeus de Neocastro in hist. Sicil. C. 101. Jacobum Siciliae Regem quadringentos instituisse Milites in die Coronationis suae. De eo siquidem Rege loquens haec habet: *Infans in Civitate ipsa coronam Regni Siciliae . . . assumens, cum magnis tripudiis coronatur, et in tantae solemnitatis gaudiis* 400. *Siciliae Nobiles sub expensis novi Regis militaribus gladiis accinguntur*.

Qua de causa dabantur a Rege litterae, cujusmodi sunt Friderici Siciliae Regis datae Perello de Cisario Panormitano, quae leguntur in quodam antiquo Siciliae Chronico T. III. Anecd. Martene. *Satis decens, et honorabile fore decernitur, quod in solemnitatibus nuptiarum, quae inter inclytum Dominum Petrum II. Illustrem Regem Siciliae primogenitum nostrum, et inclytam Dominam Elizabeth filiam Illustris Regis Bohemiae in Civitate Messanae, in festo Nativitatis Domini proxime futuro sunt feliciter omnimode celebrandae, certi fideles nostri honoris, et nominis nostri, et dicti fili nostri avidi zelatores, et praecipue ad hoc apti, militari cingulo decorentur. Cumque tu vel filius tuus ad suscipiendum dictum Militiae cingulum aptus, idoneus, et sufficiens dignoscaris, nobis, et eidem nato nostro plurimum complacebis, si ad dicta solemnia decenter te, filium tuum praepares ad decorandum vel te, vel eum honore Militiae, ut expedierit, accessurum*.

Quo interim ritu creari Milites ab nostris Regibus consueverint, silent monumenta Siciliae. Illud pro certo assumi potest, non sine maxima id pompa, et celebritate peractum. Nam veterem ritum armandi Militem, exhibent nonnulli antiqui Ordines editi a Martene P. III. lib. II. C. 12. Et ibi Antistes benedicit ensem de Altari sumptum, eoque cingit Militem recitatis quibusdam precibus, is vero evaginatum ensem ter vibrat; tum acceptis ab Episcopo osculo pacis, et alepa, et vexillo, calcaria ei a Nobilibus viris imponuntur. Accedit eo, quod in creandis Militibus ordo solemnis a Neapolitanis Regibus adhibitus fuerit, uti patet ex Summontio in Hist. Neap. lib. III. et Tutino in libro *de' Seggi di Napoli*, qui illum ordinem fuse describunt. Nihil verò est magis verosimile, quam quod ab Aula Regum Siculorum in Aulam Regum Neapolitanorum ordo ille defluxerit. Constat enim in duo abeunte solido Regno Siciliae, Neapolitanum Regnum Siculi non so-

Digitized by Google

lum dignitates, et officia, verum etiam mores et ritus adoptasse, et hinc factum, ut ei citerioris Siciliae nomen adhaeserit.

Haud est ambigendum quin saepe haec caeremonia persoluta fuerit in Capella Regis, et coram Magno Capellano. Neque enim semper Reges in Principe Urbe, aut in Templo Principis Urbis maximo Milites creabant, sed saepe in Aula, saepissime in Castris congressuri cum hostibus, aut statim a parta victoria. Tum vero, et in Capella sua, at coram Magno suo Capellano cingulum militare conferebant. Ita Petrum IV. Aragoniae Regem in Capella Palatina Majoricensi nonnullos ad Militiam ordinasse anno 1343 scribit Surita Annal. Arag. P. II. lib. VII. C. 68. Et innumera sunt exempla eorum, etiam Principum, qui in Castris militari cingulo donati sunt.

Septem olim usque ad Philippi II. tempora, in Regno Siciliae praecipua fuere munera, totidem Magnatibus commissa, qui proinde post Regem primum locum occupabant. Horum primus dicebatur Magnus Comestabulus, eratque Imperator militum, et supremus Dux belli: secundus Magnus Justitiarius, cui suberant Magistratus omnes, qui in causis tum civilibus, tum criminalibus jus dicunt: tertius Magnus Ammiratus, seu Supremus classis, et rei maritimae Praefectus: quartus Magnus Camerarius, qui regios proventus curabat; quintus Magnus Protonotarius servandis Chartis regiis addictus: sextus Magnus Cancellarius, cui demandata erat custodia Regii Sigilli: septimus denique Magnus Senescalcus, seu Supremus domus regiae Praefectus. Hi septem Proceres in publicis regiisque caeremoniis assidebant una cum Rege purpureis induti vestibus, singulique habuere suae dignitatis insigne, uti M. Comestabulus ensem, Justitiarius vexillum, M. Ammiratus facem, M. Camerarius Coronam regiam, M. Protonotarius librum, M. Cancellarius doctoralem lauream, M. Senescalcus truncum unicornis animalis. Vide nostrum Villabianca in Tractatu *delli sette grandi Uffizj del Regno di Sicilia*.

Si quid vero est probabile, nihil est profecto magis, quam quod hi Proceres insigni ab nostris Regibus pompa crearentur. Cur ita putem ea est mihi ratio mos Regni Neapolitani, ubi septem quoque Proceres solemni caeremonia institutos fuisse, auctor est in suis M. S. Diariis a Josepho Carafa laudatis Brochartus, qui et ipsam explicat caeremoniam. Cum enim a solido Regno Siciliae Neapolitanum Regnum constituendi primaria septem officia, totidemque Optimatibus ea committendi exemplum sumpserit, nemo est quin intelligat, solemnem quoque ordinem, qui in iis adlegendis apud Neapolitanos Reges usurpatus fuit, a Siculorum Regum Aula esse repetendum. Vix itaque dubitandum est, solemni etiam ritu olim in Sicilia septem Regni Proceres fuisse inauguratos, tametsi qualis iste ritus fuerit, nesciamus, quippe cum nulla id monumenta nobis enarrent.

§. II.

De equestri ordine S. Januarii.

Equestres ordines, quorum Siculi, et Neapolitani Reges auctores fuerant, deficientibus ipsis, defecerant, et hominum memoria fere exciderant, cum Carolus Borbonius imperium utriusque Siciliae, non tam sibi ipse vindicavit, quam populorum votis, animis, benevolentia, plausu oblatum, exhibitumque accepit. Ne igitur quidquam reliquum faceret, quod ad Aulae suae splendorem, ad sui nominis gloriam, et ad eorum remunerationem, qui de Rege, deque Republica essent optime meriti, spectaret, in suis cum M.

Amalia Augusti III. Poloniae Regis, et Saxoniae Ducis filia nuptiis, amplissimum instituit die 3 Julii anno 1738 Equestrem ordinem sub D. Januarii Episcopi, et Martyris nomine, auspiciis, ac patrocinio.

Hujus equestris Sodalitii se suosque Successores, perpetuo jure supremos fore Moderatores dixit, cui qui adscripti essent, hisce adstringerentur officiis, defendendi nempe ac tuendi omni studio, totisque viribus Catholicam Religionem; Magno Magistro fidem, et obedientiam promittendi, ac servandi: si quae inter Sodales geruntur inimicitiae, his extinguendis omnem operam dandi: a singulari certamine sive offerendo, sive acceptendo abstinendi: immo ab aliis indicta pro viribus impediendi: singulis diebus Sanctum Missae sacrificium, et in Paschate, et die S. Januarii festo Eucharisticam communionem sumendi: vita functo e Confratribus aliquo, pro ejus expianda anima officium Defunctorum recitandi, et Eucharistiam recipiendi; tum unius solemnis Missae celebrationem imperandi: denique interveniendi rei divinae, quam in D. Januarii honorem Magnus Ordinis Magister decreverit.

Insignia vero quotidiana horum Sodalium statuit, fasciam rubeam undatam, ab humero dextro ad sinistrum latus protensam, e cujus parte extrema Crux pendet octagona, quatuor liliis ad quatuor angulos distincta, et in ipsius Crucis medio S. Januarii Episcopi imago Pontificalibus induti ornamentis, dextra manu benedicentis, sinistra habentis Evangeliorum librum, et mirifici sanguinis ampullas; aliam praeterea Crucem argenteam superiori vesti consutam cum hoc symbolo: *in Sanguine foedus*; quo significatur, arctissima, et religiosissima ea esse foedera, quae sanguine obsignantur. Insignia autem solemnia, praeter recensita, decrevit, Torquem aureum egregio opere laboratum, liliis et Pontificalibus insignibus contextum, Crucem etiam in extrema parte habentem, et pallium, sive talare vestimentum nobilissimum, coccineum, undatum, liliis aureis undique adspersum, aureo cingulo obstrictum, et anteriori parte complicatum.

Ubi quis a Rege ad hanc Societatem cooptatur, hujus rei conscius fit a Secretario ordinis, ad quem debet ille transmittere monumenta, quae sui generis ac prosapiae nobilitatem ostendant. Id vero a Rege examinandum committitur duobus ejusdem Societatis Sodalibus, iique re perpensa sententiam suam scripto tradunt a Secretario Ordinis Regi exhibendam. Porro nonnisi viri praeclarissimi vel genere, vel dignitate in eam Societatem admitti solent; Cardinales, Antistites, Magnates Aulici, belli Duces, Reguli amplissimi. Habet praeterea hoc Equestre Sodalitium quatur officiales, Cancellarium ex Antistitum numero seligendum, Secretarium, Thesaurarium, et Caeremoniarum Praefectum. Ad Cancellarium spectat sacris operari, ad Secretarium Acta, et diplomata ordinis custodire, ad Thesaurarium insignia ordinis asservare, denique Praefectus caeremoniarum quidquid ad ritus, et caeremonias spectat moderatur.

Porro ad hanc nobilissimam Societatem amplificandam Apostolicae Sedis non defuere privilegia. Nam Benedictus XIV. illam non modo ratam habuit, verum etiam quamplurimis auxit privilegiis, edita Constitutione, quae incipit *Romanae Ecclesiae benignitas*, pridie Kalendas Julii ann. 1741. Sed haec omnia enarrare privilegia, neque instituta causa postulat, neque plura, quam opus sit, persequi fert animus. Siquis ergo ea singillatim nosse cupit, laudatam verset constitutionem: nos enim post exposita ejusmodi Societatis initia, statuta, insignia, et officia, ad ritum pergimus, quo Sodales inaugurantur.

§. III.

De solemni inauguratione Equitum Ordinis S. Januarii.

In Capella Palatina solemni ritu ad hanc Societatem cooptantur ii, quos Rex eo honore statuit afficiendos. Ibi Rex Solio insidet, prope Regem sedent in scamno caeteri Sodales Ordinis, e regione vero quatuor officiales, Cancellarius, Magister Caeremoniarum, Thesaurarius, Secretarius. Cancellarius Sacrum facit, quo expleto induit Pontificalia ornamenta, et sedet in faldistorio ad Altare. Tum deposita mitra, benedicit equestria insignia, quae illi exhibentur in argenteo maxonomo, pallium, torquem, ensem, cingulum, hac formula: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. ℟. *Qui fecit coelum, et terram*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. *Oremus*. *Deus invictae virtutis Triumphator, et omnium rerum Creator, et Sanctificator, intende preces nostras, et hoc indumentum militaris gloriae Ministro tuo ferendum, ore tuo proprio benedicere, et sanctificare digneris, et hunc servum, qui ipso utetur, tibi devote, et laudabiliter servientem, gratum efficere digneris. Per Dominum nostrum. Amen.*

Ad haec Tyro medius inter duos Sodales, qui Sponsorum vices gerunt, salutato Altari, ad Regis Solium accedit, ibique genua submittit: tum è Sponsoribus unus Regem illius nomine deprecatur, ut Tyronem donet torquè et vestimento Societatis. Mox eumdem Rex sciscitatur, an armatus sit Miles. Qui si cingulo militari haud donatus fuerit, eo donatur a Rege hoc ritu. Praefectus regii stabuli porrigit Regi ensem, quo Rex ter percutit humeros Tyronis, isque ensem deosculatur; mox ense, et equestri cingulo a duobus Sponsoribus cingitur. Tum Praesul sacra faciens accedit ad Solium regium, ac stans, hasce preces inchoat. *Accipe gladium hunc in nomine Patris. et Filii, et Spiritus Sancti, et utaris eo ad defensionem Sanctae Ecclesiae Romanae, Regis nostri Supremi Principis, ac Magistri Ordinis, et tuam, ad confusionem inimicorum Crucis Christi, ac fidei Christianae, et quod maxime ferentis animi praestantia commendat, illo neminem injuste laedas, quod ipse praestare dignetur, qui cum Patre, et Spiritu Sancto, vivit, et regnat Deus in saecula saeculorum*. Tyrone respondente: *Amen*. Quod si militare cingulum jam induerit, haec caeremonia omittitur.

Tum Secretarius Ordinis Tyronem sciscitatur, an jurare velit, servaturum sese Ordinis statuta. Quo respondente, se paratissimum esse, defertur a duobus Sponsoribus ad Antistitem sedentem in faldistorio ad Altare. Ibi flexis genibus, dextra manu tangens Evangeliorum Codicem, legit hanc juramenti formulam: *Io N. N. prometto a Dio Trino et uno, alla sempre Vergine Maria, et a S. Gennaro d' esser fedele a sua Maestà, Capo Sovrano, e gran Maestro del Real Ordine di S. Gennaro, et a suoi Serenissimi Successori, che saranno Capi di quest' Ordine in tutte l' occasioni, nelle quali si tratterà dell' onore, vita, e stato di Sua Maestà, e dell' Ordine, facendo ciò, che dee fare un buon Cavaliero. Prometto di difendere sempre a tutto mio potere la Santa Fede Cattolica Romana, sollevare, e difendere le Vedove, i Pupilli, e le persone miserabili dall' oppressioni, con parole, e con opere, per quanto mi sarà permesso. Osserverò inviolabilmente tutte le leggi, e statuti dell' Ordine, così prescritte, come da prescriversi. Porterò di continuo la Croce dell' Ordine secondo dispongono li Statuti, e Vol Santissima Trinità, Beata Vergine, e S. Gennaro udite questi miei voti, siate presenti al proferire di questa mia ultima volontà.*

Digitized by Google

Praestito juramento, sistit se Regi Tyro, eumque adgeniculatum duo Sponsores induunt Ordinis vestimento, Rege quoque manum admovente. Interea Cancellarius ab Altari ad Regis solium pergens, haec pronuntiat verba: *Accipe hanc vestem immaculatam, quam securus perferas ante Tribunal Dei. Suscipe jugum Domini suave, et onus leve, quo non gravari, sed acquiescere animus debet*. Ad haec Thesaurarius Ordinis exhibet Regi torquem, et Cancellarius ad Tyronem versus: *Credisne, ait, hoc esse vivificae Crucis signum, in quo Christus pependit, ut sua morte nobis vitam conciliaret?* Cui Tyro: *Credo*. Rursus Praesul: *Et hoc*, inquit, *est Ordinis Beati Januarii signum, quod semper tuo pectori adhaereat*. His dictis Tyro Crucem deosculatur; eique Rex torquem imponit, Praesule dicente: *Accipe hoc signum in nomine Santissimae Trinitatis, B. Mariae Virginis, et S. Januarii Martyris in fidei, et Christiani nominis incrementum pectori tuo idea Crucem commendamus, ut tuo sit Cordi proximior, et dextera fortiter dimicans illam defendas, et defensam tota zelo reverearis*.

Osculata deinde Regis manu, eum Rex amplexu excipit, qui surgens, salutata Rege, singulos Sodales amplectitur, et suo se sistit loco. Interea Praesule praecinente, decantant Musici Psalmum, *Magnus Dominus, et laudabilis nimis*: quo finita sequuntur hae preces: ℣ *Salvum fac servum tuum*. ℟. *Deus meus sperantem in te*. ℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto*. ℟. *Et de Sion tuere eum*. ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo*. ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei*. ℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis*. ℟. *A facie inimici*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟ *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum Spiritu tuo Oremus. Deus, qui justificas impium, et non vis mortem peccatoris, Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut hunc famulum tuum de tua misericordia confidentem coelesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserves, ut tibi jugiter serviat, et nullis a te tentationibus separetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen*. Tandem rem sacram gratiarum actionis hymnus absolvit.

Si quis vero absens ab Aula in Societatem est cooptandus, id muneris a Rege alicui Antistiti, vel Socio Ordinis demandatur, isque alios designat, qui in ea caeremonia vices agant Cancellarii, et Secretarii Societatis, Sodales etiam, si qui illic sunt, monet ut ad novi Socii inaugurationem peragendam conveniant.

§. IV.

De solemnissima inauguratione Sodalium Ordinis S. Januarii acta Panormi in Templo maximo die 2 Maji ann. 1802.

Hoc loco haud praetereunda est solemnissima inauguratio Equitum S Januarii, quae Panormi acta est anno 1802. In primis Cathedrale Templum huic celebritati destinatum est, rege sic disponente, ut novum inusitatumque spectaculum Populo exhiberetur. Qua de causa demoliri oportuit ingentem contignationem, quae in abside ad fornicem picturis decorandum fuerat extructa. Chorus, submotis iis, unde septus est columellis, quadrato spatio auctus est, cui praeter latus illi contiguum, ligneis intercluso parietibus, e media Ecclesiae navi aditus patebat. Solium Regis consueto in loco erectum, sed adjectitio in ambitu a cornu Epistolae, regiae familiae specula constituta. Pariter extra ambitum a dextra, et sinistra navis tabulata duo constructa, ubi Nobiles viri, Matronaeque Civitatis consisterent.

Aequum sane fuisset Pan. Pontifici Dominico Pignatelli inter S. Januarii Equites adlecto, pro instituenda in Metropolitano Templo solemni inauguratione, Praeleti Cancellarii vices ab Rege committi. Sed quoniam gravi ex morbo tunc decumbebat, praevio consensu ipsius, Heracleensi Archiepiscopo, et Capellano majori Alphonso Airoldi equestri Societati pariter adscripto demandatae fuerunt. Unde Palatinae Capellae Canonicis, et Clericis concessum est, ut Antistiti suo ipsi operam darent, et praeterea ejusdem Capellae Caeremoniarum Praefectus Thesaurarii, ac Secretarii Ordinis partes obiret. Tantum datum est Canonicis, ac Beneficiariis Cathedralis Ecclesiae, ut advenientem Regem exciperent, eique aquam lustralem sisterent, et sua toto solemnitatis tempore scamna occuparent.

Rebus ita compositis mane diei 2 Maji, quae celebritati constituta fuerat, Rex e Palatio ad Pan. Antistitis aedes privatim se contulit, ubi depositis iis, quibus amictus erat vestibus, insignem ac solemnem Magni Magistri Ordinis habitum induit. Eo similiter confluxere initiandi Candidati videlicet Principes Belmontii, Catholicae, Charini, et Comes S. Marci, sina maniceta veste, quae quatuor lacinias ad genua pertingit, tum Optimates omnes, quos regius, et insignis Ordo recensebat, suis quisque insignibus exornati. Tum stata hora, cum undique jam Populus afflueret, et Regia Soboles, Proceres, Matronaeque Aulae, Legati exterarum Gentium, et cunctus Regni Siciliae Ordo major Templum celebrerent; praetoriano vellati milite, ac velariis e Solis protecti radiis, ax aedibus Episcopalibus, quae exiguo ab Ecclesia distant intervallo, hoc ordine processere universi. Praeibant regii famuli, sequebatur regiae domus Ostiarius major: post hunc agmine composito incedebant primo regiae Sodalitatis Alumni, mox, qui solemniter erant inaugurandi, subinde, qui solemni jam ritu erant initiati, pallium, torquem, cingulum, ensemque gestantes: tum Rex ipse supremi Moderatoris Ordinis dafereos insignia, cui Megnetes Aulae a tergo adhaerebant, et palatinae legionis instructae in acie cohortes militare praestabant obsequium.

Ad Templi januam extra Cantorem, et Canonicos, Proceres, Supremique belli Duces, ac Magistratus, Regi obviam iverunt. Qui postquam sacra se aqua lustravit, per latum ambulacrum palatino milite utrinque stipatum recta ad solium perrexit. Rege solio insidente, Sodalibus Ordinis scamno assidentibus, et cunctis loco suo stantibus, auspicata est celeberrima caeremonia, quae juxta ordinem superius enarratum maxima cum Civitatis totius exultatione ac laetitia persoluta est.

§. V.

De Equestri ordine D. Ferdinandi Panormi instituto anno 1800.

Cum invictissimus Rex noster Neapolitanum Regnum exactis Gallis anno 1800 recuperasset, tanti beneficii a Deo prece, ac deprecatione D. Ferdinandi Regis Castellae, cujus nomen gerit, accepti gratia, nec non ad eorum, qui undique perturbato publicae rei statu, eximium aliquod fidelitatis erga Majestatem suam specimen edidissent, merita compensanda, eodem anno sub die 1 Aprilis, Panormi degens equestrem sub nomine, auspiciis, et clientela D. Ferdinandi ordinem instituit. Hunc duplici Equitum classe conflari voluit, quarum una Equites magna Cruce insignitos, altera sic dictos *Commendatarios*, complecteretur. Atque ut Sodalitium suapte natura, et suae institutionis objecto praecelleas, maximum ab regia dignitate decus,

et ornamentum acciperet, se suosque Successores perpetuo jure Sodalitii Moderatores fore, dixit, ejusque insignibus non modo pectus suum, verum etiam generis sui stemma condecoravit.

Insignia Equitum, qui magna Cruca donentur, statuit fasciam caeruleam cum oris rubeis ab humero dextro in laevum incumbentem, e cujus extremitate Crux pendeat Borbonicis distincta liliis, et argenteis ambita radiis, inque ipsius Crucis medio D. Ferdinandi Regis imego diademete caput redimiti, ac paludamento induti, tum dextra manu evaginatum ensem, et sinixtra lauream habentis: aliam praeterea Crucem superiori vesti consutam cum hac epigraphe: *fidei*, *et merito*, qua significatur, non tam qui illustri loco nati sunt, quam qui rebus praeclare gestis nobilitatem suo nomini adsciverint, in hunc praestantissimum coetum esse referendos.

Praeterea novitiorum Equitum insignia decrevit superius integumentum ad genua pertingens, sagum, et subligacula ex attalico textili, et nodata cum vitta rubei coloris, tribusque graudibus plumis, media caerulea, et lateralibus rubeis, pileum aureo textu exornatum. Porro Equitum, qui solemni ritu Ordini nomen dederint, insignia praeter dicta indumenta, et pileum designavit Pallium sericum extus caaruleum, aureisque phrygii operis undique adspersum liliis, ac notis orbicularem figuram exprimentibus parumper caudatam, et in medio litteram F, intus vero album cum parvis muscis ex alpina mustela, idque duplici oblongo funiculo caeruleis, rubeis aureisque filis contexto circumligandum: zonam questrem, ex qua pendeat ensis, quaeque superiori vesti superaddita sit, pariter caeruleam in medio, et in oris rubeam, phrygioque opere elaboratam: torquem denique illi similem, quem gerunt Equites S. Januarii, sed pro Episcopali mitra coronam regiam, pro Cruce sceptrum, et pro C, Auctorem suum indigitante, literam F habentem, quee Augustissimi Regis nostri nomen indicet.

Qui inter Socios equestris Ordinis D. Ferdinandi adsciti fuerint, et magna Cruce insigniti, stemmati suo torquem et Crucem Ordinis debent innectere. At numerum vigintiquatuor, eo inclusis Regiae Familiae Principibus non excedunt. Iisdem porro legibus, atque statutis, quae in regio, et insigni Divi Januarii obtinent Sodalitio, adstricti sunt, eodemque, qui ibidem viget, ritu atque ordine admittuntur, et solemniter inaugurantur, et Regi supremum Ordinis Moderatorem agenti publicis in functionibus assistunt.

Quo ad egregia facinora praesertim belli Duces inflammentur, et acuantur, si strenue dimicando insignem de hostibus victoriam adepti sint, jure inter Equites magna Cruce donatos, eos Majestas sua declaravit adlectos, et pro adlectis esse existimandos, ne prompta et illustris remuneratio desit iis, qui de Rege, deque publica re optime meruerint. Praeterea ut Equitum magnam Crucem gerentium dignitas signis quoque splendesceret externis, illis Excellentiae titulum conferri jussit, constituitque, ut ipsis aeque ac regiis Cubiculariis, quos adpellant *di esercizio*, regias aedes ingredi liceret, et galero perinde atque Megnatibus Hispaniae, loco et tempora caput ante Regem obtegere, itemque Regi, ubicumque tamquam Magnus Ordinis Magister sacro adest, prope Solium assistere.

Ordinis Ministros esse Rex voluit Cancellarium, Magistrum caeremoniarum, Thesaurarium, et Secretarium. Hi debent Sacramenti religione interposita promittere, se officio suo rite perfuncturos. Gestant vero Crucem Ordinis collo appensam cum fasciola lata dimidio minus, quam est ea, qua, magnae Crucis Equites condecorantur. Defarunt etiam Crucem superiori ve-

Digitized by Google

sti phrygio opere consutam, non autem auream, ut qui magna Cruce insigniti sunt, sed argenteam.

Ad Commendatarios Equites quod spectat: horum numerus ab Regis pendet arbitratu, prout sese offerunt, qui tali honore, ac praemio digni sint. Eorum insigne Crux est cum fasciola Ordinis e collo propendens, ac stemmati adjungenda; Crux autem sive aurea, sive argentea superiori assuta integumento non item. De ritu, quo admittendi, vel solemniter inaugurandi sint, nihil huc usque ab Rege sancitum est; siquis interim a Majestatis suae manibus crucem collo appensam receperit, pro admisso putandus erit. Pariter non est hactenus expeditum, quam partem sic adsciti habituri sint, ubi Rex palam, et publice Magni Magistri Ordinis gerat functiones, et quo peculiari habitu interfuturi. Jamvero leges et statuta, quibus Commendatarii obstringuntur, eadem illa sunt, quae in ordine vigent S. Januarii.

Ne tamen huic etiam Classi Equitum S. Ferdinandi honorum deessent significationes Majestati suae placuit, ut quoties insigni pompa, et tamquam Magnus Magister Ordinis functionibus assistat, proximo Magnae crucis Equitibus loco assideant. Praeterea edixit M. S. ut eis, quando Civilibus, aut militaribus officiis addicti sunt, potiores in ordine sedendi, ac procedendi inter Collegas suos partes deferantur. Tum quoque de augendo pro meritorum ratione lautis pensionibus Commendatarios fidem suam interposuit.

Tandem a clementissimo Rege statutum fuit, Militum Tribunos, qui regiam arcem ab hostium obsidione sospitaverint, vel hostile propugnaculum vi ceperint, inter Equites Commendatarios jure, adscriptos, et pro adscriptis esse reputandos, cum assignatione pensionis, quae servitium aequare Majestati suae visa fuerit.

C A P U T IV.

De Sacramento fidelitatis Siciliae Regibus praestito ejusque sollemni ordine.

§. I.

De fidelitatis juramento Siculis Regibus exhiberi consueto.

A primis usque Siculae Monarchiae temporibus in usu fuisse, ut fidelitatis Sacramentum Regibus praeberetur, Ugonis Falcandi Hist. Sic. apud Caruslum Biblioth hist. Sic. Tom. I. f. 435 et 436 locus evincit. Post quam enim Guillelmi cognomento mali oppressiones enarrat, haec habet. *His ita gestis Comites, eorumque Socii Rogerium Ducem, majorem Regis filium, educentes de Palatio per totam Urbem equitare fecerunt, ostendentes eum omnibus, plebique dicentes, nequaquam alium deinceps Regem, aut Dominum appellarent, hunc eorum esse Dominum, hunc Avi sui Regis Rogerii auspicio regnaturum, hunc totius Populi consilio coronandum, nihilque aliud expectari, quam Matthaei Bonelli praesentiam, quem eo ipso die, vel crastino non dubium erat venturum. Gualterius quoque Cephaludensis Archidiaconus Praceptor Pueri* (parvuli nempe Guillelmi) *convocata virorum multitudine, Regis tyrannidem publice praedicabat, et jus jurandum exigebat ab omnibus, quod Simonis Principis* (erat is Guillelmi Regis frater) *parerent Imperio, multique monitis ejus persuasi jurabant, alii vero minus fideliter dicebant, eum agere, nam si Sacramentum ea tempestate cuipiam esset prae-*

standum, *Duci potius oportere jurari*, *quem Regem futurum esse sperabant*.

Illis ergo temporibus usitatus mos erat, jurandi Regibus fidelitatem: quod et illustre Guillelmi II. Regis confirmat exemplum. Is enim anno 1188 accitos Regni Dynastas ad jurandum compulit, siquando ipse sine prole decessisset, se pro legitimo Rege habituros Henricum VI. Imperatorem, ut qui Constantiam Rogerii Regis filiam Uxorem duxerat. Vide Richardum a S. Germano apud laudatum Carusium Tom. II. f. 546.

Sacramenti, quo Siculi Ordines Regibus devinciebantur, meminit non semel in suis Epistolis Innocentius III. Cum enim Constantia Imperatrix, et Regina Siciliae, Friderici pueri ejus filii, et Regni tutelam Innocentio Pontifici commendasset, cumque in Fridericum, Regnumque movisset arma Marcovaldus, Senescallus olim Henrici Imperatoris, et Marchiae Anconitanae Regulus, nihil sibi reliquum fecit Pontifex, ut infensissimum hostem repelleret, et Siculos in officio contineret. Quare datis litteris pluribus ad Episcopos, et Primores Siciliae, eos hortabatur, ut in fide, et obedientia persisterent, utque universi Ordines fidelitatis Sacramentum Regi praeberent, sanctissimeque servarent.

Porro haec Sacramenta Siculis Regibus persolvebantur, in illorum inauguratione, indictis Comitiis totius Regni, quae vulgo Parlamenta dicuntur, tum Reges ipsi juramento promittebant, servaturos se Regni privilegia, et consuetudines. Qui si a Regno Siciliae abessent, tunc alicui vices suas demandabant, qui indictis Regni Comitiis, haec sacramenta exprimeret. Ita sublato e vivis Martino II. Rege, cum anno 1412 ad Ferdinandum Regem Aragonum Caesaraugustae degentem pervenisset imperium, Siculi Ordines coram Regina Blanca ut illius Vicaria fidei Sacramentum protulerunt.

Exhibet hujus juramenti formulam ex MS. Codice Amatus de Princ. Templo Pan. C. 4. *Forma juramenti praestandi Regiae Majestati per Vassallos suos Regni Siciliae*, *ordinata per Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Panormitanum*. *Ego talis per me*, *Successores*, *et posteros meos promitto*, *et etiam puro corde*, *et sincera mente juro per Crucem Domini nostri Jesu Christi*, *et Sancta quatuor Evangelia*, *per me corporaliter tacta*, *quod semper*, *et perpetuo ero fidelis*, *et obediens*, *atque legalis Subditus*, *et Vassallus Illustrissimo ac Serenissimo Principi ac Domino meo*, *Domino Ferdinando Dei gratia Aragonum*, *et Siciliae Regi*, *ipsumque in verum meum Principem*, *Regem*, *ac Dominum habebo*, *tenebo*, *nec non faciam*, *et servabo ea omnia*, *et singula*, *quae bonus*, *legalis*, *et fidelis Subditus*, *et Vassallus suo Regi et Domino facere*, *servare et jurare debet juxta formam Constitutionum*, *et Capitulorum hujus Regni Siciliae*, *eaque omnia*, *et singula ut supra promitto*, *et juro in posse et manibus vestris etiam facio homagium ore*, *et manibus commendatum*. *Dominus Rex jurabit*, *et confirmabit*, *tenere*, *et observare privilegia*, *libertates*, *et consuetudines*, *et Capitula Baronum*, *Nobilium*, *prout*, *et secundum per Serenissimos Reges Siciliae*, *ac per praeteritos Illustrissimos Dominos Reges Martinum*, *et Martinum ultimo decessos*, *eisdem confirmata*, *jurata et rationabiliter fuerint observata*.

In hac Juramenti forma homagium dicitur ore, et manibus commendatum, quia Vassallus dum praestabat hominium, manus suas manibus Domini conjungebat, peractaque fidelitatis, et hominii praestatione, in fidei signum illum osculabatur, et hinc hujusmodi osculum dicebatur fidelitatis. Ita in Charta Jacobi Regis Aragonum anno 1231 apud Joannem Dametum in historia Regni Baleariel, legitur: *Ego Infans Domnus Petrus facio vobis homagium ore*, *et manibus*; et apud Marcam in hist. Bansharn. lib. 6.

Digitized by Google

C. I. legitur hominium *in osculo pacis, et veritatis*. Alia plurima hujus rei exampla congerit Cangius in Glossario, simulque notat, non omnes Vassallos, sed nobiles solos ad osculum admissos fuisse.

Jamvero Alphonsus Ferdinandi filius, quem Magnanimum adpellarunt, Joanni fratri vices suas in administranda Sicilia obeunti demandavit, ut consuetum fidei Sacramentum exciperet. Sed anno 1420 Siciliam adiens die 12 Februarii, convecatis Episcopis, et Oratoribus Civitatum, ab eis de more expressit fidei Sacramentum; tum et ipse custodiendis juribus Regni Sacramento se adstrinxit. Carolus V. Caesar victor ex Africa in Siciliam veniens anno 1535 in Metropolitana Ecclesia Panormitana juravit, se consuetudines et jura Regni servaturum. Idem praestitum legitur a Successoribus Regibus. Est itaque Siciliae mos, ut Reges servandis moribus, et juribus Regni, subditi vero servandae illis fidelitati, mutuo sacramento vicissim obstringantur.

§. II.

De ritu, quo fidelitatis Sacramentum praestitum fuit Augustissimis Borboniis Regibus Carolo, et Ferdinando.

Regi Carolo Borbonio fidelitatis Sacramentum in Cathedrali Panormitana die 30 Junii ann. 1735 praestitere Siculi Ordines hoc pacto. Post solemnem Regis ingressum, et equitationem, post decantatum hymnum actionis gratiarum, Rex solium conscendit, seditque operto Capite; tum ante eum apposita fuit mensula, supra quam Magnus Eleemosynarius Crucem, et Evangeliorum librum collocavit. Protonotarius Regni stans in gradibus regii Solii, recitavit juramenti formulam, eaque lecta Coadjutor Protonotarii singulos a quibus jurandum erat accersivit, servato eorum ordine.

Primus omnium Panormitanus Antistes, ut pote ecclesiastici Ordinis primus, accessit ad Regis sedem flaxis ante illum genibus, expansis super Evangelia manibus, roganti Protonotario, vellet Regi fidelitatem promittere juxta formulam nuper pronuntiatam, respondit, velle, et jurare atque in hujus rei signum crucem, et Evangelia est osculatus. Hunc secuti sunt caeteri Episcopi, Praesulesque Regni, tum Ordo militaris, seu Equestris, nempe Principes, Duces, aliique feudorum Domini, tandem Oratores Civitatum Regii Demanii. Quo facto jussu Regis ab eodem Protonotario lecta est formula juramenti ab ipso Rege emittendi de custodiendis legibus, et privilegiis Regni. Mox Protonotarius in genua procumbens, Regem exoravit, ut juramentum ederet: Rex vero stans detecto capite, librum Evangeliorum manu tangens, juravit. Post haec Praetor Panormitanae Civitatis pariter a Rege petiit, ut Sacramento reciperet servaturum se jura, et privilegia Civitatis, quod pariter a Rege juratum fuit.

Cum primum Ferdinandus III. Rex noster Clementissimus, paternae cessionis jure Neapolis, et Siciliae imperium est adsecutus, Joanni Fogliani de Aragona, regia vice Siciliam administranti, publico instrumento, quod Rex ipse, et qui Regis erant a supremo Consilio subsignarunt, regio nomine a Siculis exigendi fidei sacramentum, jurandique observanda fore Regni jura, et privilegia, plenissimam potestatem attribuit. Mox litteris ab Neapoli redditis, a solemni Equitatione, quae in Regum acclamationibus ab antiquis temporibus fieri consueverat, Dynastas exemit, et ea praesertim de causa, quod magis ad rem futura esset, quando ad suscipiendam Regni Coronam M. S. Panormum se conferre dignaretur.

Stata die 13 Aprilis 1760 cum in Templo Cathedrali Praesules, Optimates, et Civitatum Oratores, unde generalia Regni comitia conflabantur, post grates Deo persolutas, ubi Prorex Solium conscendit, seditque tecto Capite, pileati omnes scamnis quisque suis assederunt. Tum Regni Protonotarius stans super solium a dextra Proregis, elata voce E. S. nomine universam Concionem sic est allocutus.

Ascrivo a mia sorte, e me ne compiaccio indicibilmente di essersi degnata la Maestà del Re Ferdinando nostro Signore (Iddio conservi) costituirmi in grado da presedere, e far oggi la sua rappresentanza in questa nobile, ed Illustre Adunanza di tanti qualificati, ragguardevoli Personaggi di tutti, e tre gli Ordini Ecclesiastico Militare, e Demaniale, che questo fedelissimo Regno compongono, seriamente convocati, acciocchè nella faustissima contingenza della Successione della Maestà sua, verificata in forza della cessione fattale delle due Sicilie, e degli altri Stati, e dominj Italiani dalla Maestà del Re Cattolico suo Augustissimo Genitore, si celebrasse in questo Regno, secondo l' accostumato in si felici successi, l' atto solenne al plausibile fine di ricevere il liggio omaggio, e il Giuramento di fedeltà da tutto questo fedelissimo Vassallaggio; e prestarsi altresi da me in suo Real nome il Giuramento della Conferma de' Capitoli, Grazie, e Privilegi, de' quali il Regno gode. Avvenimento in vero così felice che chiama l' universali allegrezze di tutta la Sicilia, la quale reputar si dee a gran ragione fortunata fra tutte le Nazioni, poichè siccome ha saputo meritarsi dal pio magnanimo cuore dell' invittissimo Padre i tratti ammirabili di tante eroiche beneficenze, così va ora a godere de' stessi fortunati auspicj sotto il soave gloriosissimo dominio di un suo degnissimo rampollo, che del pari nudrisce ad imitazione del glorioso Genitore le stesse clementissime inclinazioni di felicitare, e contribuire a tutto ciò, che ridonda in beneficio, e vantaggio di questi suoi amatissimi Popoli. Vengano dunque in si fausta congiuntura a tributare le rimostranze di quella innata fedeltà, con cui il genio della Sicilia si è fatta gloria in tutti i tempi di distinguersi verso i suoi Augusti Sovrani, giacchè mi darò a carico di presentarle all' eccelso trono della Maestà sua, sicuro, che colla sua Real munificenza sarà per dispensarle quel grato accoglimento, ch' è proprio del suo benefico animo.

Gravissimo alloquio Ill. et Rev. Dom D. Francisci Testa Monregalensis Antistitis, qui absente Pan. Archiepiscopo primas agebat partes, respondit communi Regni totius nomine pronunciata Oratio, quam quoque juvat exscribere.

Veramente, Signore Eccellentissimo, dopo avere questo Regno provato per tanti anni il pio, il giusto, il clemente, il dolce, e per dir tutto in una parola, il paterno reggimento del sempre Augusto Carlo Borbone, ora glorioso Monarca delle Spagne, sarebbe stata la di lui dipartenza per tutti noi un avvenimento dolorosissimo, s' egli col suo supremo intendimento pria di lasciarci, modo pensato non avesse, per cui continuando come a governarci per se stesso, continuassimo noi a godere degli stessi vantaggi, che goduti avevamo sotto di lui. Cotesto modo fu certamente l' avere egli ceduto il Reame delle due Sicilie, e gli altri suoi dominj d' Italia al Serenissimo Infante D. Ferdinando suo carissimo figliuolo, ed ora nostro graziosissimo Sovrano. Mercè di un tal provvedimento convenghiamo, che la nostra sorte non ha sofferta alcuna alterazione, ne incorso alcun discapito. Già si veggono nel Giovanetto Principe trasfuse coll' inclito sangue l' indole egregia, e le paterne regie virtù. N' è affidata la educazione alle Cure, ed

Digitized by Google

al Consiglio di Personaggi quanto ragguardevoli per ogni più distinto pregio, altrettanto delle rette intenzioni imbevuti, e delle giuste massime del Padre, siccome quei, che sono stati da esso medesimo, e sotto gli occhi suoi delicatissimi alla prudenza Civile formati, e alla amministrazione delle pubbliche cose. E poi, che non possiamo prometterci di grande, e di felice dagli esempj, che di ben regnare dal Real Genitore riceverà il Real figliuolo? Esempj ora tanto più luminosi, quante sono più vaste le Regioni, e diverse le Genti, sovra cui il nuovo paterno imperio si estende. Onde non possiamo dubitare, che quantunque la persona del Governante sia diversa, sarà nulla di meno il medesimo lo Spirito, e l'anima del Governo, ed in conseguenza le istesse le nostre fortune, e la nostra prosperità. E però se noi siamo stati non dico fedeli, e rispettosi (conciosiachè la fedeltà, e il rispetto verso i loro Principi è per li Siciliani un troppo volgar vanto), ma pieni di amore, e di zelo pel Padre, lo saremo altresì pel figliuolo; anzi più, se più si può, quanto maggiormente pel prezioso dono, che ce n'è stato fatto, cresciuti sono i nostri obblighi inverso l'Augusta Reale famiglia. Posto ciò non potevate Signore Eccellentissimo, recarci proposizione più grata, e più degna della bontà, che nudrite per noi, quanto quella, che ora si graziosamente ci avete fatta, di giurare omaggio, e fedeltà al nostro nuovo Re, e di manifestare con pubblico solenne atto gl'interni sensi di divozione, di ubbidienza, e di ossequio, che per la di lui sacra amabilissima persona concepemmo sin dal primo fausto giorno, in cui ci fu conceduto per nostro Signore. Così Iddio esaudisca, e secondi i giusti nostri voti, conservando la Maestà sua, e facendo, che cresca felicemente alla Religione, alla pietà, alla giustizia, alla gloria, alle delizie de' Popoli, e che per lunga serie di anni giovar si possa de' vivi paterni esempj, come noi sarem sempre pronti per quanto ci permetteranno le nostre forze ad ogni suo Real piacere, e servigio, essendo ben persuasi, che non possiamo far uso migliore delle facoltà nostre, che impiegandole, e spendendole a piacere, e a servigio di un Principe, di cui siamo sicuri, che ad imitazione del gran Padre, altro mai non cercherà, che il nostro bene, e la nostra felicità.

Huic sententiarum, verborumque floribus perfusae orationi cum Domino Prorege totum applausit Concilium. Tum Protonotarius lecto instrumento delegationis, qua ab Serenissimo Rege ad rem praesentem donabatur E. S. exprimendam a Singulis juramenti formulam proposuit, cujus tenor est ejusmodi.

Nos infrascripti ex tribus Brachiis universum hoc Siciliae Regnum repraesentantes, per nos, et Successores nostros promittimus, et in nostras, ac principalium nostrorum constituentium animas juramus per Crucem Domini nostri Jesu Christi, et Sancta ejus quatuor Evangelia corporaliter per nos tacta, nos acceptare, atque habere, deincepsque habituros felicissimum, et Potentissimum Dominum nostrum, Dominum Ferdinandum (Dei gratia) in hujus Siciliae Regni, verum Regem, et Dominum nostrum naturalem, hinc et deinceps usque ad ultimum nostrum vitae diem, ejusque regiae Majestati nos fideles fore pollicemur, et utique totis animi, corporisque viribus conaturos, ut a praedicta Regia Majestate omnem injuriam, contumeliam, proditionem, fraudem, ac dolum propulsemus, et ejus hostes oppugnemus. Quod si quid in ejus Sacri Capitis perniciem machinatum noverimus, profitemur, id nos nequaquam celaturos, sed etiam indicaturos, et Consilio, favore, quibuscumque modis poterimus, auxilium saluti ejus, et felicitati tuendae, ac defendendae praestituros. ...

Google

Secundum haec reliqua eodem ordine, ac ritu acta sunt, quem pro Carolo III. Borbonio diximus observatum. Adnotare adhuc habeo, generalia Regni comitia novam hoc tempore formam induere, et aliam a veteri formulam sancitam esse, juxta quam Reges ad custodiendos Regni mores, et jura, Subditi vero ad servandam illis fidelitatem mutui jurejurandi Religione obligentur.

CAPUT POSTREMUM.

De Regum Siculorum funere.

§. I.

De ritu, quo olim Regibus nostris parentabatur, deque celebratis etiam in Sicilia Regum alibi extinctorum funeribus.

Quo olim ritu Siculis Regibus justa persolverentur, haud satis compertum est, neque enim antiqui rerum nostrarum Scriptores regiorum funerum descriptiones Posterorum memoriae commendarunt. Illud vero ex Hugone Falcando depromitur, corpora scilicet defunctorum Regum, aliquamdiu in Aula jacuisse omnium oculis exposita, funus conclamatum, cui deducendo non solum Proceres, verum etiam Praesules interfuisse, denique Cives omnes in obitu Regis atratas vestes induisse. Refert enim in Historia Rerum Siculorum, Guillelmi I. mortem primo occultatam, ne Populi seditionem excitaret, interea tamen parata, et disposita fuisse omnia, quae ad novi Regis spectabant inaugurationem, subditque: *quod ubi paucis diebus peractum est, primum in Palatio more lugubri, funere conclamato repente totius luctus subsequutus est Civitatis. Moxque Proceres cum Episcopis, et Magnatibus Curiae de loco, ubi sepultum fuerat, in Capellam Corpus regium transtulerunt. Universi quoque Cives nigris induti vestibus, usque in diem tertium in eodem habitu permanserunt. Per totum autem hoc triduum Mulieres, nobilesque Matronae, maxime Saracenae, quibus ex morte Regis dolor non fictus obvenerat, saccis opertae, passis crinibus, et die noctuque turmatim incedentes, ancillarum praeeunte multitudine, totam Civitatem ululatu complebant, ad pulsata tympana cantu flebili respondentes.*

Quod de foemineo ululatu memorat Falcandus, id de Saracenorum more erat. Hinc Saraceni, qui cadaver Friderici Imperatoris in Apulia mortui adsportandum in Siciliam associabant, lamentis, gemitu, ululatu, quaecumque in itinere adibant Oppida complebant. Ita narrat oculatus testis, qui Bitunti degebat Matthaeus Spinellius Juvenacensis in suis MS Diariis a Muratorio editis Tom. VII. Scipt. Ital. *Transit hac*, inquit, *Corpus Imperatoris, quod ferebatur Tarentum, et ego egressus sum, ut viderem. Gestabatur autem in lectica holoserica rubro operta, cinctum ducentis Saracenis peditibus, ordinaria Corporis Regis custodia, et sex cohortibus equitum armatorum: qui omnes cum locum aliquem ingrediebantur, plangentes inclamabant mortui nomen: sequebantur autem eos Barones aliquot vestiti lugubribus, et Syndici Oppidorum.*

Notandum est, quod innuit Falcandus, olim nempe in nostrorum Regum funere, Cives universos atratos prodiisse: *Universi quoque Cives nigris induti vestibus usque in diem tertium in eodem habitu permanserunt*. Id etiam apud Graecos invaluit, siquidem teste Codino lib. de Offic. Aulae Const. C.

II. et XXI. in luctu Aulae Constantinopolitanae, nedum Proceres Imperii, sed et universi pullas vestes induebant, Imperator vero albes.

Porro ex Falcando liquet, exequias Guillelmi I. Regis in Capelle palatina peractas esse, quamvis deinde illius cadaver Margarita Conjux ad Monregalensem Ecclesiam ab ipso Rege excitatam transferri, ibique humari curaverit. In eadem Capella, anniversarii dies defunctorum Siciliae Regum persolvebantur, uti constat ex Henrici Imperatoris diplomate, quo rata habet privilegia omnia illi Ecclesiae concessa, jnbetque, ut Rogerii, et utriusque Guillelmi Regis anniversarii dies emortuales ibi celebrarentur. Qua de causa ibi dies emortuales Principum tabulis consignabantur, easque, in quibus dies depositionis Regum, et Reginarum descripti sunt, ex antiquis codicibus erutas edidit Amatus lib. XIII, C. 3. de principe Templo Panormitano.

Caeterum in Metropolitana Ecclesia panormitana Siculi Reges tumulabantur, et ibi quoque defunctis Regibus funera, et anniversaria sacra celebrata sunt, traditque Fazellus lib. VIII. Decad. I. C. 1. *Henricus VI. quotannis Rogerio, et aliis Siciliae Regibus solemnes exequias celebrabat, et Imperator Fridericus II. filius, ejus vestigia sectatus, eisdem tria per singulos annos anniversaria perpetuo celebranda, et decreto dum viveret, et testamento moriturus sancivit*. Porro istiusmodi solemnitates temporum injuria omissae, ac postea restitutae ad hanc usque diem peraguntur.

Quo tempore Proreges hoc Regnum administrabant, solemni etiam ritu alibi defunctis Regibus justa persolvebantur. Id habent non modo Siculi annales, verum etiam coaevi Scriptores non uni, qui hasce solemnitates fuse explicatas posteritati reliquerunt. Ut enim antiquiores praeteream, Regis Philippi IV. parentalia peculiari libello complexus est P. D. Hieronymus Metranga Clericus Regularis anno 1666. Caroli II. Fr. Didacus de Loya ex ordine Eremitarum S. Augustini anno 1701 et Philippi V. Senatus idem, qui regio praeerant aerario anno 1747.

Omnium vero splendidissima pompa Regi Carolo III. parentatum est anno 1789. Ejus enim rei causa Templum maximum, quod tunc aedificabatur, fabrilem operam, et lugubrem apparatum dirigentibus peritissimis Architectis, novam induit formam, et pegmate, quo nihil magnificentius excogitari poterat, nobilissimum evasit. Ibi celeberrimum actum est novendiale, initio facto a sacris pro defunctorum expiatione officiis, quae vespere diei 28 Aprilis, flagrantibus undique cereis, et insigni musico concentu decantata fuerunt. Postridie illius diei a Panormitano Pontifice piaculare sacrum solemni more oblatum, a P. D. Xaverio Grenata Clerico Regulari, nunc Praesule Agrigentino funebris denati Regis dicta laudatio, et a praefato Pontifice aliisque quatuor Episcopis circa cenotaphium impertitae absolutiones, militibus in area, quae Templo haeret ad statas missae atque absolutionum periodos manualia tormenta displodentibus. Jamvero praeter frequentissimum Populum undique affluentem solemnibus officiis, et sacro Prorex cum Proceribus Pullatis, Praetor cum Patribus conscriptis, et qui Regis a Consiliis sunt interfuerunt.

§. II.

De regiis exequiis hac postrema aetate Panormi Aula praesente celebratis.

Nunc nobis ea tractanda sunt regia funera, quorum apud nos pompa ob Aulae praesentiam supra modum crevit. Incipiam ergo a supremis officiis Serenissimo Principi Alberto redditis, qui adhuc puerulus fato cesserat in navi, qua vecti Augustissimi Parentes Ferdinandus Borbonius, et inclytae memoriae M. Carolina Austriaca Conjux Panormum die 26 Decembris 1798 advenerunt.

In primis illius diei (quem nulla obturbare debuisset causa doloris) pomeridiano tempore, corpus Infantis feretro clausum e navi ad Monregalensem Ecclesiam, ubi tumulandum erat, hoc ordine asportatum est. Anteibant armati equites. Curru eodem, sex equis ducto, quo feretrum, Ill. et Rev. Dom. D. Joseph Garrano Regis Confessarius advehebatur. Subibant tres alii currus, et in uno Heracleensis Archiepiscopus et Aulae Antistes Excell. et Rev. Dom. D. Alphonsus Airoldi cum suo Cubiculario, et Praefectus Caeremoniarum Palatinae Capellae; in altero ejusdem Capellae Beneficiarius, quem vocant *Comuniere*, Capellanus Sacramentalis, et Clericus inferior, in tertio Eques D. Didacus Branciforti Regis Cubicularius, et regiae domus Ostiarius major. Denique ala funus prosequebatur. Ad Templi januam feretrum a curru sublatum, super mensulam repositum, et reseratum est, detectumque Cadaver Antistes cum precibus, quas in parvulorum exequiis Ecclesia indicit, adspersit aqua benedicta. Inde feretrum cum regio cadavere, rursus obseratum Monachis Casinensibus ejusdem Templi Canonicis traditum est custodiendum.

Crastino die praefati Antistes Aulae, regiusque Cubicularius, nec non generalis Auditor Exercitus cum suae Curiae Magistro Notario ad Monregalensem Ecclesiam sese contulerunt. Ibi traditi, acceptique cadaveris a P. D. Joanne Baptista Oneto Monasterii Casinensis Priore, et Ecclesiae Canonico Decano tabulis confectis, consuetas preces recitante Antistite feretro inclusum cadaver in Divi Benedicti Sacello sepulturae mandatum est.

Hoc quoque ritu ibidem tumulata est anno 1809 Infans M. Amalia Serenissimorum Principum Francisci, et M. Elisabethae Regni haeredum filia. Sed quoniam sero feriae IV. majoris hebdomadae vita excessit, funus ejus non Capellanus major, qui sequenti feria V. in coena Domini erat in Palatino Sacello sacris operaturus, sed Cantor, ejusque Sacramentalis Coadjutor e Palatio ad Monregalense Templum prosecuti sunt. Post Cantorem et Coadjutorem curru eodem ductos, quo arcula clausum corpusculum ferebatur, bini currus incesserunt, quorum alter primariam e famulabus a cubiculo, et aliam id genus famulam, alter Regis Cubicularium et Ostiarium devehebat, subeunte ala, cujus prima acies funeri praeibat.

Venio nunc ad parentalia, quae M. Clementinae Austriacae persoluta fuerunt. Haec Serenissima Princeps, quae cum Juventutis Principe Francisco Borbonio ejus Marito Panormo discesserant, post obitum Ferdinandi filii, et ipsa extincta est Neapoli die 15 Novembris 1801. Cum Rex Panormi degens Religiosi Soceri partas expiere vellet, solemnes amantissimae Nurus exequias in Capella palatina die 28 ejusdem mensis statuit celebrandas. Sublime igitur pegma ibi excitatum, quod octo columnis fultum vetustum efformabat templum, sub cujus fornice sita erat urna pretiosissimo tecta ope-

rimento, aut demortuae Principis depictam sistens effigiem. Ecclesia lugubribus insigniter adornata, et alia praeter marmoream fabrefacta orchestra, ut plenior esset Chorus, qui vocibus fidibusque funeris magnificentiam augeret.

Augustiores quoque fecit exequias Regis praesentia, qui e tabulato, quod nigricolores aulaeae aureis argenteisque fimbriis distinctae exornabant, toti sacrae adfuit caeremoniae. Cui pariter palatini Proceres, Matronaeque Aulae, qui sunt a secretis imperii negotiis, Legatique exterarum Gentium, et altioris subsellii Duces interfuerunt. Porro expiationis hostiam obtulit uti Pontificem decet, Excell. et Rev. Aulae Antistes D. Alphonsus Airoldi, sacro ministerio Palatinae Capellae Canonicis, Caeremoniarum Praefectis, at inferioribus Clericis inservientibus. Post liturgiam sine funebri oratione, quae Regis animo acerbitatem afferret, quinque circa tumulum impertitae absolutiones. Qua de causa extra celebrantem, emortualis functionis pars fuere Ill. ac Rev. Petrus Gravina Archiepiscopus Nicaensis et Apostolicus in Hispania Nuntius, Gabriel Gravina Episcopus Flaviopolitanus, Joseph Garrano Archiepiscopus Trajanopolitanus, et P. D. Emmanuel Ciafallon Casinensis Ordinis Abbas Praesidens.

Superest, ut quo ritu atque ordine M. Carolinae Autriacae Utriusque Siciliae Reginae parentatum sit, explicemus. Tristissimo importuni obitus, quo Viennae sero diei septimae Septembris anni superioris 1814 sublata fuerat, recepto nuntio, Rex Pientissimus, et Clementissimus dulcissimae Conjugis exequias ea, qua par erat, Regia pompa in Palatino sacello haberi jussit.

Itaque ante porticum dicti Sacelli amplissima fabrilis operis aedificata est Aula cum duplici antica videlicet, ac postica janua, quam architrave Cariatidibus substentatum in exteriori parte decorabat. Intra Ecclesiam ad Odeum amplificandum submota psallentium scamna, et unicum utrinque conditum subsellium, ubi dorsuali fulcro, et brachiis discrimen indicantibus, continenti ordine Canonici, et Clerici assiderent. In medio Odeo nobilissimum Aegiptiacea architecturae pegma erectum, trophaeis, ieroglyphicis, statuisque et Inscriptionibus defunctae virtutes exprimentibus adornatum. Cujusmodi pegmatis centrali arcu perforata basis, ut Sacris Administris ingressum egressumque praeberet et rem divinam cunctis redderet aspectabilem. Super basim suo haerebat stylobati sepulcralis urna regio insignita diademate, sceptro et chlamyde, unde pro parte tegebatur. Pone urnam, communem cum basi centrum habens pyramis usque ad Templi testudinem adsurgebat. A testudine ipsa, magna pendebat Corona, et inde holosericum coccinei et nigri coloris aureis, argenteisque intertextum parergis conopeum, quod totum praeterquam in fronte operiebat, ornabatque cenotaphium.

Praeterea contra marmoream alia condita orchestra propter Cantores, ac fidicines Choro adjungendos. Navis Ecclesiae major ligneo septo interclusa, unico prope januam patente aditu, et quidem iis, quibus per gradum, et conditionem ingredi liceret. Suggestum inter odeum, et orchestram a cornu Epistolae collocatum. Tota porro aides splendido quidem sed lugubri apparatu contecta, pariterque ad luctum composita; Specula et thronus, regius, Odeum, Orchestrae, ligneum vallum, Suggestum et sedes Episcoporum illustriumque Personarum, quibus intervenientibus funus erat celebrandum. Tandem undique obseratis Templi fenestris, obscuritas ipsa tristitiam, et moerorem exaggerabat.

Triduum peragendis exequiis destinatum est a die I. Mensis Octobris inchoandum. Illius ergo diei stata hora X. ante meridiem feretro, ac Templo luminibus, triangulisque lychnis, qui ex arcubus impendebant, ac-

censis illustrato, cunctus ordo major ex amplissimo salutatorio, ubi convenerrt, in Ecclesiam confluxit. Rex ipse cum Regia Familia sequente aulico comitatu sacrae adfuturus caeremoniae in speculem descendit. Viso Rege adsurrexere omnes, et postquam sedit, praefixo quisque loco steterunt. In plano ante marmoream Orchestram siti Praesules propter impertiendas benedictiones acciti. A contraria parte qui erant ab intimo Regis consilio, et a secretis imperii negotiis, Legatique exterarum Gentium. Sub arcu eidem Orchestrae proximo in amplo Subsellio consederunt Panormitanae Civitatis Praetor, Patresque conscripti senatorie veste induti. Totam majoris navis aream, tantum non impedito intermedio transitu, occuparunt scemnis assidentes Equites S. Januarii, Proceres, Metronaeque Aulae, Summi Duces belli, Praefecti Classis, triumque supremorum Tribunalium Praesides, et generalis Auditor Exercitus. E minoribus navibus altere inferioribus cessit ordinum regiae domus officialibus, altere viris quibuscumque Nobilibus, honesto loco natis, et Ecclesiasticis. Juxta thronum in acie constituti fuerunt hastati Milites Praetoriani.

Rebus ita compositis Antistes Aulae Capellanus major pontificalibus ornamentis indutus medius inter Altaris Ministros, praecedente supplicantium more Clero, et Collegio Palatino sacris quoque vestibus exornato, itemque sex Ephebis cereos deferentibus accensos, e Sacrario ad maximam Aram processit, et solemnem expiationis missam inchoavit. Qua expleta Antistite in faldistorio sedente Rev. P. D. Carolus Lenzi Scholarum piarum Provincialis, vis quidem summus, et dicendi facultate praestantissimus funebrem de laudibus Reginae orationem habuit, et adstantium animos ita commovit, ut extinctae desiderio neque modus fuerit, neque pudor. Tandem sacram caeremoniam clausere circa feretrum preces, et absolutiones, quibus persolvendis praeter Celebrantem praesto fuere Ill. et Rev. Episcopi Gabriel Gravina Flaviopolitanus, Isidorus Spenò Nemesinus, Bernardus Serio Thermopolitanus, et Augustinus Olivieri Arethusius.

Toto trium dierum spatio in eadem Capella extra nocturnum et matutinas Defunctorum laudes, plurime pro expiatione animae sacrificia oblata sunt, altero etiam ac tertio die sacrum modis musicis a Palatinis Cantoribus decantatum est, et circa feretrum impertita benedictio.

CAPELLANI MAJORES REGIS SICILIAE.

Fr. Joannes de Nusco primus Capellanus major, de quo apud nostros fit mentio. Hic primus Abbas Monesterii S. Joannis de Eremitis, quod prope Palatium Rex Rogerius extruxerat, Consiliarius, Capellanus major, Pater et Confessarius suus ab eodem Rege constituitur, ejusque Successoribus eadem praerogative conceditur anno 1148 (Dipl. XI.) Mortuo deinde Rogerio, cum a Guillelmo I. ejus filio excitatum esset aliud Benedictinum Monasterium in Adriano nemore; Joannes solitariae et eremiticae vitae amans petiit, obtinuitque a Rege, ut eo loci se conferret, ubi sanctissime, uti vixit, obiit.

Gualterius, quem Henricus Rex Anglorum in Siciliam misit cum Joanne ejus filia nuptura Guillelmo II. Regi Siciliae, ut hunc adolescentulum Regem in liberalibus disciplinis erudiret, Capellanus ejusdem Regis dignoscitur major ex Petro Blesensi. Qui in Epistola ad ipsum date, ut moneat ac deterreat Regem, ne indignum hominem praeficiat Ecclesiae Agrigentinae, ait, illum exercere ministerium pastorale, Regem esse illus ovem,

Regis custodiam illi esse commissam, illum redditurum rationem animae Regis (Dipl. XIII.). Fuit etiam Regis Consiliarius, et Cancellarius, et circa annum 1169. Panormitanus Archiepiscopus. Ad annum usque 1309 nulla alterius Capellani majoris in regiis libris, et Siculis Historicis mentio occurrit. Eo autem anno se offert.

Bartholomaeus Antiochenus regii Sanguinis conjunctione clarissimus, Panormitanus Antistes, et Friderici II. Regis Siciliae Capellanus major. Quo nomine litem inter Guarinum de Renda Canonicum, et Raynerum Clericum Palatinae Capellae diremit (D. XXXV.).

Damianus de Palitio ejusdem Friderici, et Petri filii major Capellanus, nobilissimae prosapiae splendorem moribus, ac virtute illustravit. Orator a Rege ad Bonifacium VIII. mittitur anno 1302 pro pace componenda, utque Fridericus et Regnum ab interdicto solverentur. Fuit etiam Regis Consiliarius, Cancellarius, et Regni Logotheta (Dipl. XL.). Anno 1322 cum vellet visitare regiam Capellam, eum tamquam Magistrum Capellanum admittere nolebant Canonici, tandemque conventum est, ut tamquam Regius Delegatus exciperetur (Dipl. XXXIX.).

Frater Guillelmus de Aydone Ordinis Praedicatorum Petri II. Regis Capellanum majorem egit. Hinc Angelum Spina Clericum Regiae Capellae, in corporalem possessionem Canonicatus dicti de majoribus induxit anno 1339 (Dipl. XLI.). Fuit etiam eidem Regi a confessionibus, ut ibidem legitur.

Frater Petrus de Pernis Theutonicus dictus Ordinis Minorum apud Ludovicum Regem Capellani majoris munus gessit. Vir fuit Pirro teste litterarum peritia, et vitutum exemplis praeclarus. A Pontifice Clemente VI. Pactensis creatus Episcopus, in ea Ecclesia decessit circa annum 1354.

Frater Lucas de Manna Ordinis Eremitarum constituitur a Rege ludovico obitu Petri de Pernis regiae Capellae Capellanus major (Dipl. XLVI.). Qua de causa Antonium de Guerreriis, qui Canonicatum Palatinae Capellae ab Rege obtinuerat, in corporalem possessionem immisit, anno 1355 (Dipl. XLVII). Cum autem Fr. Lucas licet invitus inter hostes versaretur ab Rege Friderico III. eligitur

Frater Simon de Leontino ex Ordine Minorum Capellanus major, datis ad Clerum, et Populum Terrae Calaxibettae literis, ut ei utpote Antistiti suo reverentiam, et obedientiam exhibeant (Dipl. XLIX) Eidem Rex Fridericus detulit judicandum, utrum in uno eodemque Thoma de Caropipi Canonicatus dictae Terrae, atque Archipraesbyteratus Paternionis rite coacervarentur (Dipl. LI.) Inde absente adhuc Fr. Luca designatur ab eodem Rege

Frater Franciscus de Castrojoanne major suus Capellanus, et Confessarius (Dipl. LIII.). Hujus gratia censum Capellanis majoribus assignatum regio aerario pene exhausto ex fructibus vacantium Tertiariarum idem Rex pendi jussit (Dipl. LIV.). Qui etiam ipsi demandavit, ut Joannucium de Ripa, in beneficiorum S. Philippi de Milatio, et SS. Joannis, et Nicolai Mazariae possessionem immitteret (Dipl. LV.).

Frater Lucas concilieta pace in integrum restituitur, datis quoque ad Clerum et Populum Calaxibettae, ac S. Philippi de Milatio litteris, ut eum utpote Magistrum Capellanum colerent, et observarent (Dipl. LXII.).

Frater Ubertinus de Corleone Odinis Minorum vir magnae existimationis, et in rebus peragendis eximius, propter obitum Fratris Lucae ab Rege Friderico III. instituitur Capellanus major (Dipl. LXVIII.). Huic Gre-

Digitized by Google

gorius XI. facultatem concessit administrandi sacramenta Regi, et Aulicis omnibus pleno jure (Dipl. LXIX.). Anno 1372 a Rege delegatus est ad firmandas foederis pactiones cum Joanna Neapolis Regina, eodemque anno praeficitur Pactensi Ecclesiae, quae conjuncta erat Liparensi. Sed Episcopatum cum excusaret, quamobrem regiam Curiam sequi non posset, in ejus locum ab Rege sufficitur

Frater Rogerius de Ceva Ordinis Minorum Capellanus major (Dipl. LXX.). Cujus obitu a Regina Maria designatus est.

Frater Bernardus de Trapano Ordinis Minorum (Dipl. LXXIII.).

Frater Arnaldus de Letone Cisterciensis Ordinis Magister Capellanus noscitur ex litteris Regis Martini ad Officiales Terrae Calaxibettae, ac S. Luciae directis, quos debita eidem utpote Magistro Capellano jura solvere jubet (Dipl. LXXX.).

Philippus Crispus ex Ordine Eremitarum S. Augustini nobili genere ortus, fuit Martini Regis Capellanus major, mox Episcopus Squillacensis, tandemque suae Patriae Archiepiscopus. Ab eodem Rege legatus missus est anno 1394 ad Bonifacium IX. tum a Pontifice ad Aragoniae Regnum Nuntius Apostolicus. Ejus obitu per litteras ejusdem Regis major fit Capellanus

Frater Philippus de Ferrario Ordinis Carmelitarum Pactensis Episcopus (Dipl. LXXXV.). Eximus fuit Concionator, multisque virtutum meritis ornatus. Anno 1412 legatione functus est, una cum Ubertino Pan. Archiepiscopo nomine totius Regni apud Ferdinandum Regem in Aragonia degentem. Interea Thomas de Chrysaphi Archiepiscopus Messanensis Capellani majoris munus quasi vacasset, ab Rege extorsit. Sed Rex rei veritate comperta illud uni Pactensi Episcopo datis Caesaraugustae litteris jussit attribui (Dipl. XCIII.). Ab eodem Rege Ferdinando declaratus fuit Regius Consiliarius, et e Pactensi ad Agrigentinam Sedem promotus. Vide Pirrum in Episcopis Agrigentinis.

Frater Joannes de Stephano Ordinis Cisterciensis, Abbas S. Mariae de alto fonte, Magistri Capellani dignitate fuit insignitus. In ejus gratiam litterae a Serenissimo Infante Petro expeditae fuerunt, ut eum omnes Regni Praelati, et Officiales praesertim Terrae S. Luciae pro Magistro Capellano habeant, ac debito honore prosequantur (Dipl. XCVIII.). Idem Abbas et Capellanus major, scribens ad Pan. Ecclesiae Vicarios, expresse declaravit, Capellanos palatinae Capellae, et aliarum Regalium Capellarum de sacra Regis, et Magistri Capellani jurisdictione existere, neque alium ab eo sibi proprium admittere Ordinarium (Dipl. XCIX.).

Jacobus Portius Messanensis nobili genere ortus, majorem Regis Alphonsi Capellanum egit (Dipl. CIV.). Qui mox ad Episcopalem Pactensem sedem assumptus, eam ad annum usque 1449 cum laude administravit, factusque Archiepiscopus Messanensis, antequam Bullae expedirentur, migravit e vita.

Puccius de Palitio Civis nobilissimus, et Canonicus Messanensis una cum Abbatia S. Philippi de Milatio, S. Luciae beneficium, et majoris Capellani munus ab Rege Alphonso exnravit. Eo petente idem Rex a violanda Capellani majoris in dicta beneficia, eorumque possessores jurisdictione, Messanensem prohibuit Archiepiscopum (Dipl. CVI.) Ipsius Puccii obitu, Joannis Regis nomine a Prorege electus est

Angelus Stayti ex illustri prosapia Messanensis Capellanus major (Dip. CIX.). Quod munus eo gerente, mandavit Prorex Straticato Messanensi, ut ab Officialibus S. Luciae Capellanum majorem in antiquissi

ma, et numquam interrupta possessione suae jurisdictionis revereri faceret (Dipl. CXII.).

Friderious Sabia Capelleni mojoris officium Angeli Staytl obitu vecans a Prorege obtinuit. Qui per suas litteras omnibus et Singulis Regni Viris ecclesiasticis, et speciatim Terrae S. Luciae demandavit, ut illum pro Capellano majore agnoscerant, et in honore haberent (Dipl. CXIII.).

Antonius de Stayti Canonicus et Archidiaconus Ecclesiae Messanensis, ob renunciationem Friderici Sabia Capellani majoris munere decoratur. Viceregiis quoque litteris Regni Officiales, et preesertim S. Luciae illi honorem, et venerationem hebere jubentur (Dipl. CXIV.). Interim audita Cordubae Rex Ferdinandus Catholicus Angeli Stayti morte, Dalmetio de Tolosa Capellani majoris contulit officium (Dipl. CXVI.). Iteque.

Dalmatius de Tolosa totius Regni Siciliae Capellanus major in Hispania degens, Leonardum de Alibertis suum constituit Vicarium, et apud nos tam regia provisio, quam Vicarii constitutio exequtioni mandatur (Dipl. CXXII.).

Joannes Michael Mejo Barchinonensis jam eb anno 1500 S. Luciae beneficio donatus (Dipl. CXXI) extincto Dalmatio de Tolosa Capellanus major a Prorege instituitur cum facultetibus honoribus et jurisdictionibus, quibus alii Capellani majores, et ipse Dalmatius usi fuerant (Dipl. CXXV.). Quare beneficium, et Officium tametsi distincte collata, novo et inusitato exemplo, in uno eodemque Candidato coaluerunt. Sed obitu Dalmatil

Jocobus Conchilles ab Rege eiigitur Capellanus major, eique ad Catanense Sacerdotium evecto subrogatur

Didacus Herrera Caesaraugustanus, et Reginae Ferdinandi II. Uxoris Sacrista major, datis ad Proregem litteris, ut emoto Jo. Michaele Majo illum in possessionem immitteret (Dipl. CXXVII.). Re igitur in regio Senatu disceptata a fisci Patrono Priamo Capucio decisum fuit, ut exequntoriae litterae pro Herrera expedirentur. Seu tamen hic fato cesserit, et novum regium diplome intercesserit, seu lata sententia revocata fuerit

Io Michael Majo Capellaniee majoris possessor deprehenditur anno 1513. Quo Rege permittente beneficium et officium ab eo resignata cum regressu in favorem Joannis Gironeile, huic a Pontifice conferuntur, et ejus obitu a Prorege Joanni Seron, sed Rex preecipit ut Mejo restituantur (Dipl. CXXIX.). Cum autem Majus dictum beneficium, et officium piures annos sibi retinuisset, eedem rursus in favorem Jo. Petri Riccii resigoanda censuit.

Joannes Petrus Riccius Patricius Messanensis Romae cum esset, et aiia, quibus instructus erat, beneficia noliet amittere, ad S. Sedem recursum habuit, et Leo X. soluto ex potestate canonico impedimento, ei contulit paroeciale beneficium S. Luciae, et Episcopale Capellani majoris officium, dummodo Ceroli Regis expressus accedat assensus (Dipl. CXXX.). Ita conjunctim Riccio concessa beneficium, et officium, conjuncta et copulata ad Successores trensmigrarunt sub unica denominatione Capellaniae majoris nulla Ecclesiae paroecialis facta mentione, in qua teste Regio Visitatore Francisco Vente, ab inferioribus Ecclesiasticis Sacramenta administrabantur. Post Riccium Messanensi Archimandritatu anno 1523 donatum claruit Capellani majoris officio

Clemens Majo Hispanus. Qui cum in Curia Regiae Suae Majestetis degeret, munus in Sicilia gerebat per Magnificum Virum D. Petrum Ansalone Messenensem, Abbatem Mandanichii, et Priorem S. Crucis, ejus Vicarium (Dipl. CXXXVIII.).

Hieronymus Zaffarana Nobilis Messanensis ob resignationem a Clemente Majo factam accedente regio consensu a Paulo III. fit Capellanus major (Dipl. CXL.). Cum anno 1535 e Tunetana expeditione victoriis auctus Augustissimus Carolus V. Caesar in Siciliam appulisset, Hieronymus sui officî Capellani videlicet majoris, munia omnia coram eodem Serenissimo Imperatore obivit, Missas celebrando, regiasque dapes benedicendo. E vita decessit anno 1567.

Petrus Butiron de Manriquez Hispanus, Abbas S. Mariae de Roccadia, praevia Regis Philippi II. nominatione Capellani majoris munere insignitur a Summo Pontifice Gregorio XIII. (Dipl. CXLVI.). Eo Capellanum majorem agente, Ecclesiam S. Luciae visitavit regia cum potestate Franciscus de Puteo, declaravitque, illum *teneri ad residentiam in propria Ecclesia, in qua exercet tamquam Prealatus Ordinarius quasi episcopalem jurisdictionem, sicut quilibet alius Episcopus in sua Dioecesi* (Dipl. CXLVIII.). Sed et ipse Petrus Ecclesiarum omnium regii Patronatus in Valle Netina existentium regius Visitator adlectus, plurimas ubique salutares sanctiones constituit.

Hieronymus Riggio Panormitanus nobilitate generis, virtutibus, et doctrina ornatissimus, jam Philippi II. Capellanus, et Archidiaconus Agrigentinus praeeunte regia designatione, ad majorem Capellaniam evectus est a Sixto V. Summo Pontifice (Dipl. CLII.). Quamobrem cum ad assiduitatem juxta regii Visitatoris decretum cogeretur, petebat, sibi responderi de decimis, eo modo, quo Pectensis olim Episcopus illis fruebatur. Edidit nihilominus saluberrimas pro bono Ecclesiae suae regimine constitutiones, quae in tabulario S. Luciae asservantur. Porro institit apud Proregem Comitem de Alba, ut sibi tamquam Magistro Capellano restitueretur jurisdictio in Capella Palatina S. Petri. Quod cum evicisset, suo muneri ex antiquo more deberi, veteri jure auctus est, ac tamquam Judex Ordinarius ejusdem Regiae Capellae a Canonicis exceptus, Curiam Officiales, et suum Locumtenentem instituit (Dipl. CLII.). Verum Canonici mutata mente paulo post ex Regis praescripto R. M. Judici se submiserunt. Obiit Hieronymus anno 1589 postquam multos composuit libros, quos Mongitorius enumerat. Illius obitu

Joannes de Espinar Hispanus Regni Sardiniae Quaesitor, ab Rege nominatus, per bullas Clementis VIII. Capellani majoris adsecutus est officium (Dipl. CLVI.). Fuit quoque regius S. Angeli de Monte Beneficiarius E vivis excessit in Sardinia anno 1601. Inde

Simon Rao, et Grimaldi ex regia praesentatione (Dipl. CLVII.) et apostolica Clementis VIII. provisione (Dipl. CLVIII.), Capellani majoris dignitate exornatur. Is omnium primus resedit in Ecclesia S. Luciae post obtentas uncias sexcentum annuas in partem decimarum per sententiam Tribunalis Regiae Monarchiae (Dipl. CLX.) quae in Tribunali Sacrae Regiae Conscientiae confirmata fuit anno 1611 (Dipl. CLXI.). A. S. Sede impetravit, ut in solemni Missa omnibus ornamentis Pontificalibus uti posset. Fuit Sede vacante Ecclesiae Monregalensis Vicarius. Typis edidit Responsiones ad dubia super immunitate, et jurisdictione ecclesiastica, de quibus vide Mongitorium. Fato functus est anno 1616. Post quem

Antonius de Franchis Neapolitanus genere et virtute conspicuus, e Philippi III. Sacellano, Capellanus major Regni Siciliae ab eodem Rege eligitur (Dipl CLXIII.), et a Summo Pontifice Paulo V. instituitur (Dipl. CLXIV.). Ejus opera praescripsit Rex sub die 4 Augusti, ut cau-

Digitized by Google

ta de decimis Capellano majori solvendis, ultra in Regno non prosequatur; nec decernatur antequam in supremo Italiae consilio fuerit recognita (Dipl. CCLXII.). De Ecclesia sua, quam a fundamentis magnificentius erexit praeclarissime meritus migravit e vita anno 1625 cum magna Sanctitatis opinione, ac populorum veneratione. Ejus vitam typis evulgavit doctus vir Messanensis.

Vincentius Firmatura Siculus Corleonensis Antonio de Franchis ex regiis litteris in Capellani majoris officio successit (Dipl. CLXIX.) Integritate vitae effulsit, et Praedecessoris inhaerens vestigiis majorem Ecclesiam S. Luciae dicatam ornavit, eique ultimam manum imposuit. Obiit Panormi anno 1648.

Martinus la Farina Panormitanus ex Marchionibus Maduniae eodem anno Capellania majori a Rege donatur (Dipl. CLXXVIII.). Jura suae dignitatis acriter defendit. Anno 1650 Regnum pro Rege Philippo IV. moderante Joanne Austriaco ejus filio apud eumdem Joannem, pro exequendo Capellani majoris munere institit, id enim contendebat extendi etiam ad regiae cognationis Principes, quemadmodum in Regnis Lusitaniae, Neapolis, et Belgio, cum Ducissa Mantuae et ipsomet Joanne Austriaco actum fuerat. Re delata a Prorege ad Consultorem, is sententiam tulit, Abbatem S. Luciae simul esse in Regno Siciliae Capellanum majorem, adeoque illi competere Capellani majoris officia (Dipl. CLXXIX.). Quod etiam anno 1655 a Duce de Infantado Siciliae Prorege declaratum fuit (Dipl. CLXXX.). Martini ingenium, linguarum peritiam, eruditionem omnigenam, atque edita typis opera dignis laudibus exornant Mongitorius, ac plures alii apud eumdem laudati. Fato cessit anno 1688.

Simon Impellizzeri ex illustri Familia Syracusanus, post Martinum la farina a Rege electus, et a Pontifice Clemente X. confirmatus, Capellani majoris munus administravit (Dipl. CLXXXIII.). Pietate ac doctrina excelluit, Cives sibi devinxit, atque ad mores reformandos Synodum coegit, Constitutiones in ea editas typis vulgavit, Seminarium Clericorum, et Academiam Theologiae moralis in suis aedibus instituit, Ecclesiae suae coetum, vulgo dictum *Comunia* in Canonicorum Collegium reformavit. Vivere desiit Syracusis anno 1701. De eo plura Mongitorius.

Carolus Massa Catanensis nobili genere ortus Capellaniam majorem Praedecessoris obitu vacantem ex regia praesentatione obtinuit (Dipl. CXC.). De eo cum magna expectarentur (erat enim moribus eximiis, ac comitate insignis, nec vulgari Scientia praeditus) omnem sui bonam spem abstulit, immatura morte sublatus anno 1704. Post hunc

Petrus Soler, et Montoja Hispanus per litteras Clementis XI. *de capienda possessione* Capellani majoris munus exercuit (Dipl. CXCI.). Fuerat Ecclesiae Conchensis Vicarius, atque in sacra Theologia plurimum versatus, brevi tamen in ipso aetatis flore mortem occubuit anne 1710.

Franciscus Barbara Drepanensis cum in Hispania pluribus annis egisset Theologum, et Examinatorem apud Nuntium Apostolicum, cumque in Patriam reversus variis Regni negotiis gessisset, jam donatus Abbatia S. Angeli de Brolo, per litteras a Summo Pontifice Clemente XI. expeditas Capellaniae majoris possesionem iniit (Dipl. CXCII.). Hoc munere functus est paucos post annos coram Serenissimo Rege Victorio Amedeo, sacra faciendo regiasque dapes benedicendo. Ab eodem Rege anno 1717 nominatur Pactensis Episcopus, et M Eleemosynarius, tum a Carolo VI. Imperatore ac Rege anno 1723 Siciliae Episcopus Cephalaedensis Ecclesiae, de qua meruis-

set., ni varia impedimenta in Romana Curia intercessissent. Annorum plenus Deo, et naturae concessit anno 1732. Cujus obitu.

Antonius Ura Mylensis Sacellanus honorarius, et Concionator Caroli VI, Imperatoris, praecedente regia nominatione constituitur a Clemente XII, Summo Pontifice Capellanus major (Dipl. CXCV.). Paucis Ecclesiae suae praefuit annis: namque anno 1736 lucis usuram amisit. Ejus obitu

Marcellus Moscella Cephalaedensis ab Rege Carolo III. Borbonio designatus, per bullas praefati Pontificis, Capellani majoris dignitate insignitur (Dipl. CXCVII.). Ejus post mortem disjunctum S. Luciae beneficium a Capellani majoris officio, quae nunquam legitime compacta fuerant, congruebat, complicata manere, ne diutius diversa Beneficiarii Curati, ac Praesulis munia in uno eodem Candidato miscerentur. Itaque

Scipio Arocinus Messanensis ex Principibus Alcontres Magnatibus Hispaniae, Clericus Regularis Theatinus, S. Luciae beneficiarius ob regiam praesentationem a Clemente XIII., instituitur. Sed quoniam hac ratione ea civitas Ordinario destituebatur, et abs re erat ferventibus adhuc excitis de Palatina Capella controversiis, Capellanum totius Regni Siciliae majorem eligi; hujus in allud tempus rejecta electione, per temporarium remedium idem Scipio Capellanus major pro Civitate, ac districtu S. Luciae ab Rege nostro Ferdinando designatur (Dipl. CCXIII.). Illi deinceps ad Messanensem Sedem evecto subrogatus est

Emmanuel Rao Patritius Panormitanus ex Principibus Cubae Regalis, Qui cum ex regia nominatione et Pontificis Clementis XIV. institutione S. Luciae beneficium obtinuisset (Dipl. CCXIV.), Capellani majoris titulum sibi assumpsit, et ibi quasi episcopalem jurisdictionem exercuit (Dipl. CCXVI). Post ejus obitum anno 1789.

Carolus S. Columba Presbyter Panormitanus ab Rege designatus a Summo Pontifice Pio VI. S. Luciae beneficium impetravit (Dipl. CCXVII.). Is etiam Antecessoris sui vestigiis inhaerens Capellani majoris in Ecclesia et districtu S. Luciae munia et facultates exercuit (Dipl. CCXVIII.). Inde Acemuriensis consecratus Episcopus, electus fuit Sede vacante Vicarius generalis Capitularis Liparensis Ecclesiae, quam praesens quoad vixit, administravit. Tandem post praecisas de Palatinae Capellae jure lites

Alphonsus Airoldi Heracleensis Archiepiscopus, et Regiae Monarchiae Judex Regni totius Capellanus major cum omnibus honoribus, praeeminentiis, et jurisdictionibus ad hoc munus spectantibus ab Rege constituitur (Dipl. CCXXV. CCXXVIII. CCXXXIV. CCXL) Cujus erga Siculos non ultima est beneficentia, nedum quod tantum munus temporis injuria depressum, ac pessumdatum in integrum dignatus sit restituere, verum etiam quod tali Viro ad illud gerendum adscito, regiam hujus Regni Capellam nobilissima in luce collocarit. Viget adhuc etsi provecta aetate emeritissimus Antistes, et sacrum Aulae ministerium summa cum sui nominis laude moderatur.

FINIS.

592669

Digitized by Google

BEATISSIMO PADRE

Vincenzo Marchese Parisi, e Domenica Facciolà, di Santa Lucia, qual Città é soggetta alla Spiritualo giurisdizione del Cappellano Maggiore del Regno di Sicilia, Oratori umilissimi della Santità Vostra, divotamente espongono il lor vivo desiderio, di congiungersi in matrimonio, ma ostandogli l' impedimento del secondo grado di Affinitá, non possono effettuarlo senza l' Apostolica dispensa matrimoniale, e quante volte non si effettuasse detto matrimonio, la povera Oratrice rimarrebbe innutta, e diffamata, poichè vioti da umana fragilitá, non però con animo di ottenere più facilmente la dispensa, si sono carnalmente conosciuti, e di già la prole concepita; E siccome li sudetti Oratori sono veramente poveri, e miserabili, che vivono soltanto colla fatica delle loro mani, incapaci per conseguenza a subir qualunque spesa, per ottenere tal loro dispensa dalla Dataria Apostolica, come il tutto rilevasi dall' attestato del loro Ordinario, che qui annesso si umilia, ricorrono perciò prostrati gli umili Oratori a' piedi Santisissimi di vostra Beatitudine, supplicandola, a volersi degnare, di conceder loro la ridetta dispensa, per l' organo della Sagra Penitenziaria. Che ec.

Sacra Paenitentiaria, facta praemissarum precum relatione Sanctissimo Domino Papae Pio Septimo, de speciali, et expressa Apostolica Auctoritate ab eodem Sanctissimo Domino sibi etiam, pro utroque foro, specialiter concessa, suprascriptos Oratores a quibusvis Sententiis, Censuris, et poenis Ecclesiasticis, tàm a jure, quàm ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum infrascriptae Gratiae dumtaxat consequendum, hujus rescripti tenore, absolvens, et absolutos fore censeos, Venerabili in Christo Patri Archiepiscopo Heraclaeensi Regio Cappellano Majori Regni Siciliae facultatem communicat, praefatos Oratores, sive per se, sive per aliam idoneam Personam Ecclesiasticam ad hoc specialiter deputandam, a Censuris, et poenis Ecclesiasticis ob praemissa quomodolibet incursis, et ab Incestus reatibus usque ad praesentium executionem fortasse iteratis, Apostolica auctoritate, in utroque foro absolvendi, cum paenitentia salutari. Et cum iisdem, si vera sunt exposita, et dummodò praeter expressum aliud eis non obstet canonicum impedimentum, quominus legittimo matrimonio conjungi possint, super recensito secundi Affinitatis Gradus impedimento, ut illo, ac praemissis, et Constitutionibus, atque Ordinationibus Apostolicis, caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus, Matrimonium uterque inter se publicè, servata formà Sacro Sancti Concilii Tridentini, contrahere, et in eo postmodum remanere licitè, ac liberé, valeant pari Apostolica auctoritate in utroque itidem foro misericorditer, et gratis dispensandi. Prolem sive susceptam, sive suscipiendam exindè legittimam nunciando. Datum Romae in Sacra Paenitentiaria die 10 Januarii 1816.= F. A. Sala S. P. Corrector = L. S. = M. Trincia S. P. Secr. = Gratis = Praesentatum Panormi die 15. Martii 1816. = De mandato S. R. M. A. G. E. referat = Agalbato Sec. = Panormi die 18. Martii 1816. = F. R. S. R. M providet, et mandat, quod concedatur Executoria, etiam pro legitimatione Prolis susceptae ante Matrimonium ex sua Regia speciali concessione = Scrofani A. G. E. =

Digitized by Google

Digitized by Google

PROSPECTUS OPERIS.

PROOEMIUM

Digitized by Google

Digitized by Google

Erratis, quae huic editioni obrepserunt, et plura sunt, quam, ut sine multo labore corrigi possint, seu gravibus, seu levibus, parcat Lectoris humanitas.



592669

Digitized by Google

Digitized by Google

